# DOCTRINÆ IOANNIS CALVINI. DE ABSOLVTO REPROBATIONIS DECRETO, DEFENSIO.

*Aduersus Scriptorem Anonymum.*

Auctore MOSE AMYRALDO, Verbi Diuini Ministro, & S. Theologiæ in Academia Salmuriensi Professore.




*SALMVRII,*
Sumptibus DANIELIS LERPINIERII.

*M. DC. XXXXI.*





# VIRO OMNI LAVDE PRÆSTANTISSIMO, IOANNI MAXIMILIANO LANGLÆO, APVD ROTHOMAGENSES VERBI DIVINI MINISTRO.



*ON temerè accidit*, VIR REVERENDE, *sed certissima Dei prouidentia factum est, vt eodem ipso temporis articulo, quo libellus de Absoluto Reprobationis Decreto in manus meas peruenit, redditæ mihi fuerint ab egregiæ spei iuuene filio tuo literæ, quibus & de illius editione me monebas, & pestilentem eum atque perniciosum appellabas, & incitabas denique me consilio tuo ad eius refutationem aggrediendam. Sperabas enim fore vt si ponerem operam in eo meam, rem gratam facerem omnibus bonis, ob eas causas quas partim, quæ est tua in me beneuolentia, explicabas apertè, partim etiam non obscurè innuebas*

*per se faciles intellectu, propter ea quæ ante aliquot annos, vt tu optimè nosti, nobis contigêre. Quo consilio Deus rem ita procurauerit, fidenter affirmare non ausim, & id euentus forte declarabit aliquando. At non negauerim tamen ea re nescio quo pacto additum mihi esse animum, vt nulla penè interposita mora, præter eam quæ necessaria fuit vt cum clarißimis doctißimisque viris collegis meis negotium communicarem, tibi obtemperare & operi manum admouere statuerem. Non quod priores illæ rationes, quasi vel impenderet ab eo scripto veritati periculum aliquod, vel à me posset in eo depellendo quidquam memorabile præstari, vehementer me commouerint. Nam & tu,* VIR PRÆSTANTISSIME, *& plurimi alij, cùm in Belgio, in quo libellus excusus est, tum in Gallia nostra, in quam est pessimo consilio importatus, multo melius disputatoris istius Anonymi impetum reprimere potuistis. Nec quod tu mihi tribuis aliter agnosco, quàm quatenus voluntatis erga me tuæ singularis habet eximiam testificationem. Verum, vt nihil dissimulem, præter eas suscipiendi laboris istius causas, quas in Præfatione breuiter commemoraui, non me leuiter impulit id quod à te posteriore loco significatum est. Cùm enim nescio quo meo fato ea de me hominũ sermonibus sparsa sint atque iactata à quibus vehementissimè & constãtissimè semper abhorrui, nactus mihi visus sum occasionem idoneã clariùs & fusiùs quam vnquam fecerim antehac, de Electione & Reprobatione aduersus Arminij placita disputandi. In quo non tam existimationi meæ consulere volui, (quan-*

quam famam negligere suam, præsertim in munere publico constitutum, atque adeò præpositum iuuenibus ad sacri ministerij functiones obeundas informandis, nemo laudabile duxerit) quàm studui scrupulos omnes, siqui supersunt in bonorum mentibus, eximere, & omnem Arminij discipulis gloriandi materiam eripere, si qui fortasse se se putant habere in hac Academia fautores. Neminem enim certè inter eos adeò futurum aut insulsum aut impudentem existimo, qui perlecta hac disputatione nos hîc occultum syncretismum secum fouere prædicet aut arbitretur. Quod si Arminij asseclæ nos habent, & in posterum tempus adhuc magis habituri sunt pro acerrimis aduersarijs, spes magna me tenet fore vt fratres, quibuscum idem Dei beneficio sentimus, omnem de nobis suspicionem longè à se amoliantur. Nam Caluinũ quidem, cuius doctrinam & arctè tenemus, &, quantum possumus, defendimus accuratè, si quis Arminio fauere dicat, perinde faciat ac si Herculem, vt est apud veterem Poëtam Græcum, ignauiæ insimularet. Denique, VIR REVERENDE, quærebam qua ratione in publico testari possem quanti faciã virtutes egregias quibus te Deus Opt. Max. tam liberaliter ornauit, pietatem, inquam, singularem & sine fuco, eruditionem perreconditã, sublimẽ eloquentiam, ingenium excelsum atque generosum, & alias optimas artes quibus tam magnum nomen tibi meritò comparasti. Quamobrem exultaui animo cùm ea se se opportunitas obtulit, in qua & auctoritati consilij tui, & animo meo hac in parte vnà obsequi possem. Vellem equidẽ vt is à

*quo omnis bona donatio est, eas dotes mihi indulsisset ex quarum commendatione ad laudes tuas ornamentum aliquod accederet: vel saltem vt in hac mea tenuitate otium fecisset aliquanto commodius, quo liberiùs in ea disputatione versarer. Istud enim, quodcunque est, fudi potius quàm scripsi inter varias occupationes quibus impositi mihi muneris ratio, & vitæ humanæ conditio, &, vt mihi quidem videtur, sors mea quædam peculiaris perpetuò me tenet obsessum & impeditum. Et quanquam pręlum hoc loco valde lentum est, vix tamen quod semel initio festinanter exaratum fuit, per operarum interualla relegere licuit, ac ne vix quidem tantulum expolire. Non ita tamen præproperè festinaui quin certò confidam in Domino nihil calamo excidisse quod non sit non modò cum Caluini sententia, sed etiam cum doctrina Christiana consentaneum. Quo nomine non dubito hanc meam opellam tibi gratam & acceptam esse futuram. Nam & Caluinum proculdubiò magni pendis, & veritatem ipsam longè maximi. VALE,* VIR REVERENDE, *& me, vt facis, amare perge.*

*Tui Obseruantissimus,*

AMYRALDVS.

Salmur. prid. Cal.
Septemb. Anno 1641.



# ELENCHVS CAPITVM HVIVS DEFENSIONIS


Præfatio. Pag. 1.

Cap I. Quæſtio conſtituitur. pag. 4.

Cap. II. Caluini ſententiam non eſſe nouam. pag. 15.

Cap. III. Caluini doctrinam defenſoribus ſuis odium & infamiam accerſere non debere. pag. 23.

Cap. IV. Caluini doctrinam non inducere Stoicam vel Manichæam neceſſitatem. pag. 27.

Cap. V. Caluini Doctrinam Sacræ Scripturæ non repugnare. pag. 40.

Cap. VI. Caluini doctrinam naturæ diuinæ non aduerſari. pag. 58.

Cap. VII. Caluini doctrinam non repugnare miſericordiæ Dei. pag. 73.

Cap. VIII. Caluini doctrinam non pugnare cum Dei iuſtitia. pag. 86.

Cap. IX. Caluini doctrinam non pugnare cum veritate & ſinceritate Dei. pag. 120.

Cap. X. Caluini doctrinam pietatis praxi non repugnare. pag. 119.

Cap XI. Caluini doctrinam ad deſperationem non adigere. pag. 137.

Cap. XII. Caluini doctrinam de diſpenſatione prædicationis Euangelicæ, niti verbo diuino. pag. 149.

Cap. XIII. Caluini doctrinam de dispensatione Spiritus, niti verbo diuino. Ac primùm Spiritus sancti gratiam non fuisse ijs indultam quibus verbum reuelatum non fuit, ideoque non esse vniuersalem. pag. 175.
Cap. XIV. Caluinum rectè docuisse gratiam Spiritus non indulgeri omnibus ijs quibus Euangelium annunciatur. pag 209.
Cap. XV. Caluini doctrinam in capite nono Epistolæ ad Rom. esse fundatam. pag 227.
Cap. XVI. Caluini doctrinam sibi non repugnare. pag. 253.



# Approbatio.

HANCCE Doctrinæ Caluini de Absoluto Reprobationis Decreto Defensionem *Auctor legendam exhibuit Viris Reuerendis* Abeli Barberio, *Ecclesiasta Pringiacensi, &* Stephano Bloïo, *Ecclesiasta Andegauensi; quibus ea lectione pro suo examinatorum munere defunctis, placuit & probata est. Approbationis testimonia sunt penes auctorem.*

IOH. CALVINI



# DOCTRINÆ IOANNIS CALVINI DE ABSOLVTO REPROBATIONIS DECRETO DEFENSIO.

*Aduersus libellum Anonymum.*

## PRÆFATIO.



ON ita pridem in lucem editus est Amstelodami libellus de absoluto Reprobationis decreto, ex Anglico, vti præ se fert, conuersus, incertum quo auctore. Quisquis est, si ex eo specimine coniecturam facere licet, vir doctus est, & in eis controuersijs quæ Belgium ante aliquot annos tantopere vexarunt, non inexercitatus: at qui mentem opinionibus Arminij in argumento celebri de Prædestinatione mancipauit. In ea opella, quam nescio quo consilio suscepit, id sibi negotij tantummodo dari credidit, vt quam Caluinus amplexus est, Ecclesiæ nostræ ab eo recepisse putantur, doctrinam de causis exitij hominum omni ope traduceret ac suggillaret. Nouam enim esse primum, & ante Augustini tempora in Ecclesia inauditam, deinde odij atque infamiæ plenam, tum Stoicam atque Manichæam, Scripturæ naturæque diuinæ inimi-

amicam, pietati aduersariam, consolationis Christianæ pestem, & similibus alijs nominibus dignam non asseruit modò, sed & argumentis demonstrare conatus est. Nec in opere exiguo quidquam omisit quod ad illius infamationem pertinere videretur. In primis verò, quod istis hominibus solenne est, Caluinum & Ecclesiam Geneuensem sibi acriter vellicandam esse putauit. Quod vt primum oculis vsurpare mihi licuit, visum quidem est haud satis dignum homine Christiano, attamen hoc tempore minimè mirum. Etenim ita nostro sæculo comparatum est, vt vix quisquam à quoquam in religionis negotio dissentiat, quin eius opinionem, quæcunque tandem illa sit, non tantùm studeat rationibus refellere, quod ferendum atque adeò nonnunquam laudabile est, sed quo iure quaque iniuria omni genere probrorum & calumniarum onerare. Nulli autem magis strenuè in ea palæstra se se exercuerunt, quam quibus in Belgio religionem nouare, & se in Arminij disciplinam tradere libitum est. Equidem quantopere ab eorum erroribus animo dissideam, & testatum iam feci alijs scriptis, & hac quam aggredior disputatione patebit. Mihi sanè semper visi sunt & multum Dei gloriæ in opere salutis nostræ detrahere, & hominibus multo plus tribuere quàm per veritatem licet, & fundamenta pietatis ac consolationis fidelium vehementer labefactare. Vt fidenter pronunciare ausim vix ac ne vix quidem vim sensisse Spiritus Christi, qui nouorum istorum, vt se so appellare solent, pietatis assertorum opinionem animo penitus imbiberunt. Verùm quia labi & errare humanum est, eorum autem quos Arminiani dogmatis aura quædam afflauit, plerique alijs in rebus idem nobiscum de religione sentire se profitentur, quidam etiam ea pollent eruditione quæ veritati Christianæ admodum vtilem operam præstare queat, nunquam in animum inducere potui vt eos conuitijs, quod à meis moribus alienum est, insectari vellem, multo verò minus mihi temperare, quin magnopere doleret quod mentis errore quodam & disputationis æstu, extra veritatis oras longè abripi se se siuerunt. Præcipuè dici non potest quàm magno redemptum velim vt eruditorum sui sæculi eximium decus Hugo Grotius admirabilem, quâ præditus est, ingenij vim infelicibus istis partibus non addixisset. At non fato quidem, quod illi nobis exprobrare solent, sed certissima Dei prouidentia semper accidit, vt ex altis ac propemodum incomparabilibus mentibus, quæ supra reliquos mortales excellere videntur, nonnullæ in grauissimos errores inciderent. Vt nemo quod veritatem amplexus est, quod Christi doctrinam arctè tene-

ctè tenet, quod non patitur eam ſibi vel mundi illecebris ac blandimentis, vel communis noſtræ ſalutis inimici tentationibus, vel hominum hæreticorum artibus ac veteratorum ſtrophis ex animo eripi, id ſuo potius arbitrio libero, quam ſummæ erga ſe Dei indulgentiæ adſcribere ſuſtineat. Noſtrum eſt, quod vnum poſſumus, precibus atque votis ex intimo pectore ductis à benigniſſimo numine indeſinenter contendere vt homines Chriſti ſanguine redemptos, & à ſtudio religionis alioqui non abhorrentes, vi Spiritus ſui ſancti à peruerſis dogmatibus auertat, & luce veritatis penitiſſimè perfundat: interea ſi quid ad eorum emendationem conferre poſſumus, vt ne ſimus in eo negligentes. Ea re impulſus libellum iſtum ad examen reuocare conſtitui, atque pro viribus elaborare, vt citra inuidiam, odium, contumeliam, aliaque eiuſmodi quibus animus humanus efferri ac perturbari ſolet, luce meridiana reddam clarius doctrinam de abſoluto Reprobationis decreto, non modo non eſſe merito ſuo ſuperioribus quibus impetitur criminationibus obnoxiam, ſed etiam ſolidis & inconcuſſis in verbo Dei fundamentis nixam atque ſtabilitam. Quod propoſitum vbi cum bono Deo tenuero, non dubito quin homines quibuſcum nobis res eſt, quique tanto conatu, tantoque impetu in Eccleſias noſtras hactenus inuecti ſunt, vel omnino ab opinione diſcedant, vel ſaltē multū remittant de illo odio cui huc vſque indulſerunt vſqueadeò intemperanter. Cur autem Caluini ſententiam ea de re nominatim defendere voluerim, duæ rationes inter alias fecerunt. Prior eſt, quod Pontificij, quique Arminiani appellantur, Eccleſiarum noſtrarum doctrinam nullatenus ab ea diſſentire exiſtimant: nec Caluinus ab ijs hominibus laceſſi ſolet, niſi vt inuidia quam celeberrimi viri nomini conflare ſatagunt, nos vniuerſi conflagremus. Alterutra igitur vel noſtra vel Caluini ſententia defenſâ, vtramque eadem opera in tuto collocatam eſſe putandum eſt. Poſterior, quod præſtantiſſimi viri virtutes, veritatis cauſa ſuſcepti & exantlati labores planè herculei, & in Eccleſiam Domini noſtri Ieſu inæſtimabilia ſuperiore ſæculo merita, à nobis non tam petere quàm flagitare videntur, vt eius memoriam à calumnijs aduerſariorum ſingulari ſtudio vindicemus. Illi certè quidem diuino præſidio & inſita quam à veritate habet vi fretæ, nihil eſt ab hominibus metuendum. Inimicorum artes ſemper eluctabitur, & vſque ad Chriſti glorioſum aduentum, ſideris cuiuſdam inſtar, in orbe Chriſtiano lucebit. At ſi quam notitia veritatis pectoribus noſtris generoſitatis partem indidit, non committemus vt felices animæ quarum opera Deus in Eccleſia reforman-

da vſus eſt, de affectu in ſe noſtro iure merito conquerantur. Præcellentium igitur virorum innocentiam tueri, verè dicta rectèque facta laudare, & ſi quid fortè (nihil enim à ſe humani alienum putarunt) ijs accidit, minus commodè ſcripta aut duriuſculè enunciata, quantum fieri poteſt, benignè interpretari, excuſare facilè, ac ſi opus eſt egregijs virtutibus condonare, & noſtræ iubet humanitatis conſcientia, & Chriſti charitas imperat. Hæc breuiter præfati ad rem ipſam accedamus, ac primùm, quod omnino neceſſe eſt, ducamus initium ab ipſius quæſtionis conſtitutione.



# CAPVT PRIMVM

## *Quæſtio conſtituitur.*



SIC igitur Anonymus libellum exorſus eſt. *Qui abſolutum reprobationis decretum docent, duo ſtatuunt. Primò, motiuam cauſam reprobationis ſolam eſſe voluntatem diuinam, non peccatum, ſiue peccatum originis, ſiue actuale. Secundò, finalem impœnitentiam & damnationem reprobationem neceſſariam & ineuitabilem eſſe ex abſoluto Dei decreto.* Quæ duo quia vel inuidiosè, vel falsò proponuntur, nobis ſunt paulo diligentiùs excutienda. Primum igitur hìc eſt à diſputatore prætermiſſum, quod nec ignorari nec ſilentio præteriri debuit ab eo cui ſeriò & ſincerè diſputare eſſet animus: Quicquid nonnulli duriùs de obiecto prædeſtinationis & reprobationis dixiſſe videantur, Caluinum in ea ſententia fuiſſe vt putaret, Dei voluntatem, de qua hìc præcipuè agitur, in eo negotio verſatam eſſe circa *maſſam* generis humani *corruptam*. Sic enim loquitur Inſtit. lib. 3. cap. 23. §. 3. » Si quis nos huiuſmodi verbis aggrediatur, cur ab initio Deus ad mortem aliquos prædeſtinarit, qui » cùm nondum eſſent, mereri iudicium mortis nondum potuerunt; » nos reſponſionis loco viciſſim eos rogemus quid Deum homini debere exiſtiment, ſi eum à natura ſua æſtimare velit. Qualiter *peccato vitiati ſumus omnes*, non poſſumus non eſſe Deo odioſi: idque » non tyrannicâ ſæuitia, ſed æquiſſima iuſtitiæ ratione. Quod ſi iudicio mortis obnoxij ſunt omnes naturali conditione quos ad » mortem Dominus prædeſtinat, de quâ obſecro eius iniquitate erga ſe

ga se conquerantur? Veniant omnes filij Adami, cum suo creatore contendant ac disceptent quod æterna illius prouidentia ante suam generationem perpetuæ calamitati addicti fuerint, quid obstrepere aduersus hanc defensionem poterunt, vbi Deus illos ad sui recognitionem contra vocabit? Ex *corrupta massa* si desumpti sunt omnes, non mirum si damnationi subiacent. Item initio Epistolæ quæ libro de Prædestinatione præfixa est. Electio Dei gratuita est qua sibi *ex perdito damnatoque hominum genere*, quos visum est, adoptat. Item in ipso eo libro passim: Comment. in cap 9. Epist. ad Rom. Instit. lib 3. cap. 22. §. 1. & 7. atque alibi. Quæ loca fusiùs citare supersedeo, quia fuerunt & diligenter conquisita, & descripta fideliter à Clariss. Molinæo in calce Anatomes Arminianismi, atque adeò etiam confirmata ex articulo 12. Confessionis Ecclesiarum nostrarum. Credimus Deum ex ista corruptione & maledictione generali in quam omnes homines demersi sunt, liberare eos quos in æterno suo consilio & immutabili elegit, &c. Nec non ex Synodo Dordracena. Can. VII. de Electione: & Can. XV. de Reprobatione. Certè si, quemadmodum Angelis qui lapsi sunt ab origine suâ, præcisa est omnis spes instaurationis, Deo libuisset genus humanum vniuersum eadem seueritate in exitio relinquere, nihil est quod cum eo propterea expostularemus. Quo enim iure, quâ lege obstrictus fuit vt homines sua ipsorum culpa perditos potius quam dæmones ab inferis reuocaret? Ex eo autem duo necessariò conficiuntur. Vnum quod si nulla facta esset vel electio vel reprobatio, (nulla autem facta esset si Deus omnem aditum ad misericordiam suam mortalium generi præclusisset) hominum damnatio eorum peccato, non autem absolutæ Dei voluntati adscribenda foret. Nemo enim dixerit malos Angelos pœnis æternis subditos esse ex absoluta Dei voluntate, seposito peccato. Alterum, quod si Deo visum esset electione facta, nonnullos ex hominibus ab exitio liberare, reliquos verò ita prætermittere vt nullam omnino salutis spem ijs ostenderet, futurum quidem fuisse vt electi causam haberent gloriandi in infinita Dei misericordia erga se non enarrabilem, præteriti tamen nullam causam haberent vel querendi de numinis inclementia, vel suum illius voluntati exitium imputandi. Quod enim electi consecuti forent nullo suo merito, id nihil in conditione reiectaneorum immutasset. Eodem loco futuri fuerunt respectu voluntatis diuinæ, ac si nulli planè essent ex eorum numero segregati. Vt si ex magna multitudine reorum quos idem crimen, eadem pœnæ ferendæ necessitas implicuit, summus Magistratus quibusdam

clementer parcere constituat, cæteri non ideò minus iustè puniri videbuntur. Atque id sanè docuit Caluinus & loco supra citato ex Instit lib.3. cap. 23. & alibi passim. Verùm, cùm generis humani calamitas in duobus spectari debeat; primùm, quod omnes homines æternæ maledictioni sunt obnoxij propter peccatum; deinde, quod si ex aliquo loco liberatio obtingat (non potuit autem aliunde obtingere quam ex Christi cruce) omnes ita sunt à natura comparati, vt nisi Deus ipse subueniat, oblatam nemo possit amplecti, nemo non sit ob inuictam cordis duritiem superbè aspernaturus, quæritur quid Caluinus docuerit de ratione dispensationis voluntatis diuinæ in vtroque illo malo tollendo. Et ad maledictionem quod attinet, vir maximus constanter scripsit, Deum erga genus humanum eatenus ita fuisse affectum, vt voluerit filium suum vnigenitum in mundum mittere, qui morte sua satisfactionem Patris inexorabili iustitiæ præstaret, eâ lege vt, nemine excepto, quicunque credet compos sit fructus propitiationis. Sic ex eius sententia nullus est cui non liceat ad salurem adspirare, modo Christum, vnicum redemptorem, vera fide am-
» plectatur. Verba sunt illius in dictum seruatoris Ioan. 3. 16. *Sic Deus*
» *dilexit mundum, &c.* Sicuti non alibi quam in Christo tota salutis no-
» stræ materia quęrenda est, ita videndum vnde nobis Christus fluxerit,
» cur nobis oblatus sit seruator. Vtrumque hîc distinctè nobis traditur:
» quod scilicet fides in Christum sit *omnibus* viuifica; & quod ideo vitam attulerit Christus, quia cælestis pater genus humanum quod a-
» mat, perire nolit. Et in Præfatione ad Biblia Gallica. Omnes sumus ad
» eam hæreditatem vocati, citra acceptionem personarum, mares, fœ-
» minæ; paruuli, magni; serui, heri; discipuli magistrique; clerici, laici;
» Hebræi, Græci; Galli non secus atque Latini; *nemo* ab ea repellitur,
» quicunque certa fiducia recipiet quod ad eum mittitur, amplecte-
» tur quod oblatum est, vno verbo qui Iesum Christum talem agnos-
» cet qualis à Patre donatus est. Et in Tractatu de Prædestinatione.
» Constat omnes promiscuè ad fidem & pœnitentiam vocari; vnum
» eundemque Mediatorem *omnibus* proponi, vt ab eo Deo Patri re-
» concilientur. Item; In Euangelio Deus manum porrigit indifferenter omnibus. Et sic varijs in locis. Ac ne quis putet salutis oblationem quæ promiscuè fit omnibus in Euangelio, rem esse minus seriam quàm vt per eam omnes certam de vita æterna per fidem obtinenda fiduciam concipere queant, idem multis locis asseruit Christum pro omnibus indifferenter esse mortuum. Verba diserta sunt in Com-
» ment. ad cap. 5. Epist. ad Rom. Communem omnium gratiam facit

Apostolus

Apostolus, quia omnibus exposita est, non quod ad omnes exten- „ datur reipsâ. Nam etsi passus est Christus pro peccatis totius mundi, „ atque omnibus indifferenter Dei benignitate offertur, non tamen „ omnes apprehendunt. Rursus in Comment. ad Ioan. 3.14. & 16. Nota „ est historia (serpentis ænei) quæ habetur Num. 21. 9. Porrò in hunc „ finem hoc loco adducitur, vt se doceat Christus Euangelij doctrina „ constituendum esse ante *omnium oculos*, vt quicunque ipsum fide in- „ tuiti fuerint, salutem percipiant. Vnde colligendum est Christum „ nobis in Euangelio clarè proponi, ne quis de obscuritate queratur, „ & patefactionem hanc omnibus esse communem. Et *vniuersalem* „ notam apposuit, vt promiscuè omnes ad vitæ participationem inui- „ tet, tum vt præcidat excusationem incredulis. Eodem enim pertinet „ *mundi* nomen, quo prius vsus est. Tametsi enim in mundo nihil repe- „ rietur Dei fauore dignum, se tamen *toti mundo* propitium ostendit, „ cùm sine exceptione omnes ad Christi fidem vocat, quæ nihil aliud „ est quàm ingressus in vitam. Patet enim omnibus Christus ac expo- „ situs est. Et in libro de Prædestinatione. Caret controuersia Chri- „ stum pro omnibus mortuum esse. Item, & venisse expiandis peccatis „ *totius* mundi. Neque aliter passim. Cui rei consentaneum est vt Cal- „ uinus non modò causam damnationis reproborum & incredulorum, quæ futura est extremo iudicio, non transferat in absolutam Dei voluntatem, sed etiam vt præter peccatum originale, quo omnes contaminati sunt, & peccatum admissum aduersus legem moralem, à quo neminem immunem esse constat, causam damnationis in incredulitatem & impœnitentiam propriè conferat. Id autem facit exsertè cùm alibi, tum verò Comment. in cap. 3. Ioan. vers. 18. In illis verbis „ ira Dei manet super eo, inquit, Christus significat non aliud esse re- „ medium quo mortem quisquam hominum effugiat. Ac si diceret, om- „ nibus qui datam in Christo vitam reijciunt, non restare nisi mortem: „ quum non alibi vita constet quàm in fide. Præteritum verbi tempus „ ἐμφατικῶς posuit, quo melius exprimeret de omnibus incredulis actum „ esse. Notandum autem Christum peculiariter de his loqui quorum „ impietas se in manifesto Euangelij contemptu prodiderit. Tametsi „ enim verum est non aliud vnquam fuisse effugiendæ mortis reme- „ dium, quàm si ad Christum confugerent homines, quia tamen hîc „ Christus differit de Euangelij prædicatione, quæ spargenda erat per „ totum mundum, sermonem aduersus eos stringit, qui accensam diui- „ nitus lucem sponte ac malignè extingunt. Et aliquanto clarius Com- „ ment. in Marcum cap. vlt. vers. 16. Secundo membro vbi condem-

„ nat Christus eos qui non crediderint, rebelles significat, dum obla-
„ tam salutem respuunt, grauiorem sibi pœnam accersere, nec iam
„ communi tantum humani generis interitu esse implicitos, sed propriæ ingratitudinis culpam sustinere. Iam autem quæ futura est causa damnationis vltimo die, eadem proculdubio causa fuit, cur Deus damnare ab æterno decreuerit. Rei euentum cum Dei consilio consentire necesse est. Nec fieri potest vt causa quæ Deũ impulit ante iacta mũdi fundamenta, vt vellet magnã hominũ partẽ olim damnare, toto genere diuersa sit ab ea quæ eum impellet in mundi fine vt velit actu damnare magnam hominum partem. Quamobrem ista duo ex aduerso sibi respondent, vt quemadmodum si quis interroget quare Paulus Apostolus seruandus sit, nemo qui rem apud se rectâ viâ reputauerit ad absolutam Dei voluntatem confugiendum esse censebit: hærebit in Apostoli fide quã adhibuit Euangelio. Sic vbi quæret aliquis cur Christi proditor Iudas sit damnandus, ad absolutam Dei voluntatẽ nemo sanus transuolauerit: in Iudæ peccato & impœnitẽtia consistet. Itaque si Reprobatio Anonymo est decretum de damnandis quibusdã hominibus, falsũ est quod asserit, Decreti absoluti defẽsores statuere motiuam illius causam sitam esse in vna voluntate diuina. Nam voluntas quidem Dei hîc intercedit; siquidem Deus non damnat nisi volens. At cur sic voluerit, causam habuit peccatum & obstinationem in peccato inuictam. Quod cur reprehendant Arminij sectatores non video.

Ad alterum mali genus quod spectat, docet constantissimè Caluinus id esse eiusmodi vt tolli haudquaquam possit, nisi sola Dei potentissima efficacitate, vsqueadeò penitus à natura insedit, & peccãdi consuetudine inoleuit. Nam in duabus illis rebus, natura corruptâ & prauâ consuetudine, vim istius mali constituere solet. Locus est inprimis illustris Comment. in Ierem. cap. 13. 23. *An mutabit Æthiops*
„ *pellem suam* &c. Videmus quid velit Propheta: nempe Iudæos lon-
„ ga consuetudine ita esse corruptos, vt resipiscere nequeant: quoniam
„ scilicet diabolo se mancipauerint, vt non sint compotes mentis, nul-
„ lum sit amplius in illis iudicium vel discrimen boni & mali. Docti ho-
„ mines nostro sæculo non satis prudenter locum hunc traxerunt in
„ disputationem, cùm vellent probare non esse in homine liberum ar-
„ bitrium, nec homines posse suo marte conuerti ad Deum, vel resipis-
„ cere. Neque enim de natura hominis hîc simpliciter agitur, sed de ha-
„ bitu qui contrahitur ex longa consuetudine. Aristoteles qui fuit ma-
„ gnus assertor liberi arbitrij, tamẽ fatetur nõ esse in potestate hominis

benè

benè agere cùm ita vitijs suis imbutus est vt iam sibi ademerit liberam electionem, 7. lib. Ethic. & hoc etiam docet experientia. Videmus ergo locum hunc perperam tractum fuisse ad probandam sententiam quæ per se vera est, & multis scripturæ locis optimè confirmatur. Ieremias ergo hîc non respicit quæ sit hominum natura, vel quid afferant ex vtero : sed inuehitur aduersus Iudæos qui contraxerant talem habitum ex longo peccandi vsu. Quoniam enim obduruerant ad malè agendum, dicit non posse resipiscere, & ita hærere vel infixam esse malitiam in ipsorum cordibus, sicuti pelli Æthiopum adhæret nigredo, & maculæ similiter adhærent vel pardis vel pantheris. Interea colligitur ex hoc loco vtilis doctrina; nempe sic corrumpi homines dum peccatis assuescunt, & sibi etiam indulgent, vt Diabolus ipsis adimat omne rectè agendi studium : denique vt sint prorsus incurabiles : quemadmodum etiam videmus contingere in morbis. Nam morbi chronici vt plurimum sic peruertunt quicquid sanum erat ac sincerum in corpore, vt tabes paulatim inualescat. Vbi ergo corpus sic longa tabe infectum est, nulla est spes sanitatis. Poterit quidem protrahi vita, sed non sine continuo languore. Quantum autem ad spirituales morbos pertinet, vbi putredo intimos sensus corrupit, fieri non potest vt quis resipiscat. Interim tamen notandum hîc non disputari de potentia Dei, sed tantùm ostendi omnes eos qui obduruerunt in suis vitijs, quantum ad ipsorum ingenium spectat, esse incurabiles, & desperatos. Deus autē potest etiam ex profundissimis inferis educere qui centies sunt desperati. Quam doctrinam si rejiciant Remōstrātes, non iam eos veræ φιλοσοφίας ἀγεύστους (nam ad vim illā consuetudinis & similitudinē è morbis chronicis desumptā quod attinet, hausit superiora Caluinus ex Ethic. ad Nicom. lib. ab ipso citato) sed Pelagij discipulos se se apertè profiteri necesse est. Certè Apostolus districtè negat *hominē animalē posse ea quæ sunt Dei comprehendere*: Item *carnem legi Dei se se subijcere posse*. Et quā multa alia loca idem demonstrant? Duo sunt igitur ad morbum istum, cùm natura insitum tum consuetudine corroboratum, ex animo tollendum absolutè necessaria. Vnum vt externa prædicatione salus offeratur, tanquam obiectum natura sua aptum ad alliciendas hominum mentes. Alterum, vt mentes ipsæ, quia cæcæ sunt ac voluntates peccato penitus imbutæ, intrinsecus illuminentur, & afficiantur potentissimè virtute spiritus Dei, quo fiat vt obiecti excellentiam & peruidere queant, & reuera peruideant atque amplectantur. Restat ergo vt quæ fuerit hac in parte voluntatis diuinæ, ex Caluini sententia, dispensatio, disquiramus.

1. Cor. 2. 14. Rom. 8. 7.

Et de propositione obiecti quidem mens Caluini aperta est. Vult enim, vt iam supra vidimus, externam prædicationem esse communem; quod tamen explicat adhibita distinctione. Nimirum institutum diuinum quo ministris Euangelij suum munus demãdatum est, distinguit ab arcana prouidentia qua Deus rerum euentus occultis quibusdam rationibus moderatur. Nam ex instituto diuino cunctis in vniuersum hominibus, quantum quidem id fieri potest, Seruatorem offerri debere contendit, neque quemquam à communione salutis arcendum esse putat, qui fidem Euangelio præbere volet. Sic enim loquitur Comment. ad Matth. 28. vers. 19. *Docete omnes gentes, &c.*
» Hîc Christus sublato discrimine Gentes æquat Iudæis, & vtrosque
» promiscuè in fœderis societatem admittit. Quo etiam pertinet ex-
» eundi verbum. Nam Prophetis sub lege præscripti erant Iudææ limi-
» tes: nunc verò diruta maceria Euangelij ministros procul exire iubet
» Dominus ad spargendam per omnes mundi plagas salutis doctri-
» nam. Quamuis enim primogenituræ dignitas inter prima exordia
» manserit apud Iudæos, communis tamen Gentibus fuit vitæ hæredi-
» tas. Cuius rei rationem ipse reddit Præfatione ad Biblia, supra citata.
» In plenitudine temporum venit magnus ille Messias, & omnia abso-
» lutissimè perfecit quæ ad redemptionem & salutem nostram necessa-
» ria erant. Datusque fuit non Israelitis solùm, sed omnibus hominibus
» omnium gentium atque regionum, vt natura humana per eum Deo
» reconciliaretur. Atque ad eam rem declarandam Dominus noster Ie-
» sus (qui totius negotij fundamentum est atque substantia,) Apostolos
» suos ordinauit, quibus hoc munus imposuit, id dedit in mandatis vt
» gratiam ipsius per mundum vniuersum publicarent. Qamuis autem ex illis verbis facilè fit intelligere, rem agi vel maximè seriò, id tamen paulo dicit accuratiùs ac magis emphaticè ad ea in quibus Apostolus

Act 17. 30. ait, *nunc Deum denunciare* πανταχοῦ πᾶσι *vt resipiscant.* Interea colligimus ex hoc loco in quem finem prædicetur Euangelium. Nempe vt
» Deus à prioris vitæ erroribus nos ad se colligat. Ergo quoties auribus
» nostris insonat vox Euangelij, sciamus Deum nos hortari ad pœniten-
» tiam. Notandum etiam quod Deo loquentis personam tribuit, quam-
» quam id faciat per homines. Neque enim plena aliter Euangelio au-
» ctoritas constat, quantam cœlestis veritas meretur, nisi dum illum
» Prophetici muneris præsidem respicit fides nostra, & ab eius ore pen-
» det. Nec in re perspicua opus est pluribus testimonijs. Verum etsi munus istud omnibus Euangelij ministris ita demandatum est, docet tamen idem Caluinus occulta Dei prouidentia fieri vt Euangelij prædicatio

dicatio

dicatio variè dispensetur. Et certè vitæ lampadem non ita hactenus Euangelij præcones per orbem circumtulerunt, quin sic volente Deo, magna pars terrarum densissimis tenebris etiamnum occupetur. Quod si ab eo huius rei causam requiras, non negauerit quidem multas hactenus ea luce priuatas fuisse nationes, quia se se cognitione Christi horrendis vitijs indignas præbuerunt. At si instituta comparatione inter varios populos æque indignos isto beneficio queras cur alios Deus alijs in eo concedendo prætulerit, rem ad liberrimam eius voluntatem & inscrutabile consilium referet. Et id passim fecit, nusquam tamen luculentius quam Comment. ad Act. 16. 6. Quod sine discrimine quocunque ventum erat se ad docendum parabant Apostoli, id faciebant pro sua vocatione & ex Dei mandato. Nam sine exceptione ad promulgandum inter Gentes Euangelium missi erant; sed Dominus consiliū suum in gubernando eorum cursu, quod prius occultum erat, in ipsis temporum articulis patefecit. Sed hîc nascitur difficilis quæstio: Cur Dominus in Asia vetuerit Paulum loqui, & in Bithyniam venire passus non sit. Nam si responsum fuerit indignas fuisse Gentes istas salutis doctrina, rursum excipere licebit, cur Macedonia dignior? Qui nimium sapere appetunt, causas huius discriminis assignant in hominibus: quod Dominus quosque dignetur suo Euangelio, vt ad fidei obsequium propensos videt. Sed ipse lōge aliter pronunciat: nempe se palam apparuisse his à quibus non fuit quæsitus, & his locutum esse qui de eo non interrogabant. Vnde enim docilitas & obsequendi animus, nisi ex eius spiritu? Certum est igitur alios alijs suo merito non præferri, cùm natura peræque omnes à fide auersi sint. Ideo nihil melius quàm liberam Deo potestatem relinquere, vt gratia sua dignetur aut priuet quos visum est. Neque tamen Deo ipsi iusta ratio deest, cur certis quibusdam offerat suum Euangelium, alios autem prætereat. Sed rationem illam dico in arcano eius consilio latere. Quam posteriorem Caluini sententiæ partem Arminius improbauit: causas improbationis postmodū expendemus.

De interna virtute Spiritus, quæ sola potest mentes ita reformare vt obiectum non respuant, duo quæruntur. Prius, vtrùm discrimen eatenus aliquod inter homines Deus statuerit. Posterius, id si factum est, quæ causa Deo fuerit discriminis istius statuendi. Et de priore quidem Caluini sententia plana est. Quosdam enim ab æterno Deum selegisse vult, in quibus efficacissimam potentissimamque virtutem sui Spiritus exereret, vt sic ingenerata fide, eos ad salutis possessionem certo destinatoque perduceret. Reliquos præter-

missos esse contendit, quibus tantã prætogatiuã Deus indulgere noluit. De posteriore videri forsitan possit aliter atque aliter loqui. Interdum enim vt electorum segregationem misericordiæ attribuit, sic
lib. de Prędest reprobationem iudicio tribuere videtur. Vt in illis verbis ex Augustino citatis: Cur non omnes docet vt veniant ad Christum, nisi quia
„ omnes quos docet, misericordia docet, quos autem non docet iudi-
„ cio non docet? Et in illis ex eodem auctore. Quis verò tam impiè de-
„ sipiat vt dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit,
„ quando voluerit, vbi voluerit in bonum non posse conuertere? Sed
„ quum facit, per misericordiam facit; cùm non facit per iudicium non facit. Nonnunquam id videtur vni Dei voluntati imputare, citra respectum vllum ad peccatum seu quamuis aliam qualitatem in hominibus hærentem. At ista conciliare promptum est, si meminerimus illius distinctionis quam supra ex ipsius Caluini verbis attulimus, cùm de Euangelij prædicatione loqueremur. Reprobi enim duobus modis hîc spectari debent, vel absolutè in se, vel instituta comparatione cum electis. Et absolutè in se quidem si considerentur, dignos fuisse asserit qui à Deo prætermitterentur. Illi enim quo malo digni non iudicabuntur, & qui sunt ab vtero deprauati, & qui sponte sua in peccatum iuere præcipites, & qui denique sunt ita comparati vt Deum acerrimo odio habeant, atque adeo non possint non habere? Itaque nihil eatenus passi sunt nisi iustissimè, nec si tales non fuissent, omnino Deus prætermisisset. Si cum electis comparentur, æquè omnes indigni fuêre quibus Deus tantam largiretur gratiam; æque digni quos in peccato in æternum iacere pateretur. Quando igitur sunt omnes inter se æquales, discriminis ratio aliunde petenda est quàm ab eorum vel dignitate vel indignitate. Nullam vero aliam oc-
Ad Rom. 9. 11. currere Caluinus vbique docet, præterquam quod sic Deo libuit pro liberrimo beneplacito: iuxta illud, *miserebor cuius miserebor, &c.* Id autem ex multis locis constat; producam maximè memorabiles.
„ Deus, inquit, in vitiata hominis natura qualis in Esau & Iacob fuit,
„ nihil potest considerare quo ad bene faciendum inducatur. Quum
„ ergo dicit vtrumque nihil boni aut mali tunc egisse, simul adden-
„ dum est quod ipse præsumit: vtrumque scilicet esse filium Adæ, natu-
„ ra peccatorem, nulla iustitiæ mica præditum. Porrò, etsi sola vitiositas
„ quæ diffusa est per totum humanum genus antequam emergat in
„ actum, vt loquuntur, ad damnationem sufficit, vnde sequitur merito
„ reiectum fuisse Esau, quia naturaliter erat filius iræ: ne quis tamen ma-
„ neat scrupulus, ac si vllius culpæ aut vitij respectu deterior eius con-
„ ditio fuisset, non minus peccata quam virtutes excludi vtile fuit.

Verum quidem est propinquam reprobationis causam esse quia sumus omnes in Adam maledicti: tamen vt discamus in nudo & simplici Dei beneplacito acquiescere, ab hoc quoque intuitu nos tantisper Paulus subducit. Certè merito suo reiectus fuit Esau, si in se spectetur. At compara eum cum fratre, qui id ipsum pariter cum eo meritus erat, & causam reiectionis diuersam audies. Est, inquit, testimonium sumptum ex Malachia cap. 1. vbi Dominus Iudæis ingratitudinem exprobraturus suam prius in eos bonitatem enarrat. Dilexi vos, inquit, & subijcit, vnde eius amoris exordium? Nonne frater erat Esau Iacob? Ac si diceret, quid habuit prærogatiuæ cur fratri à me præferretur? Nihil sanè. Erat enim ius æquum, nisi quod naturæ lege hic qui minor natu erat, subijci illi debuit. Tamen ego hunc assumpsi, illum repuli. Vtique sola mea misericordia, nulla operum dignitate inductus. Deinde in ea verba, *quorum vult miseretur, quem vult indurat*. Minimè dubium est Paulum è suo ipsius sensu hæc loqui, quemadmodum paulo ante admonuimus, Deum scilicet pro arbitrio suo quem visum illi fuerit misericordia dignari, in quemcunque libuerit, iudicij seueritatem stringere. Hoc enim vult efficere apud nos, vt in ea quæ apparet inter electos & reprobos diuersitate, mens nostra contenta sit, quod ita visum fuerit Deo eos illuminare in salutem, alios in mortem excæcare: neque superiorem causam eius voluntate inquirat. Insistere enim debemus in istas particulas, cuius vult, & quem vult: vltra quas procedere nobis non permittit. Eo quid dici potest clarius? Hæc tamen videntur adhuc clariora, in lib de Prædest. Quos ænigmaticè alloquutus est Christus sine profectu, indignos maiori luce fuisse non nego: sed rogo vicissim quo merito digniores fuerit Apostoli, quos familiariter Christus admittit? Statuitur antithesis, paucis conferri gratiam, quæ omnibus ex æquo iure negari poterat. Item. Eiusdem farinæ alia Pighij obiectio. Reprobos ab electis nego discerni vllo meriti proprij respectu; quia Dei gratia adoptione dignos faciat, non inueniat. Alibi nego iniuriam fieri reprobis, quia digni sunt qui pereant. Hîc se expansis alis tumultuosè iactat Pighius, quod neque meipsum intelligam, neque meminerim quid à me prius dictum esset. Mihi vero in defensione multum verborum facere adeo operæpretium non videtur, vt paucis quoque attingere pigeat. Vt alios Deus alijs præferat, vt alijs præteritis alios eligat, non ex hominum dignitate pendet discrimen. Ergo falsum est dignos æterno interitu reprobos esse. Ac si priore membro non fieret hominum comparatio inter se, & dignitas non referretur ad vitæ præmium: in secun-

Ad Rom. 9. 13.

do autem mēbro non æqualis omnium conditio ſtatueretur. Quamobrem, ex ſententia Caluini, Reprobatio cauſam, vt loquuntur, motiuam habet in vitio reprobis ipſis inſito, ſi abſolutè in ſe ſpectentur. Si comparatè, impulſiua cauſa eſt in mera Dei voluntate. Atque hæc de priore placito quod Anonymus attribuit abſoluti decreti defenſoribus.

Alterius explicatio haud minus neceſſaria foret, niſi ex antedictis iam eſſet elucidatum. Ac primum diſtinguenda ſunt quæ diſputator confundere videtur: damnatio ſcilicet, & impœnitentia finalis. Et ad impœnitentiam finalem quod attinet, voluntas Dei in eo negotio de quo agitur, à Caluino conſideratur duobus modis: Nempe definit quidē vtrobique Deus aliquid; at in electione *affirmatiuè*: conſtituit enim efficere vt electi credant: in reprobatione *negatiuè*, ſtatuit enim non efficere vt credant, ſed eos naturæ ſuæ permittere decernit. Vnde fit neceſſario vt neque credant neque reſipiſcant. At neceſſitas illa finalis impœnitentiæ non magis ideo voluntati diuinæ imputari poteſt, quàm tenebræ ſoli attribuuntur, dum abeſt. Conſequens quidem certè ineuitabile eſt, Deo ſuſtinente actionem quæ ſola poteſt hominum mentes immutare, vt illæ magis ac magis obdureſcant. Verùm quod indureſcunt id habent ab innato vitio tanquam à propria & adæquata cauſa; à Dei voluntate minimè, niſi tanquam a cauſa deficiente, quæ ipſa in effectum non influit; hoc vnum præſtat, quod effectum ab alia cauſa pendentem non impedit alia actione intercedente. Vt ſi quis corpori graui ideoque naturæ ſponte deorſum tendenti, manum non opponat, quæ naturalem impetum inhibeat. Atque ex eo alterum de damnatione ſequitur. Siquidem cùm impœnitentia, ſi certitudinem euentus reſpicias, ſit planè ineuitabilis, impœnitentiam autem damnatio neceſſariò ſequatur, quin damnatio ſit pariter ineuitabilis, omnino fieri nequit. At vt impœnitentia non aliter adſcribitur immutabili & abſoluto Dei decreto, quàm vt cauſæ quæ deficit, conſentaneum eſt vt damnatio ipſa eodem modo ad Dei voluntatem referatur. Nam vt cauſa cauſæ, inquit Anonymus alicubi, eſt cauſa cauſati, ſic etiam non eſt aliter cauſati cauſa, quàm quomodo cauſæ ipſius cauſa eſt. Atque ſic docuiſſe Caluinum infinitis propemodum teſtimonijs confirmare poſſum, in quibus à ſe longiſſimè remouet rancidas illas & illiberales calumnias, quaſi Deum peccati cauſam ſtatueret, & oſtendit impœnitentiæ culpam penes vnum homimem reſidere, reprobationem verò reſpectu Dei conſiſtere in mera negatione actionis, meraque præteritione nōnullorum

lorum. Verba ſunt viri maximi, lib. de æterna prædeſtinatione. Scire velim ſi communi naturæ relicti forent Eſau & Iacob, quid bonorum operum in ſecundo magis quàm in priore Deus reperiſſet. Peræque ſane ambo lapidei cordis duritia oblatam ſalutem repuliſſent. Item, præparaſſe Deum vaſa miſericordiæ in gloriam teſtatur: Si hoc ſpeciale eſt electis, reliquos ad interitum aptatos eſſe conſtat, quia naturæ ſuæ RELICTI, certo iam exitio deuoti ſunt. Verum quid multis opus eſt? Titulus ipſe libri quem ea de re præcipuo ſtudio ſcripſit, quid ſenſerit ponit extra omnem controuerſiam, De æterna Dei prædeſtinatione, quâ in ſalutem alios ex hominibus elegit, alios ſuo exitio RELIQVIT. Vt igitur rem in pauca conferamus, controuerſia in eo vertitur, vtrùm cauſas ex quibus fides neceſſariò gignitur, in æterno de prædeſtinatione decreto Deus voluerit eſſe omnibus hominibus communes, an verò peculiares non nullis, quos ſic ad ſaluté deducere conſtituerit, reliquis iuſto iudicio præteritis. Rem Caluinus ipſe verbis iſtis concluſit. Chriſtus quem miſeretur, vocat. Item, ſi voluiſſet, ex indeuotis feciſſet deuotos. Sed Deus quos dignatur, vocat, & quem vult, religioſum facit. Quis totam huius quæſtionis ſummam his paucis verbis comprehendi non videt? Quod non omnes ad Chriſtum accedunt, vt ſalutem conſequantur, cauſa eſt, quia Deus eorum corda efficaciter non tangit. Cõuerſionem hominis ex gratuita Dei electione manare pronunciãdum eſt. Cur alijs reprobatis alios vocet, in ſolo eius arbitrio poſitum eſſe, diſſimulandum non eſt. His tribus capitibus ſtatum quæſtionis contineri & finiri, nemo mediori iudicio præditus neſcit. Et ſic paſſim. Quæſtione conſtituta, nunc aduerſarij rationes examinemus.



# CAPVT II.

## *Caluini ſententiam non eſſe nouam.*

Argtm Adversariorum primum

PRIMVS Anonymi inſultus ſic habet. *Contra hanc ſententiam militare videtur nonitas eius: Dicunt enim nonnulli eam ante Auguſtini tempora priorum ſæculorum Chriſtianis inauditam fuiſſe, multaque contra eam teſtimonia veterum ſcriptorum producuntur. Apud Minutium Felicem obijcit Paganus:*

Quidquid agimus vt alij fato, ita vos Deo addicitis: iniquum igitur Deum fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. *Cui respondet Christianus*; Deus cùm vniuersam præscit materiam, pro meritis & qualitatibus singulorum etiam fata determinat. &c. *Hieronymus ad. Gal. cap.* 1. 15. Ex præscientia Dei euenit, vt quem iustum futurum scit prius diligat quam oriatur ex vtero, & quem peccatorem oderit antequam peccet. *Idem etiam cap.* 1. *Malach.* Dilectio & odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus: alioquin nouimus, quod omnia Deus diligat, nec quicquam eorum oderit, quæ creauit. *Et lib.* 3. *contra Pelagius.* Eligit Deus quem bonum cernit. *Fulgentius lib.* 1. *ad Monim.* Quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos. *Ipse etiam Prosper ad obj.* 3 *Gall.* Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex præuaricatione præsciti sunt. *Et Paulo post*, Quia illos ruituros propria voluntate præsciuit, ob hoc à filijs perditionis nulla prædestinatione discreuit. *Et Respons. ad obi.* 12. Vires obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prędestinauit; sed quia recessurum ab ipsa obedientia ipse pręsciuit, ideo eum prædestinauit. *Nouitatis igitur merito videtur accusari hæc doctrina.*

lib. de Prędest.

Ad accusationem de nouitate Caluinus ipse sic respondebat. Sed
» quia odiosè nobis ingeritur veteris Ecclesiæ auctoritas, breuiter e-
» tiam pręfari operę pretium est, quàm iniustè hac partim falsa, partim
» friuola inuidia prematur Christi veritas. Augustini tamen verbis po-
» tius quàm meis hoc quidquid est criminationis diluere malo. Nam
» & sanctum virum eodem olim probro vexabant Pelagiani: quod
» sibi aduersos haberet alios Ecclesiæ scriptores. Primum ergo ex-
» cusat quod ante exortam Pelagij hæresin, non ita subtiliter neque
» exactè de Prędestinatione id quod erat tradiderunt. Quid igitur
» opus est, inquit, vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista
» hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad sol-
» uendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent si respon-
» dere talibus cogerentur. Prudenter certè non minus quàm ingenuè
» dictum. Nisi enim eum excercuissent gratiæ Dei hostes, nunquam
» ad excutiendam Dei electionem adeò fuisset attentus, sicuti fatetur.
» Nam in libro cui titulum fecit, De bono perseuerantiæ; Hæc, in-
» quit, certa est ac manifestata prædestinatio sanctorum, quam postea
» diligentiùs & operosiùs, cùm aduersus nouam sectam disputarem,

defenderat

defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque „ hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quęstiones, contra quas diligen- „ tiùs defenderetur scriptura diuina, quam si nulla talis necessitas co- „ geret. &c. Sic ille ex Augustino. Certè non omnino nouum esse putandum est quod Augustinum habuit assertorem. Et fatetur quidem alicubi Caluinus plerosque Theologos ante sancti Patris illius tempora, ea de re ita locutus esse, vt eorum verba non admodum difficile sit in sequiorem partem interpretari. At multa sunt quę criminationem istam depellere, & à doctrina Caluini nouitatis inuidiam omnem amoliri posse putamus. Ac primum quidem illud est, quod si sententia quam Augustinus defendit, minus cognita fuit ante natam Pelagij hæresim, postquam ab eo in clariorem lucem producta & argumentis è Scriptura depromptis euidenter confirmata est, tam multos sectatores habuit, vt si quis ab ea fuerit alienus, idem iudicatus sit a veritate Catholica defecisse. Ex quo facile est intelligere doctrinam de Natura & Gratia superioribus sęculis obscurè quidem & imperfectè fuisse traditam; tenuisse tamen illam veteres Ecclesiæ doctores confusè, & si quid in ea perplexitatis, hæsitationis dubitationisque fuit, facilè præualuisse partem quæ ad veritatem inclinabat. Nam simulac paulo dilucidiùs proposita fuit, nullo negotio se se in animos verè Christianorum insinuauit. Vt qui in exigua & maligna luce fuerunt educati, siquod ex inopinato clarius exoriatur iubar, statim agnoscunt, & admittunt, & summa cum animi voluptate contemplantur, Quod exemplo non caret cùm in veteribus, tum in recentioribus Ecclesiæ temporibus. Alterum est, quod cùm ante hæreses excitatas Theologi minus circumspectè de quibusdam Religionis capitibus locuti sint, vt est obseruatum ab Augustino, æquum non est eorum testimonia vel præferre vel exæquare auctoritate lucubrationibus præstantium virorum, qui ab hostibus veritatis lacessiti, multo diligentiùs in eius inquisitionem incubuerunt, majoremque attulerunt ad explicanda verbi diuini mysteria, & meditationem animi & sermonis accurationem. Nam, exempli gratia, quis affirmare ausit in ea quæ de naturis deque persona Christi Ecclesiam olim exercuit, controuersia decidenda, pluris esse facienda Origenis & aliorum scripta qui vixerunt antequam Arius virus suum spargeret, quàm Athanasij, Hilarij & cæterorum qui tantum studij & operæ in asserenda doctrina Catholica posuerunt? Aut siqua de vi & efficacia satisfactionis Christi quæstio pacem Ecclesiæ sollicitet, est ne aliquis qui illam potius existimet ex eorum auctoritate com-

ponendam qui ſcripſerunt ante aliquot ſæcula, quàm qui noſtra memoria aduerſus peſtilentiſſimum Socinum diligentiſſimè laborarunt? Multa ſanè ſunt præclare dicta à veteribus in eam rem. At pluris æſtimo vnius Ampliſſimi Grotij de Satisfactione diſputationem, quàm quod omnes vel Tertulliani vel Lactantij de natura & virtute ſacrificij Chriſti vnquam commentati ſunt. Quidni ergo Auguſtinum, Proſperum & reliquos qui eandem viam contra Pelagium inſtiterunt, præponemus cæteris doctoribus, quibus nondum ſatis cautè in eo argumento verſantibus multa minus accuratè dicta excidiſſe neceſſe eſt? Tertium illud eſt, quod Auguſtinus ipſe, cùm Pelagij diſcipuli in veterum ſcriptis ſe magnificè iactarent, ſtrenuè negauit omnes ſibi eſſe aduerſarios. Nam & Ambroſium vocauit ad partes, & nonnullos alios, vt Cyprianum Chriſti martyrem, & Gregorium, virum ſanctum, idem cum Ambroſio ſenſiſſe diſputauit. Equidem, vt ſupra vidimus, duo ſunt in quibus ex Caluini ſententia, quæſtio præcipuè vertitur. Vnum vnde fiat vt Euangelium his annuncietur, illis minimè. Alterum, num deſtinato conſilio Deus Euangelij prædicationem decreuerit in aliquibus efficacem reddere ad fidem ingenerandam, per quam, cæteris præteritis, ad ſalutem infallibiliter perducantur. De priore autem verba ſunt Hieronymi diſertiſſima, Epi-
» ſtola ad Cteſiphontem. Solet nobis obijcere contubernalis veſter
» Porphyrius qua ratione clemens & miſericors Deus ab Adam vſque
» ad Moyſen, & à Moyſe vſque ad aduentum Chriſti, paſſus ſit vni-
» uerſas gentes perire ignorantia legis & mandatorum Dei. Neque e-
» nim Britania fertilis prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, om-
» neſque vſque ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moy-
» ſem Prophetaſque cognouerunt. Quid neceſſe fuit eum in vltimo
» venire tempore, & non priuſquam innumerabilis periret hominum
» multitudo? Quam quæſtionem beatus Apoſtolus ad Romanos ſcri-
» bens, prudentiſſimè ventilat, ignorans hæc & Dei concedens ſapien-
» tiæ. Dignare & tu iſta neſcire. Concede Deo potentiam ſui. Ne-
» quaquam te indiget defenſore. Quæ à Caluini ſententia non diſcrepant. De poſteriore ita ſenſerunt, vt animaduerſum eſt ab eruditiſſimo Voſſio; initia fidei & prima regenerationis rudimenta, eſſe ab ea Dei gratia quæ omni modo præuenit animum, quæque eum præparat ad incrementa virtutum ab eadem Dei liberalitate conſequenda, abſque quo foret vt nemo Chriſti crucem non eſſet repudiaturus. Cuius rei longè maximum argumentum eſt, quod vbi Pelagius aliter docere cœpit, damnatus eſt ab vniuerſis, vt qui deſciſceret

Hiſt. Pelag. lib. 6. pa. 546.

non

non à veritate Chriſtiana duntaxat, ſed etiam à ſententia doctorum Catholicorum. In quo duo nobis obſeruanda videntur. Vnum eſt, quod etſi veterum Patrum doctrina non eſt omnibus numeris ſuis abſoluta, (aliquid enim dicendum fuit diſertiùs de diſcrimine deque cauſâ diſcriminis quod eatenus inter homines intercedit, & vlterius procedendum in explicatione cùm efficacitatis gratiæ Dei, tum certiſſimi qui ex ea ſequitur euentus in fide, perſeuerantia atque ſalute) quæ tamen ita ſunt ab illis imperfectè aut obſcuriuſculè dicta, non pugnant cum ijs rebus quas Auguſtinus ad pleniorem rei elucidationem & confirmationem adiungendas eſſe duxit. Quocirca cum doctrina Caluini concordare neceſſe eſt, quandoquidem ab Auguſtini opinione, aduerſarijs ipſis fatentibus, non diſſentit. Non igitur ideò magis nouitatis inſimulari debet, quia ante Auguſtini cum Pelagianis diſputationes pleniſſimè tradita non eſt, quam quiſquam iure Philoſophiam penitus incognitam fuiſſe dixerit ante Ariſtotelem, quia quæ paulo fortaſſe confuſiùs atque perturbatiùs à Platone, Socrate, Hippocrate & alijs de rerum natura prodita erant, & penitiùs ille perſpexit, & prouexit longiùs, & maiore induſtria atque accuratione tractauit. Verba ſunt Auguſtini lectu & conſideratu digniſſima libro de bono Perſeuerantiæ, cap. 19. Iſti tales tantique doctores, (Cyprianus, ſcilicet, Ambroſius, Gregorius, atque alij) dicentes non eſſe aliquid de quo tanquam de noſtro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur: nec ipſum cor noſtrum & cogitationes noſtras in poteſtate noſtra eſſe, & totum dantes deo, atque ab ipſo nos accipere confitentes, vt permanſuri conuertamur ad eum, vt id quod bonum eſt nobis quoque videatur bonum, & quod velimus illud, vt honoremus Deum & recipiamus Chriſtum, vt ex indeuotis efficiamur deuoti & religioſi, vt in ipſam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus; hæc vtique Dei gratiæ tribuunt, Dei munera agnoſcunt; ab ipſo nobis, non à nobis eſſe teſtantur. Nunquid autem quiſquam eos dicturus eſt ita confeſſos iſtam Dei gratiam, vt auderent negare eius præſcientiam, quam non ſolùm docti ſed indocti etiam confitentur? Porro ſi hæc ita Deum nouerant dare vt non ignorarent eum daturum ſe eſſe præſciſſe, & quibus daturus eſſet non potuiſſe neſcire, *procul dubio nouerant prædeſtinationẽ* quam per Apoſtolos prædicatam contra nouos hæreticos operoſiùs diligentiuſque defendimus. Alterum ex ſuperiore colligitur. Nempe excuſari certè non poſſunt veteres Eccleſiæ doctores, ſi qui ſunt, qui prædeſtinationis ad gloriam & electionis æternæ cauſam in præ-

uiſione meritorum humanorum collocant. Nam quæ ſunt illa merita humana? Aut quid fingi poteſt à religione magis alienum quam vt Deus ab homine præueniatur, adeoque benè merendo? Qui tamen fidei præſcientiam cauſam prædeſtinationis ad gloriam, præuiſionem incredulitatis cauſam decreti de damnandis reprobis ſtatuere, non ſunt ideo continuò exiſtimandi facere cum Pelagianis aut Semipelagianis quiqui ſint, dummodo crediderint, id quod multis ſupra tribuit Auguſtinus, fidem quam Deus præuidit, ab eo præuiſam fuiſſe, quia donare eam ipſe abſolutè decreuerat; præuiſam itidem fuiſſe incredulitatem certiſſimè, quia cordis duritiem non emollire abſolutè conſtituerat. Quo enim modocunque vel Caluinus vel Auguſtinus vel alius orthodoxus ſententiam ſuam ſuper iſto negotio explicauerit, res eodem recidet. Sunt iſta planè paria. Seruabo omnes qui credituri ſunt. At Petrus credet; quia ſum illi ad fidem indulturus gratiam efficaciſſimam & nulli impedimento ſuperabilem. Ergo Petrum certiſſimè ſeruabo. Et; Volo certiſſimè ſeruare Petrũ: ideoque illi volo fidem indulgere, abſque qua decreui ſeruare neminem. Nec ſi Arminij diſcipulis poſterior hæc enunciandi ratio haud ſatis placet, priorem vero ſententiam ex animo amplectantur, quidquam inter nos diſſidij futurum iampridem liberaliter ſpopondit Ameſius ὁ μακαρίτης, ſcribens ad Greuincouium. Dixi, inquit, Prædeſtinationem non eſſe ex fide, quia eſt ad fidem. Hoc ille ſequi negat, quia duplex eſt prædeſtinatio, alia ex fide, ad fidem alia. Itane, inquam, certarum ſingularium perſonarum (de iſtis enim agitur) particularem agnoſcis prædeſtinationem ad fidem? Imò verò, ait Greuincouius, ſtatuo atque agnoſco duo & quidem particularia decreta; ſicut enim in genere eſt, ita etiam in particulari, nulla poteſt huius eſſe electio ad ſalutem ex fide præuiſa, niſi prior ſit electio ad fidem. Honeſta hæc quidem oratio, inquit Ameſius, quæ ſincera ſi eſſet, litem finiret. De ordine enim decretorum horum quæ in decernente ſunt vnum & idem, ego quidem non contenderem cum eo qui de re ipſa conſpirat; electionem ſcilicet omni modo à Dei voluntate pendere, nec vlli conditioni ab homine præſtandæ inniti. Hoc namque caput, hic cardo totius controuerſiæ quæ nunc tam ſedulò vertitur, non merus & nudus ordo concipiendo à nobis poſitus ad infirmitatem noſtram ſubleuandam. De quo tamen ſolo cum inter nos agi putat Greuincouius, nonne ſe maledicendo deditum planè fatetur, qui tam leui de cauſa criminationibus maximis, hæreſeos ſcilicet non leuis, non vnius, ſed Manichæiſmi, Stoiciſmi, Libertiniſmi, Pelagianiſmi,

Reſcrip pag 70.

mi, & similium, venerandos Theologos onerare sustinet? Reuera Caluinus veterum errorem iustissime damnat, qui prædestinationem ad gloriam fundarunt in præscientia fidei quam quisquam præstaret liberi arbitrij viribus. Sic interposito præscientiæ velo, inquit, ele- ,, ctionem non modo obscurant, sed originem aliunde habere fingunt. ,, Neque verò hæc vulgo recepta opinio solius vulgi est. Habuit enim ,, sæculis omnibus magnos auctores. Quibus consentanea sunt quæ Beza scripsit ad Rom. 9 5. 39. Est etiam hic locus diligenter obser- ,, uandus aduersus eos qui fidei vel operum præuisionem faciunt ele- ,, ctionis causam. In quem errorem sanè turpissimum Origenes veteres ,, plerosque tum Græcos tum Latinos adegit: donec tandem Dominus ,, Augustinum per Pelagianos ad hunc agnoscendum & corrigendum ,, errorem excitaret. At id quomodo intelligi debeat, explicat ipse Caluinus Augustini verbis. Neque hoc quoque ab Augustino omis- ,, sum est, Præscientię nomen pro Dei consilio accipi, quo suos in salu- tem prędestinat. Præsciri à Deo quinam futuri sint vitæ hæredes, ,, nemo non fatetur. Hoc modo in quęstione versatur, *prauideatne* ,, *quid in ipsis facturus sit, an quales a seipsi sint futuri.* Item. Cæterum ,, vt electis iustitiæ prẹmium rependet Christus, ita reprobos minimè ,, inficior impietatis & scelorum suorum pœnas tunc daturos. Nec ,, vero tale quicquam ex nostra doctrina elicere licet, quoniam æter- ,, no suo consilio elegit ad vitam Deus quos visum est, alios exitio re- ,, liquit; vel nullas malis operibus constitutas esse pœnas, vel bonis ,, nullam esse repositam mercedem. Stabimus omnes ante tribunal ,, Christi, vt referat quisque prout in corpore suo gesserit, siue bonum, ,, siue malum. Sed vnde pijs iustitia & sanctitas quæ tunc coronabitur, ,, nisi quia spiritu eos suo Deus in vitæ nouitatem regenuit? Vnde ,, porro regenerationis donum nisi ex adoptione gratuita? Perinde ar- ,, gumẽtatur Pighius ac si quis diem esse neget ex luce à Domino crea- ,, ta, quia Solis splendor diem facit. Quamquam similitudinem istam ,, non omni ex parte conuenire fateor. Lux enim initio creata Deum ,, propriè habet auctorem. At damnationis nostræ culpa sic in nobis ,, residet, vt procul alienos ad eam obliterandam colores accersere fas ,, non sit. Sed tantùm breuiter ostendere libuit quàm præpostere Pig- ,, hius propinquę causæ obiectu remotam tollat. Damnatum iri im- ,, pios contendit, quia proprijs maleficijs iram Dei in se prouocarint. ,, Ex eo colligit à Dei decreto non prouenire eorum damnationem. ,, Ego autem eos maleficia alia alijs cumulasse dico, quia quum praui ,, essent nihil quàm peccare potuerint. Etsi autem extrinseco impulsu, ,,

Instit. lib. 3. cap. 23.

lib. de Prędest

„ ſed ſpontaneo cordis affectu ſcientes ac volentes peccarint, quin ta-
„ men fons & origo malorum omnium ſit naturæ corruptio & vitio-
„ ſitas, negandum non eſt, niſi prima pietatis rudimenta conuellere
„ libeat. Cauſam ſi quæras cur vitium quod in electis ſuis Deus corri-
git, non eodem in reprobis remedio dignetur, abſcondita apud ip-
ſum latet.

Itaque ſi Caluino dixeris decretum eſſe apud Deum ex præui-ſione fidei & incredulitatis qui ſeruandi ſint olim, qui non; non ſo-lùm non repugnabit, ſed vltro aſſeret; modò tu id illi concedas viciſſim, quod nonnullos credituros præuidit, reliquos minimè, id non aliunde proueniſſe quàm ex eo quod illis dare fidem conſtituit, his gratiam cuius vi ſolius fides gignitur, denegauit: non quod alij alijs ea digniores eſſent, ſed quia ſic ei libuit pro beneplacito liberrimo. Ex eo autem multos è veteribus Patribus Caluinus ſecum conciliare poteſt. Nam ſepone meriti vocabulum, quo etſi multi olim vſi ſunt innocentiùs, eſt tamen à puritate religionis alienum, non contendet cum Minutio quin ſingulis fata determinata ſint pro eorum qualitatibus, quia Deus vniuerſam præſciuit materiam: dummodo Minutius non neget diſcrimen qualitatum in materia ab ipſa materia non eſſe, & electos ab vno Deo diſcerni. Neque repugnabit Fulgentio dicenti, Deum prædeſtinaſſe ſupplicio interminabili puniendos, quos præſciuit hanc vitam in peccato terminaturos; ſi concedat itidem Fulgentius, præſciuiſſe Deum vitam in peccato terminaturos, quibus fidei & ſanctificationis gratiam nollet impartiri. Et Proſpeto largietur, neminem ex eo habere neceſſitatem pereundi quod prædeſtinatus non ſit, ſed ex eo quod ſit peccator; & idcirco prædeſtinatos eſſe ad exitium, quia peccatores ex præuaricatione præſciti ſunt: ſi modo fateatur idem quod alij peccato liberati ſunt, id omne eſſe meræ, eique liberrimæ Dei miſericordiæ acceptum ferendum. Reliqua quæ fortaſſe duriora ſunt quàm vt vlla tractatione commodè poſſint emolliri, non concedet certè, at non vexabit etiam aut exagitabit odioſè, ſed ſilentio tegere conabitur. Verumenimuerò, ſi quis illis ad veritatem oppugnandam abuti velit, non feret; neque cuiuſquam mortalis reſpectu retinebitur quin ſalutis noſtræ gloriam vni Deo ab omni parte aſſertum eat. Quid multis? Quidquid viri magni ea de re vel ſenſerint, vel docuerint, vt de antiquitate doctrinæ Caluini iudicemus, neque in Auguſtino neque in quoquam alio ſiſtendum eſt, ſed ad ipſum Apoſtolum Paulum deueniendum, vt quid de decreto reprobationis abſoluto credendum ſit, planè per-

ſpectum

ſpectum habeamus. Quod enim cum Apoſtoli ſcriptis conſentit, veriſſimum, quod veriſſimum, illud & antiquiſſimum iudicandum eſt.



# CAPVT III.

## *Caluini doctrinam defenſoribus ſuis odium & infamiam accerſere non debere.*

SIC pergit Anonymus. *Defenſoribus ſuis odium & infamiam accerſit, & apud alienos & apud ſuos. Apud alienos quidem; Lutherani enim ſe potius Pontificiam doctrinam amplexuros profitentur quàm Sacramentariam & Prædeſtinatoriam Caluiniſtarum peſtem admiſſuros: vt docet eques. ille auratus doctiſſimus in libro Anglicè ſcripto cui titulus, Relatio de ſtatu religionis in Eccleſijs Occidentalibus. Apud ſuos verò: ipſe enim Molinæus fatetur Anat. Arminianiſmi cap.* 12. *de Prædeſtinatione*; ſapientis eſſe hæc prædeſtinationis myſteria celare, & neſcire potius quàm temerè enunciare. Quia, *inquit ille*, enunciata inijciunt ſcrupulos, & anſam præbent aduerſarijs infamandi veram religionem. *Qualis verò eſt illa doctrina quæ lucem fugit?*

Iniquè ſanè agitur cum veritate ſi æſtimari debet ex eorum iudicio qui nondum eam intellexerunt, quia mentem gerunt ſiniſtris præiudicijs occupatam. Si Caluini doctrina defenſoribus ſuis odium & infamiam merito accerſit, ideo quia Lutherani ſe potius Pontificiam amplexuros profitentur, quid fiet Arminij opinionibus quas Reformati teſtantur ſe tantopere auerſari? Propterea-ne diſputator reijciendas eſſe arbitrabitur, quod nos Pelagianas aut ſaltem Semipelagianas ſolemus appellitare? Equidem, tametſi id facimus citra iniuriam, Lutherani verò, vt molliſſimè dicam, zelo quodam elati quem ſcientia non anteceſſit, Caluini doctrinam tanta verborum acerbitate criminantur, nolim tamen vt Arminij diſcipuli ſeſe patiantur à ſententia demoueri, perculſi terrore accuſationum, & atrocitate verborum noſtrorum hominum, ſi quid atrocius in eam pronunciauerunt. Hoc velim tantùm vt ſepoſitis affectibus, præſertim verò ſemoto ſui amore, quo ingenium humanum naturaliter accenditur & tumet,

momenta

momenta rationum expendant, ac tandem agnita veritate, ab ea se se victos esse glorientur. Nam qui vincitur à veritate, triumphat. Tum quid hoc rei est quod Prædestinatoriam cum Sacramentaria Caluinistarum, vt loqui amat, peste coniungit? Est-ne igitur etiam idonea causa quamobrem doctrinam nostram de Sacramentis odio & infamia dignam existimemus, quod Lutherani nomine pestis eam indigetare audent? Ergo ne fides Vbiquitismi nobis erit suscipienda? Quod si cuipiam è Remonstrantibus œstro aliquo percito & nostram & Lutheranorum de re sacramentaria doctrinam famosis appellationibus dehonestare libeat, quid nobis faciendum erit vbi neque alienam sententiam amplecti, neque nostram retinere per inuidiosas criminationes licebit? Fluctuabit-ne semper animus in ambiguo, vt nihil vnquam in ista religionis parte certi constituere audeamus? At, inquit disputator, infamiam non vitat, etiam apud suos. Molinæus enim ipse hæc mysteria tacenda potius esse quàm enuncianda dixit. Quid Clariss. Molinæus loco citato scripserit, nescio. Ista siquidem verba in editione Anatomes quâ vtor, capite de Prædestinatione, non comparent. Hoc vnum scio illius libri capite primo reprehendere quidem virum celeberrimum eos, qui vel curiosiùs quàm oportet in arcana Dei irrumpere conantur, vel intempestiua atque licentiosa prophetandi libertate in explicatione mysteriorum istorum acumen ingenij sui ad populum venditant. Vnde turbæ nascuntur in Ecclesia. At secundo capite haud minus sibi displicere testatur eorum importunam religionem qui Pastores iubent a doctrina de prædestinatione in totum abstinere. Nec aliter isti consilio obtemperari posse putat, quam si portio de verbo Dei recidatur, si fidei nostræ firmitudo labefiat, si conscientiæ consolatio magnopere diminuatur, si denique pietas ipsa capiat memorabile detrimentum. Vtique permirum esset pertendere, vt ille rectissimè facit, doctrinam de Reprobatione diuino verbo traditam esse dilucidè satis & explicatè, verbum autem illud legendum, meditandum, nocturna versandum diurnaque manu commendare populo Christiano, & tamen in eo articulo Theologis ac Pastoribus silentium imponere. Vt vt se res habeat, Caluini doctrina lucem ita non reformidauit, quin per vniuersum orbem Christianum, & in commentarijs ad Scripturam, & in Institutione, & in libris peculiariter eâ de re conscriptis, & in concionibus denique, quæ ex ipsius ore exceptæ ac disseminatæ passim etiamnum hominum manibus teruntur, latino vernaculoque sermone vestita circumuolitauerit. Nam quid illa lucem fugeret quæ tota in eo est vt salutis nostræ
laudem

laudem vni Deo vindicet? Nemo tamen negauerit hic, vt in omnibus alijs, adhibendam esse prudentiam & delectum opportunitatis. Quis enim ad fidem adhortaturus, de magna hominum parte ab æterno constitutum esse prædicauerit, vt natiuæ malitiæ permittantur, vnde finalis impœnitentia infallibiliter secutura est? Nemo certè sic inuitationem ad pœnitentiam instituet. Non quod ea doctrina lucem extimescat, sed quod non sit ad fidem & pœnitentiã ingenerandam à Spiritu Dei comparata. At occasiones aliæ se se offerunt, in quibus non modò non est inutilis, sed est absolutè necessaria. Sunt enim nonnunquam hominum mentes muniendæ aduersus offensionem ex eò metuendam, quòd cùm Euangelium tanta veritatis luce fulgeat, tot inuitamentis hominum animos ad se alliciat, à plerisque tamen, ijsque alioqui vel præstantibus naturæ donis, vel excellentibus prærogatiuis à Deo exornatis, contemptim respuitur. Nihil enim tum procliuius est quàm vt in aliquam de Euangelij veritate dubitationem adducamur. Medetur autem isti malo doctrina de reprobatione. Quid enim mirum est illi si in Christum impingunt quorum Deus oculos natiua cæcitate clausos & obsessos non aperuit? Sic Christus Ioannis sexto, vt in discipulorum animis minueret admirationem obmurmurationum & præfractæ contumaciæ Iudæorum, ait, neminem ad se venire posse quem pater ipse non traxerit. Sic Paulus cap 9. Epistolæ ad Romanos, ne quem offenderet quod tanta multitudo Iudæorum (quem Deus populum supra reliquos omnes longè extulisse videbatur) Euangelium reiecerat, diligenter ostendit in eo nihil accidisse quod non fuerit primùm ita decretum, deinde oraculis prædictum, & figuris adumbratum, ac denique demonstratum exemplis illustribus, vsque ab Ecclesiæ incunabulis. Talia autem contingere quis mirabitur? Nec est accommodata minus ea doctrina ad tollendum scandalum quod objicit quorumdam apostasia qui Christo nomen dedisse putabantur, nequa vere fidelis conscientia terreatur exemplo. Admonet enim Apostolus quidquid istiusmodi accidat, fundamentum Dei manere firmum tamen, neminis vt è fidelibus consolatio labascat, quasi tale qnid omnibus euenire posset. Eodemque ferè pertinet quod in afflictionum agone versantibus consolationis ac fiduciæ materiam ex eo suppeditat, quod omnia cedant in bonum ijs qui Deum amant, quique vocati sunt κατὰ τὴν πρόθεσιν. Quoniam *quos præcognouit, eos etiam prædestinauit*, *&c.* Vsque adeò vt diligenter enumeratis omnibus quæ ad fidem quatefaciendam vel maximè valere creduntur, verè fidelibus luculentam indubitatamque

2. Tim. 2. 19.

Rom. 8

victoriam polliceatur. In primis verò sensus electionis, & conscientiam incredibili consolatione perfundit, & animum excitat vt quod maximè ad infinitam Dei misericordiam grata mente recolendam, cui constare nequit integra illibataque sua laus, nisi quod credimus, quod à fide non deficimus, quod ad salutem adspiramus certa fiducia, id feramus acceptum in solidum vni Deo, qui nos à reliquis ex omni æternitate separauit. Caluinum autem ista nec ignorasse nec tacuisse liquet ex infinitis propè testimonijs. Illustre est quod habetur libro de Prædestinatione. Porro, cùm palam appareat ex multis
" quos externa voce Deus compellat, vix paucos credere; si maiorem
" partem ideò incredulam manere probo, quia Deus nonnisi quos vult
" illuminatione dignatur; simul alterum illud obtinebo, communiter
" offerri vtrisque Dei misericordiam, vt quicunque intus non docen-
" tur, tantùm reddantur inexcusabiles. Distinguunt quidam quod po-
" tentia salutare sit omnibus Euangelium, non effectu: sed nodum hoc
" modo minimè expediunt: quia semper eò reuoluimur, æqualisne
" omnibus conferatur credendi facultas. At verò cur non omnes Euā-
" gelio obediant, rationem affert Paulus; quia Esaias dicit, Domine,
" quis credidit sermoni nostro? Et brachium Domini cui reuelatum
" est? Credentium paucitate attonitus Propheta exclamat rem indi-
" gnam esse quod Dei verbum omnium auribus personans, nulla ferè
" corda intus afficiat. Verùm nequem conturbet tanta mundi praui-
tas, mox subijcit non omnibus hoc esse datum. At nihil opus est pluribus testimonijs in re clara. Sicui otium est aut plura videndi cupido, legat initium libri de Prædestinatione; Commentarium in 2. Timoth. 2. 19. & Comm. in Ioan. 6. 44. 10. &c.



# CAPVT IV.

## *Caluini doctrinam non inducere Stoicam vel Manichæam necessitatem.*

CONVERTIT se Anonymus ad accusationem de Fato, & si quid est Religione Christiana fato indignius. *Hæc doctrina*, inquit, *Stoicam & Manichæam quandam necessitatem inducere videtur. Determinatio enim finis infert determinationem mediorum ad finem. Vt siquis per decretum reprobationis ad damnationem prædeterminatus fuerit, ineuitabiliter etiam peccabit. Nam sine peccato damnari non poterit. Hinc Melancthon in locis communibus hoc decretum, Fatum Stoicum appellat. Et in Epistola quadam ad Peucerum hæc habet verba.* Scribit ad me Lælius de Stoico Fato vsque adeò litem Geneuæ moueri, vt quidam in carcerem conjectus sit propterea quod à Zenone differret. O misera tempora. *Hæc ille. Doctrina verò eorum qui absolutum Dei decretum asserunt, si penitiùs excutiatur, ipsa Stoicorum & Manichæorum doctrina durior videtur. Stoici enim necessitatem illam quam in actionibus humanis dominari volunt, à stellis deriuant. Manichæi a duobus principijs, vno bono bonorum, altero malo malorum omnium auctore. Præstat verò malarum actionum necessitatem & causam vel Naturæ cum Stoicis, vel malo cuidam principio cum Manichæis, quàm Deo summè & infinitè bono adscribere.*

Itaque si Anonymo credimus, vnus Caluinus Zenone irreligiosior, & furiosior Manete censendus est. Certè Manichæorum furores Caluino attribui nihil moror. Calumnia per se clarior & putidior est, quàm vt eam refutare necesse sit. Confitetur Anonymus inter doctrinam Caluini & Augustini sententiam de Prædestinatione nihil interesse. Quocirca si quid ille vitij ex portentosis Manichæorum erroribus traxit, Augustinus ipse culpæ participatione tenetur. Quî factum igitur vt nemo vel plura vel meliora vnquam scripserit aduersus istos hæreticos? Cur habitus est semper in Ecclesia non modò pro oppugnatore acerrimo, sed etiam pro felicissimo expugnatore Manichæismi? Qui nefanda illa mysteria & euoluit diligentissime, & mentis acie penitissimè penetrauit, non potuit deprehendere tantam

quæ ſibi cum illis intercedebat, affinitatem? Aut ſi ſenſit atque deprehendit, eam autem tegere ac diſſimulare voluit, fuitne oris tam duri, tam ferrei pectoris vt Manichæus ipſe apud Manichæos Manichæorum dogmata confutaret? Eoſne adeò fungos atque ſtipites eſſe cenſuit vt ita ſibi fucum fieri paterentur? Poſteritatem verò ſperauitne nares habituram vſqueadeò obeſas, vt nihil illi vnquam de fraude tam impudenti ſuboleret? Criminationem de fato Caluinus ſic olim repellebat ipſe. ” Sed dicis (alloquitur calumniatorem quendam) ” in vno articulo validiùs contra me pugnare multos quàm vt eorum ar- ” gumenta ex libris hactenus à me editis refelli poſſint. Hunc autem eſ- ” ſe dicis de Prædeſtinatione vel Fato. Vtinam vel modeſtè inquirere, ” vel ſaltem ingenuè diſputare tibi magis fuiſſet propoſitum, quàm om- ” ni pudore neglecto ad lucem extinguendam miſcere res diuerſiſſi- ” mas. Fatum vocarunt Stoici neceſſitatem ex vario & multiplici laby- ” rintho conflatam, quæ Deum ipſum quodammodo in ordinem coge- ” ret. Prædeſtinationem vt Sacræ Scripturæ docent, definio liberum eſſe ” Dei conſilium, quo & humanum genus & ſingulas mundi partes pro ” immenſa ſua ſapientia & iuſtitia incomprehenſibili moderatur. Quæ quia, niſi fallor, modeſtis ac minimè procacibus ingenijs ſatisfacere poſſunt, miror ab homine docto eandem crambem toties recoctam hîc adhuc reponi. Vt autem, ſi fieri poteſt, quibus tanta libido eſt Caluini doctrinam maledictis inceſſere, tandem aliquando quieſcant, age, rem paulo accuratiùs expendamus. Fatum, ex Stoicorum ſententia, vt memoratur à Cicerone, Gellio, Auguſtino, alijſque, vel ſitum eſt in æterna quadam & naturali ſerie rerum ita inter ſe natura ſua aptarum connexarumque, vt ex ea ſequantur rerum euentus & Deo ipſi immutabiles, & indeclinabiles creaturis. Quomodo Homerus vim deſcribit τῆς εἱμαρμένης, cuius inuictæ neceſſitati Iupiter ipſe ſit obnoxius. Nihil enim vel naſci, vel fieri, vel oriri arbitrabantur, quod non haberet certas cauſas antecedentes ab ipſa natura conſertas colligataſque æterno quodam & immutabili vinculo. Vel pendet ex influxu atque affectione ſiderum, res inferiores ac ſublunares tanta virtute regentium; vt nihil non ſit eorum imperio ſubiectum ineuitabiliter. Priorem illam fati rationem Chryſippus ita definiebat, referente Gellio. Eſt, inquit, εἱμαρμένη φυσικὴ σύνταξις τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. De poſteriore ſic Manilius,

*primique per artem,*
*Sideribus videre vagis pendentia fata.*

Vt autem duo ſunt genera rerum quibus fatum dominari putabatur; aliæ

Cicero lib. de Fato. Gellius libro 6. cap. 2. Auguſt. de Ciuitat. Dei l. 5. c. 8.

aliæ enim sunt rationis & voluntatis expertes, aliæ verò intelligentia præditę; sic fati vis, quæcunque tandem illa foret, ex Stoicorum opinione dupliciter se se in earum motione exerebat. Brutæ siquidem ac sui nesciæ naturæ extrinsecus impulsæ ita mouebantur, vt nihil ipsę ad motionem suam conferrent. Atque in ijs Chrysippus fati rationem satis explicatam se se tenere arbitrabatur. In reliquis, quia motus voluntarios habere videntur, æstuabat ille atque laborabat admodum, nec satis expedire poterat quo pacto necessitas consisteret cum ingenij humani libertate. Nihilominus eò deueniebat tandem vt diceret mentes hominũ proinde motũ persentiscere fati, vt sunt à natura benè vel malè constitutæ. Rectas nempe & affectas κατ' ἀρετὴν, aut ad id quod honestum est atque laudabile commodè à natura fictas, omnem illam vim quæ extrinsecus ingruit, inoffensè tractabiliterque transmittere. Distortas autem atque rudes & vitijs addictas, impelli quidem a fato, sed ita tamen vt voluntario impetu & suapte pronitate ad peccandum ruant. Atque ad eam rem adhibebat decantatam cylindri similitudinem, quem si protrudas in loca decliuia, habebit quidem à te principium motionis. At quod reliquum est, suapte vi & propria volubilitate mouebitur. Sic primam quidem ad actiones inclinationem esse putabat ab impulsione fati: in progressu, arbitrij ac voluntatis ductum ac moderationem agnoscebat. Ac propterea negabat audiendos esse eorum excusationes qui maleficiorum suorum culpam a se in fati necessitatem transmouent, aut Deos ipsos accusant tanquam peccatorum auctores: laudabatque magnopere versus Homeri in quibus Deos sic loquentes facit.

Ω πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.

Multa quidem & Chrysippus & reliqui Stoici de Prouidentia disputarunt, nec ignotum est quid in eam rem penè admirabiliter, pro captu hominis Ethnici, dixerit Balbus apud Ciceronem oratione illa qua omnia Naturæ diuinę nutu ac procuratione regi demonstrauit. At ista nihil ad rem nostram pertinent. Primum enim per naturam diuinã nihil aliud intellexisse videntur præterquã vim mentis atque rationis quandam per cuncta rerum ita diffusam atque permeantem, vt & terra, & cælũ, & in cœlo sidera singula portionem illius aliquam participarent. Nec illis Deus aliud esse putabatur præter Mundum ipsum, cuius vniuersitas rationis ac intelligentiæ compos esset, quique in sui totius conseruationem intentus incumberet, & in singula-

rum sui partium administratione via atque ordine progrederetur. Planè ad mentem Virgilij in illis versibus vulgo notis, Æneidos 6.

*Principio cælum ac terras camposque liquentes,*
*Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra*
*Spiritus intus alit: totamque infusa per artus*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Et Thaletis atque Anaxagoræ, qui auctore Aristotele lib. 1. de anima, & libro 1. Metaphys. putabant animam & mentem per vniuersam mundi compagem pertinentem atque permistam, mouere omnia, causamque in se inclusam continere cur se se optimè illa haberent; vsque adeò vt Thales omnia deorum plena esse affirmaret. Quem errorem, vti dignus est, Caluinus exagitat, ac damnat vt profanum & gloriæ numinis inimicum, Instit. lib. 1. cap. 5. § 5. Deinde nec ista quidem, qualis qualis est, de Pronœa Stoicorum doctrina cū eorumdem de fati necessitate opinionibus consentit. Vt certe excusari non possint quin turpiter lapsi sint non in falsas modo, & absurdas atque impias, sed etiam inter se discrepantes pugnantesque sententias. Nimirum si vis illa τῆς ἀνάγκης quæ naturaliter res omnes inter se conseruit, ex æternitate æquabiliter viget, quid reliquum factum est quod quotidiana Mentis diuinæ prouidentia administretur? Quando autem non virtute aliqua rationis prospicientis in futurum, sed insita rebus ipsis natura complicatio ista, ex illa hypothesi, ab æterno extitisse fingitur, quam partem sibi in eo negotio Pronœa vindicat, quæ neque dedit initium rei, nec in eius æterna constitutione quidquam valet aliorsum inflectere quàm quò ab omni æuo destinata est? Ideoque, vt supra commemorauimus, Iupiter ipse apud Homerum queritur se fatorum vinculis veluti constrictū teneri, vt dilectum suum Sarpedona non possit ad vitam reuocare. Si vero in sideribus vis omnis fati hærere statuitur, cum illa habeant motus suos ita ratos atque definitos vt ab omni æuo vnum tenorem immutabiliter conseruent, & præterea in res inferiores æquabiliter se se semper infundant, quem locum in eo Prouidentia potest obtinere? Verum quidquid illi de Prouidentia benè vel secus docuerint, de eo non quæritur. Hoc vnum in disquisitionem venit, quid illi de necessitate Fati iudicauerint, & quid habeat cum illo doctrina Caluini commune. Res autem omni difficultate vacat. Nam de vi siderum quid senserit manifestum est, cùm ex alijs locis tum ex elegantissimo doctissimoque libello quem scripsit aduersus Astrologiam Iudiciariam. Nec magis ipsa distant a terra cælestia illa corpora, quàm sententia

tentia præſtantiſſimi Theologi differt ab ea fati ratione. Ad alteram quod attinet, quis vſqueadeò frontem perfricuit vt phyſicam iſtam rerum omnium συμπλοκὴν & colligationem Caluino tribuere non erubeſcat? Quis vnquam vel ſæpiùs vel magis luculentè docuit omnia Dei voluntate gubernari, nihil eſſe in cælo & in terra, ne minutiſſima quidem, aut quæ minus videntur ad vniuerſi perfectionem pertinere, quod non pendeat ex eius nutu atque adminiſtratione quotidiana? Nam & voluit multa geri a prouidentia diuina citra vllum interuentum cauſarum ſecundarum, vt miracula & alia pleraque. Et illa ipſa quæ connexè conſertèque naſci videntur ex cauſis inferioribus, ab eadem pendere docuit, vt quæ res nulla ſępe naturæ neceſſitudine coniunctas, ſapientiſſime compoſuit & ad finem præſtitutum ordinauit. Ac denique eam & naturæ ipſi præſidere, & quæ fortuitò accidere putantur, diſpenſare, & creaturarum quæ ſua voluntate agunt, motus arcanis quibuſdam ſed ſapientibus rationibus regere ac moderari, ſexcentis locis confirmauit. Verum, illud ipſum eſt quod Anonymus culpat. Præſtaret, inquit, omnia fato Stoico agi, quàm ſic Dei prouidentiæ hominum animos ſubmittere. Arminius ipſe certè olim egerat aliquanto modeſtiùs, qui cùm ingenuè fateretur quidquid illud eſt neceſſitatis quod Caluini doctrina in religionē inducit, non eſſe fatum Stoicum, contentus eſt hoc in ea reprehendere, quod aliquā neceſſitatem inducit, haud minus inuictam quam ſi fatalis eſſet. Quod quidem concoquere non potuit: putauit enim omnem neceſſitatem ab actionibus humanis eſſe procul amouendam. Non eſt auſus tamen doctrinam quæ libertatem cum neceſſitate coniungit, excipere tam inclementer. Ego verò non poſſum non admirari ingenij humani proteruiam atque audaciam, quod niſi ſtatuatur actiones ſuas edere liberas ex ea libertate quæ omnem neceſſitatem excludit, Deum peccati ſtatim accuſare non pertimeſcit. Quaſi non eſſet in Deo tanta naturæ ſanctitas, tanta potentiæ efficacitas, tantaque ſapientia prouidentiæ, vt ipſe immunis à culpa creaturarum facultates, vel peccato corruptiſſimas, imperio ſuo regere queat & ſūma certitudine moderari. Verùm perpendamus rationes diſputatoris, & videamus quæ ſit prouidentiæ diuinæ vis in re de qua agimus, an ſit in ea quidquam quod cum fato affinitatem aliquā habere poſſit. Ac primùm de Electis. Finis, inquit, determinatio mediorum determinationē infert. Eſto: quid tum poſtea? Sequetur ergo vt Deus media ad ſalutem certò determinauerit. Maximè. Ergo credent neceſſariò. Vtique. At neceſſitas illa fatalis eſt. Carneadeam ſubtilita-

In Declar. ſentent

tem! Primò. prouidentiæ diuinæ & eius efficacitati fides aſſignatur, non fato. Deinde vi prędeſtinationis fides in electorum cordibus ita generatur, vt cum neceſſitate futuritionis, vt ita dicam, iuncta ſit ſumma libertas. Eſt enim triplicis generis neceſſitas. Vna, quæ eſt à natura bruta, cuius appetitus ita ſunt ad vnum determinati, ſeu vis illa ſit materiæ, ſeu formæ, ſeu vtriuſque coniunctim, vt res ſemper eodem modo moueantur, nec motionis ipſæ ſuæ rationem cognitam habeant, neque ſciant in quem finem aut in quod obiectum ferantur. Sic grauia neceſſariò deorſum tendunt, & leuia ſurſum: Sic neceſſariò ignis vrit, & Sol lucet, & ferrum magnetem ſequitur, aut attrahitur à magnete. Atque ad id genus referri debet neceſſitatis illa ſpecies quæ in brutis animantibus apparet, cùm objectis impelluntur ſanè, qua in re differunt à natura rerum quæ ſenſu deſtituuntur, & mouentur ſpontaneè & nonnunquam neceſſariò: at non tenent tamen, neque rationem objecti, neque modum ſuæ ipſorum commotionis, ſed rapiuntur inconſulto ac temerario impetu, citra vllam præuiam cogitationem & ratiocinationem animi. Vnde fit vt præſentibus feriantur tantum modò, futurorum nullam præſenſionem habeant, præteritorum verò memoriam vel nullam vel exiguam & euanidam. Altera, quæ eſt à principio externo, & cuius vis ita in rem patientem ingruit, vt quantumuis obnitatur atque obſiſtat, attamen cedere cogitur, quia quod impellit viribus plus pollet quàm quod renititur impellenti. Quam neceſſitatem quæ patiuntur, ſi ſunt iudicio ac voluntate prædita, ægrè ferunt; ſin minus, non ægrè ferunt quidem, niſi κατὰ μεταφορὰν (nemo enim propriè dixerit lapidem inuito atque iniquo ferre animo vt in ſublime jaciatur) obſequuntur tamen ita vt quantum viribus poſſunt, contra tendant, nec tendere deſiſtant etiamſi à vi maiore ſuperentur Sic ventus & nauim impellit inuitam κατὰ μεταφορὰν; quia niſi flaret quieſceret illa naturæ ſponte; & nautam itidem inuitum, ſi ſit aduerſus, ſed κυρίως, quia cùm in Orientem curſum dirigere forte percupiat, vi procellę abripitur in Occidentem. Tertia eſt à conuenientia quadam atque proportione quæ à natura intercedit inter facultates ratione ac voluntate præditas, & objecta cum facultatum ingenio congruentia. Sic intellectus naturæ conuenienter conſtitutus, verum clarè ac dilucidè propoſitum neceſſariò peruidet, nec omnino poteſt oblatum accõmodatè non peruidere. Quæſo enim quis mentis compos à ſe impetret quin credat propoſitionem iſtam eſſe veram, *ſi ex æqualibus æqualia demas, reliqua futura ſunt æqualia?* Aut ſiqua ex eo principio euidens & aperta

perta demonſtratio eliciatur, quî pote vt mens benè comparata aſſenſum ab illa inhibeat? Sic etiam voluntas neceſſariò fertur in ſummum bonum. Omnes enim ſummum bonum appetunt. Quæ autem ſemper & vbique fiunt eodem modo, cauſam procul dubio habent, auctore Ariſtotele, neceſſariam. At cauſa illa neque brutus eſt ac ſui neſcius impetus, neque vis extrinſecus irruens, quæ inuitum atque reſtitantem ad ſummi boni perſecutionem adigat. Eſt certa quædam atque ineuitabilis conuenientia, qua objectum tale, & talis facultas inter ſe conſentiunt: id nempe quod per ſe & omni modo expetendum eſt, & vis appetendi quæ eſt in natura ratione prædita, quâ tali. Sic denique vtraque illa facultas, quæ que pro ſuo ingenio, benè affecta, & de medijs ad ſummum bonum ducentibus rectè iudicat, & rectè dijudicata atque agnita neceſſariò amplectitur. Fieri enim certè nequit, quod diſputator noſter vltro fatebitur, vt ſit appetendi finis extremi neceſſitas aliqua prorſus indeclinabilis, mediorum vero quæ ad eius conſecutionem pertinent eligendorum omnino nulla. Siquidem vt media non expetuntur niſi propter finem, ſic etiam finis non poteſt expeti, quin media propter eum appetantur. Itaque ex pluribus propoſitis medijs, quod videbitur commodius, facilius, efficacius, & magis indubitatum, præferetur haud dubiè & voluntatem ad ſe alliciet neceſſariò. Quod ſi multa ſe ſe offerant inter quæ ſit optio & electio difficilis, quia videntur æque commoda, & vi ad rem efficiendam pari pollere, præponetur vnum tamen, neque hærebit aut pendebit diu animus in ancipiti æſtimatione. Non quod fortaſſe alterum altero ſit melius, ſed quod finis non poſſit aliter obtineri. Fertur autem animus in finem ita vt nequeat reprimere τὴν ὁρμήν. Quamobrem neceſſe eſt vt ſe ſe ad vnam quandam rationem inflectat, per quam eò perueniatur. Si vero vnum tantum medium occurrat, cuius id ope fiat (vt eſt ſanè fides in Chriſtum vnica ad ſalutem via) pari cum fine neceſſitate mouebit appetitum & determinabit ad ſe. Illuminat ergo Deus intellectum, flectit voluntatem, facit vt velit, vſqueadeò potenter afficit vt non poſſit non velle. At neque ſuæ ipſius motionis planè neſcia eſt, vt quæ ſuopte pondere ſidunt ad centrum; neque verò cogitur: nam quid voluntatem cogere poteſt vt velit? Vult non modò ἑκουσίως vt loquitur Ariſtoteles, ſed etiam μετὰ προαιρέσεως, commota ſcilicet eo objecto quo non poteſt non commoueri, permota ijs argumentis, quæ etſi certiſſimè ac maximè indubitanter perſuadent, ſunt tamen ad naturam intelligentiæ & voluntatis noſtræ accommodatiſſima.

Quod si necessitas istiusmodi fatalis est, & Deum ipsum fato sanctum esse dicendũ est, quia non potest non esse sanctus: & Angeli fato boni sunt, quia desciscere à bonitate nonpossunt: & fatum in vita futura regnaturum est, in qua peccato locus omnino nullus esse potest: & Dominus noster Iesus fato virtutem ac sanctitatem coluit, quem nemo qui sit verè Christianus, dixerit potuisse vnquam peccare. Nam Arminij discipuli nonnulli quidem nefandam illam vocem emittere non exhorruerunt, nihil prohibere quominus dicamus eam fuisse in Christo facultatem, vt peccatum posset admittere. At neque Arminius, quantum meminisse possum, id vsquam scripsit, neque vulgo qui errores illius alioqui mordicus tenent, hanc sententiam blasphemiæ proximam tueri audent. Illi quibus tanta est audacia, id habent ex affrictu Socini, cuius impium dogma suam Christo deitatem eripit, eumque redigit ad merè hominum sortem, quos arbitrij leuitas & imaginaria illa in vtramque partem indifferentia peccato reddit obnoxios. Reliqui quos hominis impurissimi halitus non æquè vitiauit, eam laudem Christo non derogant, quin immunis fuerit non à peccato tantùm, sed etiam à facultate pecandi; quæ sane facultas non est, sed summa ἀδυναμία. Fuit igitur Dominus noster ita comparatus, vt prorsus contingere nequiuerit quin patri obediret in omnibus, præsertim verò quin ei obtemperaret iubenti vt vitam in cruce pro salute nostra poneret. Quamobrem si quod necessarium est atque infallibile est illico fatale, non modo Christus vt supra diximus, fataliter sanctus fuit, sed etiam fato redempti sumus.

De reprobis res non est minus perspicua. Nam finalem impœnitentiam sequitur quidem damnatio infallibiliter. At infallibilitas illa ex fato non est, sed ex ordine iustitiæ. Nec ipsi Arminij discipuli negauerint induratos & qui obstinato animo in peccato permanent vsque ad vitæ finem, die nouissimo iustissimè puniendos esse. Quod autem ex ordine iustitiæ fit, quis id fato fieri affirmauerit? Nisi etiam diabolorum pœnas fato adscribere libeat, quæ illis certò ac infallibiliter impendent. At reprobationem impœnitentia finalis etiam necessariò sequitur. Quidni? Idcircone, sequitur fataliter? Simili de causa malos angelos dixerimus esse fato in malo pertinaces, quia sunt prorsus inemendabiles in æternum. Quemadmodum enim Deus immutabiliter apud se constituit diabolos non modò non reuocare ad pœnitentiam, sed ne inuitare quidem, ex quo sequitur peccandi necessitas ineuitabilis; sic etiam reprobos ad pœnitentiam inuitare decreuit quidem; at quia decreuit item vim illam in ijs non

exercere

exercere, quæ ſola efficere poteſt vt inuitationibus obſequantur, æque ineuitabile eſt vt permaneant in peccato. Quamobrem vel neutra vel vtraque iſtarum rerum fatum habet. Cur autem id ſic Deo libuerit nunc non quæritur. Satis eſt quod demonſtrauimus in eo negotio nihil eſſe fatale. Quod vt adhuc manifeſtius euadat, & vel cæcis ipſis appareat quàm pulchrè conueniat iſti neceſſitati cum libertate, libertatem etiam diſtinguamus. Vel igitur dicimur liberi reſpectu actionum quę pendent ex illis facultatibus in quas voluntas dominatur, vt eſt vis ſe ſe ferendi ex vno loco in alterum, & ſiquæ ſunt aliæ eiuſmodi, quæ niſi morbus aut vis aliqua impediat, voluntatis imperio pareant. Vel liberi nuncupamur reſpectu actionum voluntatis ipſius, in quas in ipſa volũtate nullum eſt imperiũ. Nam voluntas ſanè ſibi non imperat ipſi vt velit. Fingamus enim eam ſibi imperare vt velit, actus ille proculdubio per quem id ſibi imperabit, volitio erit aliqua. Volet igitur voluntas vt velit: quo nihil dici poteſt ineptius. Tum quæretur an voluntas imperium habeat necne in actum illum per quem ſibi ipſi fingitur imperare vt velit. Nam ſi habet, imperium iſtud non poteſt aliter exercere quàm per aliquam volitionem. Volet ergo vt velit vt velit, vel imperabit ſibi vt imperet vt velit. Id verò præter ineptiam atque abſurditãm inauditam, hoc incommodum habebit, quod vbique fugit Ariſtoteles tanquam ſcopulum, vt res abeat in infinitum. Si non habet, erit certè aliquis actus voluntatis in quem voluntas ipſa nullum imperium obtinebit. Quid autẽ attinet vt eam fingamus imperare ſibi poſſe vt velit, ſi non poteſt imperare vt imperet? Nam ſi volitio illa quam actio immediate ſequitur, pendet ex altera quadam volitione antecedente, volitio ipſa antecedens vnde pendebit? Demonſtrauimus enim iam non pendere ex alia quadam tertia volitione. Aut igitur cauſam nullam habet; aut ſi habet, cauſa illa eſt alibi quàm in voluntate. Etenim dici non poteſt voluntatem ipſam eſſe ſuæ ipſius volitionis cauſam. Nam voluntas conſideratur vel ἐν δυνάμει, & quatenus eſt δύναμις, vel quatenus eſt ἐν ἐνεργείᾳ. Si conſideratur poſteriore hoc modo, iam actu vult. Quærimus autem cauſam cur actu velit. Si priore, cùm id quod eſt ἐν δυνάμει tantùm, ſemetipſum in actu non cõſtituat, qui pote vt voluntas quæ eſt merè δύναμις ſe ſe in actum ſine vlla alia cauſa produxerit? Omnino igitur neceſſe eſt vt ſit aliquid extra volũtatem, cuius in poteſtate voluntas ipſa ſit. Poterit ergo illa quidem imperium habere in facultates inferiores; in ſemetipſam verò & proprias volitiones, nullum. Quanam igitur in re conſiſtit

noſtra libertas? Nimirum reſpectu actionum quæ proficiſcuntur ex facultatibus voluntati ſubditis, tum liberi ſumus cùm facere poſſumus quod volumus. Ideoque definitur à Stoicis libertas, *facultas faciendi quod velis.* Nam exempli gratia, qui cruribus truncatus aut morbo præpeditus eſt, liber non eſt quod attinet ad eam actionē quæ poſita eſt in inceſſu. Nec qui vinculis diſtinetur, nec omnino qui eatenus non eſt in ſui poteſtate. Liber contra ille eſt, cuius actioni, ſi eam exercere velit, nullum poſitum eſt impedimentum. Reſpectu actionum quæ ex ipſa voluntate prodeunt, libertas ſita nequit eſſe in facultate volendi quod velis: Nam quid illud eſt? Poſita igitur erit in eo quod id quod vis, ſponte vis, atque adeò deliberatò. Itaque duo iſta ſemper coniungit Ariſtot. vt eæ noſtræ propriè actiones cenſeantur, quæ non ſunt ab appetitu naturali, vt eſt motus grauium deorſum, aut ὄρεξις cibi in ſtomacho, aut id cuius vis atque ratio reſidet ἐν τῷ θρεπτικῷ: non item quæ ſunt à vi aliqua extrinſeca; ſed quæ fiunt ἑκουσίως καὶ μετὰ προαιρέσεως. Vſqueadeò vt actiones illas quas partim ἑκόντες, partim ἄκοντες edimus, quæque ideo à Philoſopho mixtæ eſſe dicuntur, (vt eſt iactus mercium in mare, nauis leuandæ cauſa, ingruente tempeſtate) ab eo quidem, ſi abſolutè in ſe ſpectentur, appellentur inuitæ; at ſi conſiderentur in eo ipſo quo eduntur temporis articulo, ſpontaneas & liberas eſſe ille iudicet. Nam vt nemo, ſi nulla vis tempeſtatis vrgeat, merces ſuas in aquam animi gratia iactauerit: ſic quod aliquis eas iactat leuandæ nauis & vitæ conſeruandæ cauſa, id facit tum volens, & conſilio deliberato; quia quouis modo vitam redimere ſatius eſt.

Conſiſtit autem cum vtraque illa libertate neceſſitas. Ac cum priore quidem. Fac enim aliquem velle ambulare, & præditum eſſe membris ac facultatibus ad eam rem à natura conceſſis, neque diſtineri morbo, neque vinculis eſſe conſtrictum, neque quauis alia re impeditum, & liberè, & tamen neceſſariò ambulabit. Liberè, quia id facit ſponte ſua & volens, non coactus. Neceſſariò, quia ne fingi quidem animo poteſt, vt id velit ſeriò, & queat, & tamen non faciat. Quod Ariſtoteles exſertè docuit in illis verbis. ἡ μὲν γὰρ καθ' ὅλου δόξα, ἡ δ' ἑτέρα περὶ τῶν καθ' ἕκαστά ἐστιν, ὧν αἴσθησις ἤδη κυρία· ὅταν δ' μία γένηται ἐξ αὐτῶν, ἀναγκὴ δ συμπερανθὲν, ἔνθα μὲν φάναι τὴν ψυχὴν, ἐν δ' ταῖς ποιητικαῖς πράττειν εὐθύς. οἷον εἰ παντὸς γλυκέος γεύεσθαι δεῖ, τουτὶ δ' γλυκὺ, ὡς ἕν τι τῶν καθ' ἕκαστον, ἀναγκὴ τὸν δυνάμενον, καὶ μὴ κωλυόμενον ἅμα τοῦτο καὶ πράττειν. Hoc eſt. *Eſt enim opinio alia de rebus vniuerſis, alia verò de ſingularibus, in quibus ſenſus dominatur. Vbi autem ex duabus illis vna effecta eſt,* NECESSE *eſt animam affirmare atque enunciare id quod concluſione comprehenditur: in ijs autem*

Ethic. 7. cap. 3

quæ


*quæ sub actionem veniunt, statim agere. Vt si omne dulce gustandum est, hoc autem dulce, tanquam vnum quid de singularibus, NECESSE est eum qui possit, quique non prohibeatur, statim cum dicto agere.* Consimilia habet libro de motu animantium cap. 3. Et Metaphysicorum lib. 9. cap. 5. atque alibi. Cum posteriore itidem. Quando enim libertas propriè sita est ἐν τῇ προαιρέσει, quæcunque volitio, vel si maximè necessaria sit, nascetur ex antecedente præelectione, libera erit. Nasci autem volitionem necessariò ex præelectione, & ipsa comprobat experientia, & Aristoteles docuit verbis suprà à me citatis. Nam sanè mel nemo deliberatò gustat nisi volens. Itaque necesse est gustationem ipsam ab aliqua volitione præcedi. Gustationem autem statuit Aristoteles esse necessariam. Ergo & volitio ipsa quæ antecedit, necessaria est. Nascitur autem ex eo quod ex duabus illis propositionibus *dulce gustandum*, &, *hoc dulce*, vna fit; quod nihil aliud est quam προαίρεσις. Quamobrem volitionem illam προαίρεσις necessariò generat. Aut igitur est aliqua necessitas extra fati rationem, aut necessitas quæ est à προαιρέσει fatalis est. Quod nemo vel dixerit vel cogitauerit qui teneat quid sit fatum, vt est à nobis supra breuiter explicatum. Nam Augustinus certè quidem testatur se non multum abhorrere à nomine Fati, si nihil aliud denotare dicatur præter sapientissimam certissimamque Dei prouidentiam. At illi si Arminij discipuli omnia submitterent vti par est, & mentes ac voluntates hominum ex eius nutu atque arbitrio suspenderent, de verbis nulla forte inter nos disceptatio foret. Pateremur æquo animo vt exacto è Religionis finibus vocabulo, se se fatum ipsum destruxisse gloriarentur. Vt autem, quod nimis aperte faciunt, voluntatem humanam Prouidentiæ Dei gubernationi subtrahant, sententiam illam quæ omnia [illegible]tissimo Dei consilio geri statuit, per dedecus atque contumeliam fatum appellent, id verò est quod nulla lenitas, nulla indulgentia pati potest. Vt enim illud superioribus addamus, quid simile habet vis spiritus quæ nos à peccato conuertit cum fati appulsu quem supra descripsimus? Hic in animos humanos vel naturæ bonitate vel studio atque exercitatione ad virtutem per se propensos incidere putatur; illa homines corruptos & inextricabili peccato inuolutos reperit. Hic iuuat tantummodo inclinationem ad bonum, adeò vt actionum secundum virtutem laus penes arbitrium humanum præcipua resideat: illa vni Deo laudem nostræ conuersionis vindicat. Hic merè physicus est, & mentes sic impellere fingitur vt manus ad cylindrum applicata, qui motionem ipse suam non sentit; illa

ſuauiter in mentes illabitur, & luce ſua ita perfundit vt pulcherrimum ac plane diuinum objectum adſpiciant & agnoſcant; vnde oritur motus & ſui ipſius intelligens, & incredibili cum voluptate coniunctus. Reprobi verò cur conquerentur ſibi à Deo impoſitam eſſe fatalem neceſſitatem? Chryſippus enim etſi peccatorum culpam à fato ſeiungere conabatur, fatebatur illa tamen eſſe aliquatenus ab impulſione extrinſeca. Deus autem reprobos non impellit ad malum, non poſitiua quadam actione indurat, ſat habet eos ſibi permittere, ſuapte natura in peccatum pronos atque præcipitantes. Tum, quando tanta benignitate erga reprobos vſus eſt, vt eos vocauerit ad pœnitentiam, propoſita ſpe veniæ & beatæ immortalitatis, ſi modò credere ac reſipiſcere vellent, quænam illis fuit vel pereundi vel non credendi neceſſitas quam ipſi ſibi non debeant imputare? Ad ſalutem obtinendam vna fuit illis neceſſaria fides. Ad fidem præſtandam hinc crux Chriſti pro objecto requiritur, inde mens docilis, non refractaria, non addicta vitijs, non peruerſis affectibus mancipata. Illam ſumma Dei clementia, non obtulit modo ſed & ingeſſit identidem & aſſiduis adhortationibus inculcauit: hanc quominus ipſi præberent quid obſtitit præter vnam malitiam inuictam & immedicabilem? Hoccine igitur ferendum eſt, vt qui tanta pertinacia ſuauiſſimis inuitationibus reſtiterunt, vel Dei ſeueritatem accuſent, vel malitiam ſuam excuſatione dignam eſſe pertendant tanquam ineuitabilem atque fatalem?

Quod Anonymus narrat Melancthonem in Locis Communibus Caluini doctrinam Stoicum fatum appellaſſe, nos non debet magnopere mouere. Vel de doctrina Caluini, quem non nominat, locutus non eſt; vel eam non intellexit; vel ſi intellexit, iniurioſus hac in parte fuit, qui veram ſententiam & Scripturæ auctoritate ſuffultam, appellatione famoſâ dedecorare veritus non eſt. De Epiſtola ad Peucerum nihil ſtatuo, quia eam videre mihi non contigit. Nec Arminius, qui primus omnium, niſi me fallit animus, illius mentionem fecit; nec Anonymus qui Arminium ſecutus eſt, vbinam extet indicarunt. Certè non comparet in operibus Melancthonis Baſileæ editis 5. volum. centeſimus ab eo iam annus agitur: nec in opuſculis adiectis ad Corpus doctrinæ Chriſtianæ, Lipſiæ editum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo. Monebo lectorem duntaxat, Caluinum in Epiſtola qua librum de Prędeſtinatione Syndicis Senatuique Geneuenſi dicauit, hæc ſcripſiſſe. Sparſus multis in locis fuit rumor, duris eum (qui quæſtionem de Prædeſtinatione moueat, & Ec-
clesiam

In Declar. ſent. ſuæ.

clesiam Geneuensem turbauerat nebulo quidam) vinculis constringi, quum per medium forum quotidie volitare licuerit. Quàm malignè etiam finxerint virulenti quidam homines ad capitis supplicium à nobis eum exposci, vos nobis optimi estis testes. Tales calumnias donec euanescant contemptu & tranquilla animi magnitudine refutare, grauitatis & prudentiæ est. Vt minimè dubitandum sit quin Melancthon, homo ad credendum paulo fortè facilior, calumnijs istis in fraudem induci potuerit. Quod si eadem illa historia est quæ recitatur a Beza in vita Caluini, ad annum exeuntem M.D.LI. (eadem autem procul dubio est; nam tempora congruunt. Siquidem Epistola dedicatoria libro de Prędestinatione præfixa, data est anno M.D.LII. Calend. Ianuar.) vir maximus est extra omnem culpam. Coniectus enim certe quidem fuit in carcerem Hieronymus Bolsecus, primum monachus è societate Carmelitarum, deinde puriorem religionem falsò ac per simulationem amplexus, ac denique desultoria & in eo genere solita leuitate ad Pontificiam reuersus. Coniectus inquam ille fuit in carcerē, & cùm acerrima coërcitione dignus esset, contentus est Magistratus Geneuensis ex vrbe eum eijcere, grauiorem pœnam interminatus, si vel Geneuæ, vel in ditione Geneuensi deprehenderetur. At id factum est, non quod à Caluino dissentiret, sed quòd cùm esset merè Pelagianus, se se continere non potuerat quin publicè in veritatem debaccharetur, & turbas concitaret quieti publicæ periculosas. Nec id factum instigatione Theologorum; sed instinctu atque auctoritate Magistratus, cuius est tranquillitati Reipublicæ prospicere. Neque verò vicinis inconsultis; sed postquam Senatus Ecclesiarum Helueticarum sententiam ~~Magistratus~~ percontatus esset. Infeliciter autem cecidit illa Geneuensium erga Bolsecum, hominem impurissimum, lenitas, in quem si pro meritis animaduertissent, libellum non edidisset in quo per inauditam audaciam & impudentiam incredibilem, genus omne calumniarum in Caluinum aliquot post annis euomuit.



# CAPVT V.

## *Caluini doctrinam S. Scripturæ non repugnare.*

TANDEM Anonymus ad Scripturæ testimonia venit, cui siquid à Caluino scriptum esset quod repugnaret, & scriptum ipse nollet, & nos vltro relinqueremus indefensum. Rem igitur attentè ponderemus, *Isti doctrinæ*, inquit disputator, *S. Scripturæ maximè repugnare videtur, idque varijs in locis.* Vt Ezech. 33. 11. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. *Et ne quis dictum putet tanquam de peccatore resipiscente, legatur etiam Ezech.* 18. 32. Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus. *Hoc in loco illi quorum perditione non delectatur Deus, sunt impij, qui propter rejectionem gratiæ moriuntur. Quod si ne eorum quidem morte delectatur Deus, multo minus hominum aut innocentum aut peccatum solum originis habentium.* Cupit verò Deus credi sibi, *inquit Tertullianus*, O beatos nos quorum causa Deus iurat! O miserrimos si nec iuranti Domino credimus! *Certè si ne impiorum quidem morte delectatur Deus, fierine potuit vt ex mera voluntate vel absoluto aliquo decreto, sine respectu habito ad opera præuisa, tot millia hominum in peccato Adæ iacentium pœnarum æternarum necessitati ineuitabili reseruaret?*

Operæpretium est audire Caluinũ ipsum loca ista interpretantem, vt eius aduersarij videant de ijs quid senserit. Et quia Comment. vsque ad cap. 33. Ezech. non perduxit, eius interpretationem ex similibus locis desumamus. Sic igitur ad Ezech. 18. 31. 32. *Proijcite à vobis omnes iniquitates in quibus iniquè egistis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum; & quare moriemini, domus Israël? Quia non oblector morte morientis* (hoc est, inquit Caluinus, eius qui perit) *dicit Dominator Iehoua: conuertimini itaque & viuite.* Iterum hortatur Ezechiel po-
„ pulum vt omissis querimonijs agnoscat nullum esse remedium suis
„ malis, nisi vt se reconciliet Deo. Id autem fieri non poterat nisi resi-
„ pisceret. Neque enim Deus frustra infestus erat, aut iniustè more
„ hominum odio innoxios prosequebatur, & nihil tale meritos. Hic
„ autem Deus suscipit personam dolentis, quare moriemini, inquit,

domus

domus Israel? Videmus ergo vt Deus falsum illud probrum à se reijciat quo grauabant eum filij Israel cùm dicerent se perire immodico eius rigore, nec reperire causam cur ita in eos seuerus esset. Pronunciat ex opposito causam mortis esse penes ipsos: deinde ostendit remedium, vt vitam in melius mutent, neque id tantùm externa specie, sed vt sinceritas cordis respondeat: & simul testatur se fore illis exorabilem; imò sponte occurrit vt se reconciliet, modò resipiscant ipsi ex animo & non fictè. Et in vers. 23. eiusdem capitis, *An cupio cupiendo mortem impij*, &c. Confirmat Deum nihil magis cupere quàm vt quicunque peribant, & ruebant in mortem, redeant in viam salutis. Et hac etiã de causa non modo hodie Euangeliũ promulgatur in mundo, sed omnibus sæculis voluit Deus testatũ esse quàm propensus sit ad misericordiam. Nam profani quãuis Lege & Prophetis carerent, tamen semper gustu aliquo huius doctrinæ fuerunt prædìti. Verum quidem est suffocatam fuisse multis erroribus, sed reperiemus semper arcano impulsu fuisse adductos ad petendam veniam, quia hic sensus quodammodo ingenitus illis erat, Deum esse omnibus qui ipsum quærunt, placabilem. Cæterum, clariùs id Deus in Lege & Prophetis testatus est. In Euangelio autem scimus quàm familiariter nos compellet vbi promittit nobis veniam. Et hæc est scientia salutis, amplecti misericordiam eius, quæ nobis in Christo offertur. Sequitur ergo verissimum esse quod nunc dicit Propheta, Deum nolle mortem peccatoris, quia occurrit sponte, & non tantum paratus est excipere eos omnes qui ad eius misericordiam confugiunt, sed alta voce ipsos ad se reuocat, cùm videt quasi alienatos esse ab omni spe salutis. Atqui notandus est modus quo Deus vult omnes homines saluos fieri, nempe vbi se converterint à vijs suis. Deus ergo non ita vult omnes saluos fieri, vt discrimen omne tollat boni & mali: sed præcedit veniam pœnitentia, quemadmodum hîc dicitur. Quomodo ergo vult Deus omnes saluos fieri? nempe quia Spiritus hodie per Euangelium sicut olim per Legem & Prophetas, mundum condemnat de peccato iustitia & iudicio. Deus ergo patefacit hominibus quàm miseri sint, vt ita se ad ipsum recipiant: vulnerat vt sanet: occidit vt viuificet. Tenemus itaque nunc Deum nolle mortem peccatoris, quia omnes indifferenter ad pœnitentiam vocat, & promittit se paratum fore ad eos recipiendos, modò seriò resipiscant. Nunc si quis obijciat nullam igitur esse electionem Dei quâ certum numerum ad salutem prædestinauerit, responsio in promptu est, nempe hîc Prophetam verba non facere de arcano Dei consilio, sed tantùm re-

„ uocare miseros homines à desperatione, vt spe veniæ conceptâ, amplectantur salutem sibi oblatam, & ita resipiscant. Quid Caluinus crediderit de causa exitij hominum, quid de Dei procliuitate ad clementiam, satis, ni fallor, ex illis verbis liquido constat. Quomodo ista loca cum doctrina de absoluto Reprobationis decreto conciliet, postmodum fusiùs explicabitur. Hoc tantùm ab Arminij discipulis impetratum volumus, vt ne amplius existiment Deum ex Caluini sententia, hominum morte per se delectari. Vt enim id est à veritate alienissimum, sic semper fuit à mente incomparabilis Theologi longissimè remotum. Certè non delectamur nisi ijs rebus quas amamus, neque quidquam amamus nisi vel quatenus finis est, vt τὸ καλὸν ἢ τὸ ἡδὺ, vel quatenus est medium ad finem, vt est τὸ χρήσιμον, auctore Aristotele. Et τὸ τέλος quidem amamus καθ' αὑτό: media verò διὰ τὸ τέλους. Iam autem mors peccatoris quatenus est mors, neque est ἀγαθὸν seu καλόν τι, neque verò ἡδύ. Non καλόν: nam non habet rationem boni moralis. Non ἡδύ. Quam enim voluptatem Deus ex hominum morte capere potest? Illi soli ex aliena morte voluptatem capiunt quos ira efferauit & supra modum perturbauit cupiditate vindictæ. At in Deum nulla perturbatio, nulla iræ impotentia cadit. Itaque si Deus vult mortem peccatoris, vult tanquam medium ad finem duntaxat, & sic eâ non delectatur nisi κατὰ συμβεβηκός; quatenus nempe per eam satisfit legi diuinæ hominum peccato violatæ. Hîc autem meminisse oportet eius rei quam supra diximus, aliud esse damnationem, aliud verò reprobationem. Damnatio enim est actus Dei Iudicis, pronunciantis hominem esse dignum pœna propter incredulitatem & impœnitentiam, quam pronunciationem pœnæ ipsius irrogatio sequitur. Reprobatio non est actus Dei propriè vt est Iudex, sed vt est summus rerum Dominus, qui dona sua vel largitur vel negat pro liberrimo arbitrio. Ita vt donum fidei reprobis denegauerit quidem iustè. Nihil enim in ea re iniustè fecit; digni scilicet erant qui prætermitterentur. Non denegauerit tamen in pœnam incredulitatis & impœnitentiæ, quæ sequi reprobationem, non autem antecedere tanquam impulsiua causa, concipitur. Incredulitatem & impœnitentiã Deus non potest non punire, illæsa iustitia. Quod quia Socinus ipse concessit, Arminij discipuli non negauerint. At reprobos non repudiare potuit sine iustitiæ detrimento, quando nulla causa fuit cur eos potius quàm electos reijceret, præter vnum ipsius beneplacitum. Rectè enim dictum est à doctissimo Grotio alicubi, nonnulla fieri iustè quæ tamen non iniustè omitti queunt. Qui reum punit, iustè id facit.

Eth ad Nicom lib. 8. cap. 2.

Incidunt

Incidunt tamen aliquando res & tempora, quibus reo parci potest clementer & non iniustè. Qui debitum reposcit, iustè agit. Id tamen liberaliter remittere potest si libet, citra iniustitiam. Et qui dat eleemosynam negare fortè iustè potuit, cum tamen eam dare etiam potuerit misericorditer, ἢ μὴ ἀδικῶν. His ita explicatis manifestum est Deum in reprobatione non modò delectatum non esse morte peccatoris per se, sed ne quidem per accidens. Non enim in reprobatione agitur de morte irroganda, sed de fide denegandâ. Quamobrem Anonymus frustrà veluti admirabundus interrogat, fierine potuerit vt Deus ex mera voluntate vel absoluto aliquo decreto, sine respectu ad opera præuisa, tot millia hominū in peccato Adæ iacentium, pœnarum æternarum necessitati ineuitabili reseruaret. Ea partim falsò partim inuidiosè in Caluinum dicuntur. Falsò, quia nusquam reseruationem illam ad exitium æternum retulit ad meram Dei voluntatem, respectu ad peccatum seposito. Inuidiosè, quia peccatum illud Adæ, in quo iacent qui dānantur, non explicat Anonymus quem locum habeat in decreto damnationis, ex Caluini sententia. Id autem infra diligentiùs examinabimus. Pergit autem ille sic.

Luc 19. 10. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. *Venit ergo ad omnes homines seruandos, quia omnes homines perierant. Quod cum absoluto illo multos reprobandi decreto consistere non potest.*

Nisi Caluini sententiam defendere mihi vnicè propositum esset, possem respondere Christum non dicere venisse filium hominis saluum facere *id omne* quod perierat. Absque quibus verbis Anonymi ratiocinatio claudicat. Nam si vnum tantummodò hominē Christus redemisset, obsecro nonne saluum fecisset id quod perierat? Verum Caluinus aliter se se tuetur. Nam in hunc locum quidem cōmentatus est paucissimis his verbis. Ne superior vita Zachæi (qui princeps erat Publicanorum) ianuam salutis ei videatur clausisse, ab officio suo ratiocinatur, nihil in hac mutatione esse quod quenquam offendere debeat: qui missus à Patre fuerit ad seruandos qui perditi sunt. At facile est ex alio loco supplere quod respondisset si rem fusiùs explicare voluisset. Sic igitur loquitur lib. de Prædestinatione. Cum speciali electione congruere non videtur quod Christus totius mundi Redemptor omnibus promiscuè Euangelium prædicari iussit. Atqui Euangelium legatio est pacis quâ reconciliatur mundus Deo, vt Paulus docet: & eodem teste, annunciatur vt qui audiunt, salui fiant. Respondeo breuiter Christum sic toti mundo or-

» dinatum esse in salutem, vt eos seruet qui à Patre illi dati sunt; eorum
» sit vita quorum est caput ; eos in bonorum suorum societatem reci-
» piat quos sibi Deus gratuito beneplacito hæredes adoptauit. Non ergo sanè Caluinus negauerit Christum ad omnes homines seruandos venisse, modo credant: negauerit tantum inde sequi nullam fuisse quibusdam hominibus prærogatiuam indultam, quæ reliquis concessa non est, nempe vt reuera credant.

Anonymus sic progreditur. Ioann. 15. 22. si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. *At verò si vera esset illa sententia de absoluto decreto, excusationem habere viderentur satis validam; nempe impotentiam suam inuincibilem, ex eo quod Christus pro ipsis non venerit, quod Deus in ipsis efficaciter operatus non fuerit, quod absoluto Dei decreto ad mortem æternam prædeterminati fuerint.*

In tribus igitur Anonymus reproborum excusationem constituit. In eo quod absoluto decreto Deus ad mortem eos prædeterminauerit. In eo quod Christus pro ipsis non venerit. In eo quod in ipsis Deus efficaciter operatus non fuerit: Vnde fit vt in illis sit ad credendum impotentia quædam inuincibilis. De primo iam respondimus nusquam à Caluino scriptum esse, prædeterminationem ad mortem æternam, quæ propriè damnatio est, factam fuisse absolutè, si absolutè significat negationem respectus ad peccatum, ac præsertim ad incredulitatem, tanquam ad causam meritoriam. Id autem disertè confirmatur ex Commentario Caluini ad hunc locum. Sic enim ille ad ista verba, *Peccatum non haberent.* Videtur Christus innuere his verbis solam incredulitatem peccatum esse: & sunt quibus ita videtur.
» Augustinus quidem magis sobriè, sed tamen ad eundem sensum accedit. Nam quia fides remittit & delet omnia peccata, dicit vnum esse
» incredulitatis peccatum quod damnat. Verè hoc dicitur: quandoqui-
» dem non modò obstat incredulitas ne eximantur homines à mortis
» reatu; sed fons & causa est malorum omnium. Cæterùm tota illa disputatio nihil ad presentem locum facit, &c. Itaque & punitur incredulitas, & si illa abesset, teste Caluino, nulla alia peccata punirentur. Ergo Deus incredulitatem punire ab æterno decreuit. Nam ab omni tempore cognita sunt illi opera sua. De secundo respondeat idem Caluinus. Argutè se ratiocinari putat Georgius cùm dicit, Christus
lib. de Prædest. propitiatio est pro peccatis totius mundi. Controuersia caret Christum expiandis totius mundi peccatis venisse. Sed confestim occurrit
» illa solutio : vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam
» æternam. Item. Quamuis per Euangelium offeratur omnibus recon-

ciliatio, peculiare tamen est electis beneficium, vt in vitæ societatem „
colligantur. Est igitur eatenus reprobis excusatio præcisa. Patet illis
per Christum ad Dei misericordiam aditus, modò credant. De tertio
denique Caluinum adhuc audiamus. *Si non venissem.* Quod Iudæos
dixerat odio prosequi Euangelium quia Deum non cognoscerent; „
ne quis hoc valere putaret ad leuandam eorum culpam, subijcit eos „
malignè cæcutire, quemadmodum si quis claudat oculos ne lucem „
adspicere cogatur. Nam alioqui obiectum fuisset Christo, si Patrem „
tuum ignorant, qui fit vt eorum errori non succurras? cur non saltem „
tentasti an prorsus essent indociles nec-ne? Respondet se boni ac fidi „
doctoris officio perfunctum esse, sed sine profectu: quia eos malitia „
ad sanam mentem redire passa non fuerit. Videt-ne Arminij discipu- „
lus impotentiam illam quam inuincibilem appellat, inuincibilem
quidem esse, sed tamen voluntariam? Hoccine igitur æquum est vt
ideò se se excusent increduli, quod fuerint adeò nequam, vt non modo
sponte mentis oculos clauderent, sed etiam vt contingere planè
nequiuerit quin eos clauderēt obstinatissimè? Verum Deus non est in
ijs operatus efficaciter. Sanè. Id si fecisset, in illis tanta malitia, tantaque
pertinacia futura non fuisset. Ad hoc autem mihi vicissim respondeat
Anonymus. Certum est magnam hominum partem non
credere. In ijs igitur qui non credunt, est-ne Deus, etiam ex Arminij
hypothesi, operatus efficaciter? Non videtur. Nam si id fecisset,
credidissent. Potest-ne istud animo comprehendi, vt Deus in hominibus
efficaciter eum in finem operetur, vt fidem in eorum cordibus
ingeneret, fides autem in eorum cordibus non ingeneretur tamen?
Quænam est illa operatio efficax, quæ nihil dat effectum? Neque
verò eò confugiat vt dicat, Deum in omnibus illuminauisse mentem
efficaciter, at restitisse voluntatem, ac noluisse id quod per intellectus
illuminationem offerebatur, admittere. Multis enim modis
perfugium istud interclusum est. Primum, absurdum est illuminatam
esse mentem efficaciter quæ voluntatem non trahit. Scilicet illuminatio
vel est actio Dei pellentis ignorantiam ex intellectu, & Christi
cognitionem inducentis. Vel est ipsa Christi cognitio per actionem
Dei illuminantis in mentem inducta. Itaque mens efficaciter illuminata
cognoscit Christum esse Redemptorem, absque quo vno
esset, exitium ineuitabiliter nos maneret. Quod si mens illud cognoscit,
voluntas verò contemnit, contemnitur summum bonum cognitum,
summum malum itidem cognitum appetitur à voluntate. Quod
nemo dixerit qui veram philosophiam à limine salutauerit. Deinde

fac mentem efficaciter illuminari intacta atque immota voluntate; quandoquidem Arminij discipuli fidem constituunt non in mentis illuminatione, sed in determinatione voluntatis, efficaciter quidem Deus egerit in intellectu, dum illi per Spiritum Euangelicum affulsit, at in voluntate non egerit efficaciter. Quid autem attinebat vt efficacitatem illam suam exereret in ea nostri parte cuius vel præstantissima constitutio ad salutem est ipsa inefficax, nihil autem in altera præstaret, ex cuius vel bona vel mala constitutione dependet salus aut exitium æternum? Nonne & hîc queri possunt increduli se esse à Deo desertos? Non excusationem illam obtendere, Deum in ipsis non esse efficaciter operatum? Fac etiam, quod illi, quamquam periabsurde, volunt, Deum eò vsque in eorum voluntatibus efficaciam suam exeruisse vt illas in æquilibrio constitueret, adeò vt possint in hanc vel in illam partem pro arbitrio semet ipsas inclinare si velint; inclinationem non dedit tamen, ex eorũ hypothesi. Id autem quanti momenti sit, partim ex ipsa re, partim ex experientia manifestum est. Ex ipsa re primùm. Nam indifferentia illa quam somniant, malum est. Qui enim pendet incertus vtrum credat in Christum per Euangelium oblatum, an verò Christum reijciat, ille nondum credit. Qui autem nondum credit, ille tenetur peccato impeditus. Quî fiet igitur vt cuius voluntas peccati vinculis adhuc implicita est, ille vnius suæ voluntatis nutu ad fidem propendeat? Quî pote vt ea se ipsam peccati vinculis exoluat quibus retrahitur à credendo? Ex experientia etiam. Nimirum ex admodũ multis vocatis credunt oppido pauci. Quod, etsi verum esset quod statuunt, omnium mentes efficaciter & sufficienter illuminari, magnum argumentum esset tamen, ingentem esse vim illius peccati quo voluntas in imaginario æquilibrio constituta etiamnum detinetur; quandoquidem in tammultis hominibus operationem diuinam quantum vis efficacem, reddit inutilem. Itaque & hîc queri possunt Deum nondum satis efficaciter egisse, & obtendere rem esse vel planè impossibilem, vel miraculo proximam siquis ex eo statu se se promoueat vsque ad Christi fidem; clamabunt vix ac ne vix quidem euenire posse vt voluntas peccato grauata, suspensa librataque diu inter Christum & mundum pendeat, quin statim feratur in eam partem in quam vitium, quo affecta est, naturaliter propendet. Quocirca quidquid Deus salutis nostræ causa fecerit, manere semper vel impotentiam credendi inuincibilem, vel aliquid quod ad inuincibilem impotentiam tam prope accedit, vt nihil rarius accidat quam vt vincatur. Debuisse ergo Deum agere

multo

multo efficaciùs vt ne frustra salutis spem nobis fecisse videretur. Sic nullus erit finis querimoniarum. Denique fac, quod falsissimum & prorsus ἀδιολόγητον est, indifferentiam illam vitio vacare, quæso quid facit vt ex infinita multitudine hominum quos illuminatio vindicauit à credendi impotentia, tam pauci credant, tam multi Deum trahentem repellant & aspernentur? Nam vt quæ semper eodem modo fiunt, causam habent necessariam & determinatam, sic quę propemodum semper eodem pacto eueniunt, causam habent quæ ad vim necessitatis proximè accedit. Quid igitur illud est? Sanè non est ipsa ἀδιαφορία. Nam ἀδιαφορία per se neque in hanc neque in illam partem impellit, alioqui non esset indifferentia. Tum si dare posset ipsa inclinationem ad motum, consentaneum esset, quandoquidem est indifferentia, vt tam sæpe ad fidem quàm ad Euangelij cõtemptum inclinaret. Nunc autem contra est. Quamobrem omnino necesse est vt sit aliquid voluntati à natura insitum & ab efficacitate operationis diuinæ minimè sublatum, quod voluntatem horsum potius quàm istorsum inflectat. Quod si ita se res habet, vt se habere procul dubio necesse est, etiamsi verum esset id omne quod illi falsissimè statuunt, quid opus est istis ambagibus? Deus efficaciter intellectum illuminat, at in voluntate nihil prorsus operatur. Aut si operatur aliquid, statuit eam in æquilibrio duntaxat, vt possit credere vel non credere si velit, Cæterum neque dat vt velit neque verò tollit illud quidquid est, insitum, quo fit vt vix ac ne vix quidem contingere queat id vt velit. Vnde est vt mortalium longè maxima pars, aut necessariò non credat, aut viam ad fidem nullam habeat nisi tot difficultatibus obstructam atque impeditam, vt ne millesimus quisque quidem hominum eam ingrediatur. Nonne facilius erat rectà & sine circuitione eo descendere quod Caluinus ex mente ipsius Christi defendit, vocari quidem omnes externa prædicatione indifferenter, venire
vero tantum eos quos Pater ipse trahit, tractionem autem eam in eo Ioan 6.
sitam esse quod qui veniunt, intus à Spiritu Dei docentur? Nam 44. 45.
quod illi præcipuum ac veluti palmarium in doctrina [illegible] esse putant, vt exitij hominum culpa penes eos vnos resideat, quia credere potuerunt si voluissent, Caluini sententia perinde habet. Potuerunt, ex ea, credere, si voluissent; est enim illis Christi crux oblata quam amplecterentur. Cur neque voluerint, neque vero velle potuerint, obstitit vna malitia, quam decreti absoluti defensores non esse sublatam vltro confitentur, Arminij discipuli, vt supra vidimus confiteri coguntur: neutri autem dixerint incredulis in malitia legitimam incre-

dulitatis

dulitatis suæ excusationem esse paratam. Aut si illi quod impedimentum volútati à natura insidet, vitio carere dicũt, (quod dicere nequeũt nisi absurdi ac ridiculi videri velint: quæso enim potestne vlla incredulitatis esse vera & proxima causa quę vitio careat?) in eo Caluini sẽtentia longè potior est, quæ statuit vnam malitiam in causa fuisse quominus reprobi crederent. Malitiæ enim culpa est in vno homine: cùm alterum illud quidquid est, si vitium morale non est, & culpa vacat, à Deo sit haud dubiè. Istud denique, quod verè palmarium est, Caluini sententia obtinet, cùm ex Arminij opinionibus efficiatur necessariò, vt quod vbi reliqui Euangelio renituntur, nonnulli credunt (quæ laus est longè maxima, & ex qua salus ipsa dependet) id ipsorum arbitrio libero, non Dei gratiæ, imputandum sit: Caluinus contra cùm fidei tum salutis nostræ Deum inceptorem, promotorem, perfectorem, & consummatorem vnum agnoscit.

Sequitur apud Anonymum, Rom. 11. 32. Conclusit Deus omnia in incredulitate vt omnium misereatur. *In quo versu satis patet ista duo*, omnia, *&* omnium, *opposita, esse æqualis latitudinis & extensionis.*

» Respondebit Caluinus absque vllius ope. Nimis crassè, inquit
» in Commentarijs ad hunc locum, delirant qui hinc colligunt omnes
» fore saluos. Paulus enim simpliciter intelligit tam Iudæos quàm
» Gentes, non aliunde quàm ex Dei misericordia salutem consequi;
» necui conquerendi materiam relinquat. Certum quidem est omni-
» bus indifferenter expositam esse hanc misericordiam, sed qui eam fi-
» de quæsierint. Reuera, quid sibi volunt Arminij discipuli? Nam illud, *vt*, vel finem Dei denotat, vel rei euentum. Si euentum, omnes ne ergo salutem consecuti sunt? Omniumne Deus tandem aliquando misertus est? Nulline damnabuntur? Si finem; quandoquidem certum est non omnes saluos fore, Deus quod voluit non fuerit assecutus. Fine suo excidit. Quod præstantes illi Theologi scilicet, & qui se Fatum aboleuisse gloriantur, sępe dicere audent. Verùm id offendit aures verè Christianas, Deum certo quodam atque definito consilio & voluntate determinatą voluisse, quod perficere nequiuerit. Voluit ergo Deus omnium misereri, sed eatenus vt omnes misericordiam illam fide requirant. Vnde autem fiat vt alij requirant, alij verò oblatam contumaciter repellant, aliò pertinet. Hic autem referre iuuat auream Bezæ notam in illa Lucæ verba: οἱ δὲ Φαρισαῖοι καὶ οἱ
» νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς. Nempe, inquit, quod ad ip-
» sius rei exitum attinet, quo euasit ipsis exitij instrumentum, id quod
» eos ad resipiscentiam & salutem vocabat. Alibi testatur Paulus ver-

bum

bum Dômini non posse excidere : & absit vt de Deo minus diuinè sentiamus quàm de suo Ioue Homerus, quum sic eum loquentem inducit, οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν, Οὐδ' ἀτελεύτητον γ' ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω. Itaque quamuis soli homines in culpa sint, quoties nullum beneficentiæ Dei locum relinquunt, tamen consilium Dei rescindi posse nego, cùm ipsorum contumacia sit iusti iudicij Dei aduersus eos executio. Nempe, consilium illud quod in verbo declaratum est, Deum eos velle saluos, modo credant, abrogarunt. Arcanum, quo decreuerat illis non indulgere fidem, ipsi contumacia sua prodiderunt & protulerunt in apertum. At disputator Apostoli mentem eo loco non intellexit. Si Iudæi credidissent, nihil procliuius fuit, quæ est hominum inscitia atque superbia, quàm vt aliquis existimaret id esse tribuendum eorum arbitrio libero, quia vitam, si spectetur in operibus externis, multo minus contaminatam quam Gentiles consuessent, agere videbantur. Sic facilè creditum esset, Iudæorum naturam quàm Gentilium minus esse corruptam. Deus igitur ea rem sapientia dispẽsauit, vt permiserit Iudæos in Christum impingere proteruè ac pertinaciter, Gentilibus interim ad vitam meliorem reductis: vt cùm Iudæos ad veritatis notiam conuertere libuerit, nemo sit qui non agnoscat id eos ipsius puræ putæ misericordiæ, non arbitrij sui libertati debere. Suam enim natiuam corruptionem suamque in malo pertinaciam tum non minus eos testatam fecisse constabit, quàm perditissimum ac profligatissimum quemque Gentilium. Istud ergo, *vt misereretur*, significat, vt manifestum fiat eum misereri omnium, quotquot salutem consequuntur; quod vterque populus credidit, id vni Dei misericordiæ acceptum esse ferendum. Nam vt multa tum demum esse dicantur, quum in lucem prodeunt, in Scriptura tralatitium est. Atque id vidit Caluinus, & disertis verbis expressit, tum in Commentario ad hunc locum, tum in libro de Prædestinatione, in quo similes obiectiones confutauit.

Filum disputationis sic continuat Anonymus. Ioan. 3. 16. Sic Deus dilexit *mundum* &c. vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Neque est quod dicat aliquis Mundum hîc intelligi pro numero electorum. Qualis enim verborum sensus esset si ita legatur. Sic Deus dilexit electos vt quicunque credit in eum non pereat, &c. Vnde plane sequeretur, (quo nihil absurdius) electos esse duplicis generis, alios qui credunt & salutem consecuturi sunt, alios qui non credunt & damnandi sunt.*

Ista nihil planè aduersus se facere Caluinus fidenter pronuncia-

uerit. Eius Commentarium in hunc locum iam supra citauimus.
» Hæc itidem illius verba sunt in versum sequentem. *Non enim misit*
» *Deus* &c. Confirmatio est proximæ sententiæ : quia non frustra
» Deus huc ad nos suum filium misit. Atqui non venit vt perdat; se-
» quitur ergo proprium esse Christi officium vt salutem per eum con-
» sequantur quicunque crediderint. Iam non est quod dubitet quis-
» quam vel anxiè laboret quomodo mortem possit effugere, quando
» tenemus hoc esse Dei consilium, vt nos ab ea Christus eripiat. Re-
» petitur iterum *mundi* nomen, ne quis omnino arceri se putet, si modò
fidei viam teneat. At continuò addet vir præstantissimus quod illi solenne est, his verbis indicari quidem quid futurum sit omnibus hominibus si credant, non autem vnde fiat vt nonnulli credant.

Quæ sequuntur apud disputatorem sic se habent. 1. Tim. 2. 5. Qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. *Quod verò aliqui hoc in loco per omnes, intelligunt tantum omnia genera hominum, alienum videtur à sensu Apostoli. Constat enim hic singula indiuidua, non genera tantùm significari. In primo enim huius capitis versu præcipitur, vt preces fiant pro omnibus, id est singulis : & in his verbis ratio additur, quia Deus vult omnes, id est singulos, saluos fieri. Neque minus à scopo aberrare videtur altera illa interpretatio, nempe quòd voluntate reuelata Deus omnes seruatos vellet, non autem voluntate secretâ. Vnde sequeretur verbum Dei quod est voluntas eius reuelata ab animo eius & mente vel voluntate occulta dissentire, adeoque verba eius veritate etiam carere. Oratio enim quæ mentis significatio non est, quid aliud quàm mendacium est? Sequeretur etiam duas in Deo voluntates esse contrarias; occultam vnam, vt multi damnentur, reuelatam alteram vt omnes seruentur. Sequeretur denique alteram ex his duabus voluntatibus malam esse. Contrariorum enim si vnum bonum, alterum malum est.*

Caluinus est in eorum numero qui locum istum non de omnibus & singulis hominibus, sed de hominum omnibus ordinibus intellexère. Id patet ex eius Commentarijs, Institutione, & libro de Prædestinatione. Verum ad eam interpretationem non ideò animum adiecit quod existimaret ab altera, quæ singulos complectitur, doctrinam de absoluto reprobationis decreto conuelli. Etenim in locis similibus, vt supra demonstrauimus, nihil istiusmodi reformidauit. Quin existimauit id adeò esse liberum vt solennibus precationum formulis quibus etiam-num Ecclesiæ nostræ in publico Dei cul-
» tu vtuntur, hanc clausulam inseruerit. Insuper tibi preces nostras offerimus,

offerimus, Deus clementissime & Pater summe misericors, pro om- „
nibus in vniuersum hominibus, vt quemadmodum totius humani ge- „
neris agnosci vis Seruatoi, per redemptionem à Iesu Christo filio tuo „
præstitam, ita ij qui adhuc ab illius notitia sunt alieni, tenebrisque „
immersi, ad rectam salutis viam reducantur. Quę precatio singulos homines proculdubio spectat. Et quamuis distinctionem de hominum ordinibus in explicatione verborum istorum arctè tenuisse videatur, sic tamen loquitur in libro de Prædestinatione. Nec verò »
ratione caret trita illa distinctio, non singulos generum, sed genera »
singulorum notari. Quod tamen non alia sit Dei voluntas intelli- »
genda, quàm quæ patefit externa Euangelij prædicatione, ex con- »
textu euincitur: vt Deum significet Paulus omnium velle salutem, »
quos benignè ad Christum inuitat. Singulos autem inuitat certè. Itaque ad familiarem suam responsionem confugiet, in ijs locis agi non de arcano Dei consilio, sed de voluntate in verbo reuelata. Est autem illa distinctio quam tribus incommodis se se vehementer premere putat Anonymus. Ait enim primùm absurdum esse Dei voluntatem reuelatam ab arcana dissentire. Omnino. At quibus fidiculis exprimet à Caluino vt fateatur hîc esse veram pugnam inter vtramque illam, si ita loqui fas est, Dei voluntatem? Nempe voluntate reuelata hoc Deus significauit duntaxat, velle se vt omnes homines salui fiant, modò credant. Quod sanè cum eius animo consentit. Id enim vult, & vult maximè seriò, adeò vt si quis eorum qui reprobi nuncupantur, verè crederet, salutis esset compos: quis id neget? Synodus ipsa Dordrectana quam Remonstrantes rigidi decreti rigidam defensatricem esse quiritantur, nonne doctrinam istam in Ecclesia Dei sanxit, *Quot quot per Euangelium vocantur seriò vocari? Seriò enim & verissimè ostendit Deus verbo suo, quid sibi gratum sit, nimirum vt vocati ad se veniant: Seriò etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit.* Et quid hoc aliud est, Deum velle omnes homines saluos fieri, præter quàm quòd ipsi gratum id sit futurum, nisi per multorum inuictam impœnitentiam & malitiam prorsus immedicabilem staret? Ideò viri præstantes voluntatem istam εὐαρεστίαν appellarunt. Ijs enim εὐαρεστεῖσθαι dicimur, quæ nobis placent, quæ grata sunt atque accepta, vno verbo quibus factis delectamur, quæ non facta ferimus ægrè, & dolemus & indignamur. Sic, Apostolo teste, Deus εὐαρεστεῖται humanitate ac benefi- Heb. 13
centia; rebus cum ipsius ingenio ac natura congruentibus. At ea vo- 16.
luntate non significauit se velle omnibus hominibus dare fidem, vim

efficaciſſimam Spiritus ſui in eorum cordibus exerendo. Pertinet illud ad voluntatem quam τῆς εὐδοκίας appellant, quia poſita eſt in certa quadam atque immota πρόθεσιν, cuius nullam rationem reddere potes præter vnum Dei liberrimum arbitrium. Εὐδοκία enim duo illa comprehendere ſolet; τὸ ἀμετακίνητον ἅμα τε καὶ ἀκατάληπτον τῆς αἰτίας τῆς βουλῆς. Atque vt id clarius euadat, de voluntate Dei paulo accuratius diſputandum eſt

Eſt igitur illa quidem certè vna res, eaque longè ſimpliciſſima, ſed quæ pro modulo concipiendi noſtro duobus modis conſiderari debet. Verſatur enim vel in præſcriptione officij creaturæ; quod fit Legis promulgatione ſeu per naturam rerum, ſeu per Verbi reuelationem; & patefactione miſericordiæ atque inuitatione ad pœnitentiam; ideoque à nonnullis eatenus vocatur *præcipiens*. Vel verſatur in determinatione eius quod futurum eſt in euentu: quocirca *decernens* appellatur. Illâ, quæ reuelata dici ſolet, Deus teſtatur apud ſe paratam eſſe veniam & remunerationem omnibus qui officium facere non detrectauerint; atque ad eam rem accommodat doctrinam, per quam homines ad officium faciendum inuitantur. Itaque conſtituit veluti palmam in medio, quæ omnes ad curſum inuitet, & adhortationibus incitat. & promiſſionibus allicit, & acuit atque excitat pœnarum denunciationibus; vt excipiatur nemo, omnes erigantur promiſcuè in ſpem, omnibus ijſdem conditionibus vita offeratur, nihil quicquam reſidui fiat quod pertineat ad fiduciam ingenerandam. Vnde illa Caluini verba. Certè ſi conſideramus quorſum tendat cæleſtis doctrina, reperiemus vocari omnes promiſcuè ad ſalutem. Lex enim via fuit vitæ, vt teſtis eſt Moſes. Hæc eſt via, ambulate in ea. Item, quiſquis fecerit ea viuet in ipſis. Item, hæc eſt vita veſtra. Deinde vltro etiam Deus ſe obtulit veteri populo miſericordem. Denique cæleſtis doctrina omnibus debet eſſe viuifica. Quid autem Euangelium? Eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, inquit Paulus. Quod autem Deus ſe teſtatur eſſe, procul dubio eſt, neque miſeros mortales inani miſericordiæ larua ludificatur. Huius verò, quæ arcana etiam dici ſolet, duo ſunt actus, vt iam dixi; alter qui certò & affirmatiuè determinat dare quibuſdam vt officium faciant; alter qui negat ſe id daturum alijs. Non quòd nolit omnino eos quibus ſe daturum negat, reſipiſcere. Id enim illis præcipit, & ſi præcepto obtemperarent, foret gratiſſimum. Sed quia idoneas rationes habet cur nolit ipſe in ijs præſtare quod præcipit, & quo præſtito tamen, ſi ad id creatura animum appelleret, impenſè delectaretur. Ex quo, ni fallor,

Com. in Ezec 18. 32.

lor, abundè refellitur primum illud obiectamentum, quasi Dei verbum cum eius animo non consentiret. Neque difficiliùs alterum diluitur, duas sic statui pugnantes inter se in deo voluntates. Nam prior actus voluntatis arcanæ seu decernentis ita non pugnat cum voluntate præcipiente seu reuelata, vt sibi mutuas veluti tradant operas, ad id effectum dandum quod à Deo constitutum est. Hæc proponit objectum, additis minis atque promissionibus, & hortationibus insuper, quæ sunt aptæ natæ ingenio humano expergefaciendo, quod natura sua mirum in modum torpet. Illa mentem intus liberat natiua caligne quâ circumfusa est, & voluntatem expedit atque exoluit peruersis affectibus quibus præpedita tenebatur. Sic ex obiecti eo modo comparati, ad facultatem ita constitutam appulsu, necessariò oritur quod à Deo decretum est, nempe fides. Posterior actus non præstat quidem operam volũtati reuelatæ ad rem efficiendam: at rei effectionem nullatenus impedit, quando quidem situs est in mera actionis negatione. Neque Deus ideò secum ipse pugnare dici potest, si non facit ipse quod creaturam facere iubet: neque minus verè vel seriò iubere putandus est, si non ipse efficit vt mandato pareatur: neque postremò minus fideliter iubendo promittere; si eò vsque non procedit vt decernat ipse facere ne promissio respuatur & inutiliter cadat. Tertium quod obijcitur leuius est quàm vt nos remorari debeat ad alia properantes. Quænam enim est inter ista duo contrarietas, Deus vult omnes homines saluos fieri modò credant; at non vult dare omnibus hominibus vt credant? Sunt ne etiam inter se contraria duo ista? Titio, inueni dissoluto, centum aureos do lego, modò reuertatur ad meliorem frugem: atque hanc meam erga se beneuolentiam ipsi testatam esse volo, quo acriùs ad virtutis studium instigetur. Cæterùm rem eius arbitrio & amicorum suasionibus permitto, nihil quidquam vltra præstiturus. Sunt-ne denique ista pugnantia inter se? Semproniam vxorem ducere constitui, eamque facere thori mei meæq; fortunæ participem, adeo vt illi concedam in throno mecum sedere, ea lege si me turpibus ac importunis à quibus ambitur, quibusque adeò dedita est, procis anteponat: idque illi volo significari à præconibus meis, nequa in eius animo de re tanta dubitatio suboriatur. Nihil tamẽ præterea faciam, nec aliter volo quàm suasionibus eius mentem sollicitari. Certè neque Iuris quisquam peritus, neque sensu hominum communi præditus ista sibi repugnare contendet. Nam quod Arminij discipuli hîc clamitant, ista omnia necessariò esse irrita, quia reprobi

conditionem accipere non possunt, & iam supra refutatum est, & infra adhuc diligentiùs refelletur. Hic sat habemus demonstrare diuersos illos voluntatis diuinæ actus pulcherrimè inter se conuenire.

Causæ præsidium quærit disputator in his verbis. 2. Pet. 3. 9. Nolens aliquos perire sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Et addit. *Qui veró hîc dicunt electos solos intelligi, multum falli videntur: de quibus enim hîc loquitur Apostolus nisi de illis quibuscum patienter agit Dominus? Quinam vero illi? Num electi soli? Annon etiam illi qui in peccatis moriuntur, quorum conuersionem diu & patienter expectat Deus? vt patet Rom.* 9. 22. Sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata ad interitum. *Vel si hic locus minus clarus sit, vide Rom.* 2. 4. 5. An diuitias bonitatis eius & longanimitatis contemnis? Ignorans quod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in diem iræ. *Reprobi etiam ergo sunt in numero illorum erga quos Deus patientiam & longanimitatem exercet. In versu autem citato B. Petrus loquitur de illis in quos patientiam exercet Deus, è quorum numero reprobi non possunt éxcludi.*

Tanta vero Caluino fuit causæ suæ fiducia, tantusque in interpretanda S. Scriptura candor, vt locum illum Petri sic explicauerit.
» Tardus is dicitur qui occasionem pigritia effluere sinit: In Deo ni-
» hil simile, qui temporum rationem ad salutem nostram optimè at-
» temperat. Atque omnino de totius mundi duratione idem quod de
» cuiusque hominis vita sentiendum est. Deus enim tempus singulis
» prorogando, sustinet eos quoad resipiscant. Similiter finem mun-
» di ideo non accelerat, vt det omnibus resipiscendi spatium. *Nolens*
» *vllos perire.* Mirus hic erga humanum genus amor, quod omnes
» vult esse saluos, & vltro pereuntes in salutem colligere paratus est.
» Notandus autem hic ordo, quod paratus est Deus omnes ad pœnitentiam recipere, nequis pereat. Addit autem, nequis eum Arminij discipulus de Prædestinatione hîc non cogitasse putet. Sed hîc quæ-
» ri potest, si neminem Deus perire velit, cur tam multi pereunt? Res-
» pondeo, non de arcano Dei consilio hîc fieri mentionem, quo de-
» stinati sunt reprobi in suum exitium: sed tantum de voluntate quæ
» nobis in Euangelio patefit. Omnibus enim promiscuè manum illic
» porrigit Deus, sed eos tantum apprehendit vt ad se ducat quos ante
» mundum conditum elegit. Nempe voluit omnes homines saluos esse modò credant. Ideoque per voluntatem reuelatam manum promiscuè

miscuè omnibus porrexit: at arcano consilio decreuit horum manum apprehendere atque ad se trahere efficaciter; illorum verò noluit, vnde incubuit pereundi necessitas. Nimirum manui illi tam benignè porrectæ nemo dextram implicuit, quo ab exitio reuocaretur.

Vrget autem præcipuè disputator locum ex Rom. II. 4. 5. atque in eo tria dicit esse animaduertenda, *quæ contra absolutum reprobandi decretum mirum quantum facere videntur. I. enim*, inquit, *ibi patet quid sibi velit & quid intendat Deus, diu expectando peccatores: nempe vt eos ad resipiscentiam & salutem adducat. II. Quales sint quibus hoc bonum intendat Deus. Illi nempe qui contemnunt diuitias bonitatis eius, & qui duro & impœnitenti sunt corde. III. Quid consequatur contemptum istum diuina patientia, nempe vt thesaurizent sibi iram, &c. Ex quibus simul iunctis hoc colligitur, Deum parcendo impijs & reprobis qui duro corde sunt, salutem eorum velle & intendere: ipsos verò patientia diuina abusu iram sibi thesaurizare. Quod quomodo cum absoluto illo decreto consistere possit non video. Secundum enim illud decretum, Deus non salutem eorum sed damnationem intenderet.*

Quid si Caluinus tria illa concedat vltro, ex ijs verò quod elicitur ab Aduersario, strenuè neget? Non-ne videbitur ipse sibi operam quam posuit in excutiendis Apostoli verbis infeliciter collocasse? Audiatur ergo. *An diuitias* &c. Non mihi videtur hic esse dilemma, quod nonnulli putant, sed prolepsis. Quoniam enim hypocritæ ferè prospero rerum successu inflantur, ac si Domini clementiam suis benefactis promeriti essent, atque ita magis in Dei contemptum obdurescunt, occurrit eorum arrogantiæ Apostolus, atque argumento à contraria causa sumpto, demonstrat non esse cur Deum sibi propitium ab externa prosperitate reputent, quando illi longè diuersum est benefaciendi consilium, quo scilicet peccatores ad se conuertat. Ergo vbi non regnat Dei timor, securitas in rebus prosperis est contemptus atque ludibrium immensæ eius bonitatis. Vnde sequitur grauiores pœnas iure daturos quibus in hac vita Deus pepercerit, quia ad reliquam prauitatem accessit quod paternam Dei inuitationem respuerunt. Item. Transgressores legis dum eadem excipit indulgentia, sua benignitate vult quidem emollire ipsorum contumaciam: non tamen se illis propitium iam esse testatur, quin potius eos ad resipiscentiam vocat. Videtne disputator nihil esse à se obseruatum in eo loco quod Caluinus tanto ante non animaduerterit? At quid inde sequitur? Neminem in decreto de donanda fide prætermissum esse? Siccine concludunt? Vtitur Deus erga contumaces & refractarios

ſumma lenitate, patientia, ac benignitate; ( idque ea de cauſa Apoſtolus πλῦτον appellat) eoque animo vtitur vt reſipiſcant, atque adeò ſi reſipiſcant, vt ſalutis fiant compotes denique. Sic affectus eſt, ſic comparatus à natura, quæ eſt numinis eius bonitas & φιλανθρωπία inenarrabilis. At non vſque eò miſericordia procedit vt virtutem efficaciſſimam adhibeat, quæ ſola præſtare poteſt vt tantam benignitatem minimè contemnant. Ideone ſuum ipſi exitiũ imputare poſſunt? At Caluinus certè cùm Commentarium iſtum ſcriberet, non egit oſcitanter; non ignorauit illum locum ab arbitrij liberi patronis ad errorum ſuorum confirmationem non tam duci quàm torqueri ſolere. Addit
» enim: Si quis autem inijciat Dominum ſurdis canere, quandiu intus
» corda non afficit, reſpondendum nihil hîc poſſe accuſari niſi noſtram
» prauitatem. Verum iſta reſponſio pertinet ad loca ſequentia. Nos ad alia pergamus.

Sic igitur procedit Anonymus. *His teſtimonijs addi poſſunt & alia. Heb.* 2. 10. Vt pro omnibus guſtaret mortem, *&* 2. *Cor* 5, 15. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. *Et* 1. *Paralip* 28. 9. Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum proijciet te in æternum. *Et Heb* 10. 38. Iuſtus ex fide viuet: Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. *Geneſ* 4. 7. Nonne ſi bene egeris recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit. *Ex quibus ſatis conſtat, Deum neminem deſerere niſi deſeratur. Quid vero eſt deſerere ex parte Dei, niſi media ad ſalutem ſufficientia non ſubminiſtrare? Quos verò decreto abſoluto reprobauit Deus, non ſuppeditat eis ſufficientem gratiam, quia non ita intus operatur in ijs, vt gratiam ſuam efficacem reddat, ſine qua interna operatione, ſiue per illuminationem intellectus, ſiue per inclinationem & calefactionem cordis, gratia Dei, etiam ſecundum abſoluti decreti patronos, efficax non eſt nec eſſe poteſt, ne ſi adſint quidem alia quæcunque. Quod ſi Deus neminem reijcit niſi reijcientem, tum proculdubio neminem æterno decreto reiecit, niſi eum à quo ſe reiectum iri præuidit. Cùm igitur opinio illa de abſoluto decreto tot S. Scripturæ teſtimonijs apertè repugnet, vera eſſe non poteſt: etiamſi nonnulla obſcuriùs dicta in ſacris Scripturis ei quodammodo patrocinari videantur. Egregia enim eſt illa regula à B. Auguſtino tradita.* Nunquid ideo negandum quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? *Optimè etiam Tertullianus.* Secundum plura, pauciora ſunt intelligenda, & ne vnus ſermo ſubuertat alios, ſecundum omnes potius quàm aduerſus omnes intelligendus erit. *Vnde ſequitur pauca illa obſcurè dicta quæ Reprobationi ſpecie tenus fauere videntur, non aliam interpretatio-*

*nem*

*nem accipere debere, quàm quæ cum multis clarioribus locis conuenire possit.*

Non est profectò nobis multum in responsione sudandum. Hoc primum concesserit Caluinus, Christum pro omnibus mortuum esse, modò credant: nam id centies affirmauit. Deinde, si quis Deum seriò quæsiuerit, fore vt eum reperiat: nam id vbique inculcauit. Tertiò, iustum ex fide viuere, atque adeò vt si omnes crederent, omnes etiam essent & iustificationis & vitæ participes. Nam quis id negauerit? Aut quis vnquã, saltem qui Christi nomen nosceret, putauit propositionem istam hypotheticam esse falsam; Si omnes omnino homines ad Deum sincerè conuerterentur, & Christum Euangelij prædicatione oblatum reciperent, omnes Deus ad misericordiæ suæ fruitionem per eundem Christum admitteret? Denique neque repugnauerit eum qui benè agat, recepturum; qui male, itidem malè. Quis inficiabitur quod Scriptura sexcentis locis asserit? At ex eo constare Deum neminem deserere nisi deseratur ipse prius, non facile concesserit nisi adhibita interpretatione. Hoc primum igitur constitutum esse debet, hominem sponte lapsum sua culpa in exitium iuisse. Deseruit ergo Deum priusquam à Deo desereretur. Vt si nullam ei spem veniæ Dominus fecisset, deseruisse tamen dicendus non esset, nisi priùs ab homine desertus. Tum & illud à nobis constitutum est, duo esse ad salutem consequendam absolutè necessaria media: vnum vt aliquis pro nobis iustitiæ diuinæ satisfaciat; alterum vt satisfactionem à sponsore præstitam amplectamur. Satisfactionem autem præstari Deus ipse procurauit. Quamuis igitur eatenus hominem deserere potuerit, non deseruit tamen, quæ fuit eius infinita misericordia, *sed mundum tantopere dilexit vt filium suum miserit* &c. Generis humani amore adductus, inquit Caluinus, quod perire nolit. Denique & hoc à nobis est explicatum, Deum Apostolis & reliquis Euangelij præconibus id dedisse in mandatis, vt proposita spe redemptionis, omnes ad fidem & pœnitentiam vocarent. Qua in re igitur reprobi se desertos esse conqueruntur? Nimirum in eo quod interna operatio, siue illa sita sit in intellectus illuminatione, siue in inclinatione voluntatis & calefactione cordis, est medium ad fidem, ideoque & ad salutem obtinendam, absolutè necessarium. Sanè necessarium est: at illa necessitas est explicanda. Necessarium medium non est vnius generis. Vnum est quod per te præstare nulla ratione potes, etiamsi id vehementissimè velis. Alterum, quod si non præstes, neminem possis præter te vnum incusare. Vt si velis, non desit.

Si neque vis, neque verò potes velle, id tibi soli debes imputare, & insuperabili pertinaciæ animi tui. Satisfactio medium fuit priore modo necessarium. Tametsi enim id vehementissimè voluissemus, molitique essemus omni opere, non potuissemus tamen in locum nostrū sufficere qui Iustitiæ diuinæ pro nobis satisfaceret. Illuminatio interna fuit necessaria posteriore modo. Nempe cùm eò tantum pertineat vt reddat mentes nostras capaces obiecti extrinsecus oblati, & debuimus ipsi mentes nostras ita comparare vt obiecti capaces essent, & quod debuimus, præstare potuimus, nisi insita à natura & inueterata consuetudine malitia obstitisset. Idcircone igitur Deus nos deseruisse dicendus est, quia non efficit quod ipsi præstare & debuimus & potuimus, nisi ipsum inexpiabili odio prosequeremur? Quod ergo disputator adijcit, quæ in Scriptura absoluto reprobationis decreto fauere videntur, aliorsum esse trahenda tamen, ne sit inter varia Scripturæ loca conflictus, pro nihilo putandum est. Et Augustini regulam, & Tertulliani dictum libenter admittimus. Cùm nulla vera pugna sit inter ea quæ Dei benignitatem erga genus humanum ineffabilem magnificè prædicant, & quæ doctrinæ de Reprobatione fidem necessariò adstruunt, non est cur hæc ad illa interpretatione commoda reuocare laboremus. Commoda illa interpretatio si sententiæ Caluini, vt est à nobis explicata, quidquam detraheret, haud dubiè distorta esset, & ipsi Scripturæ contraria. Ad alia nunc progrediamur.



# CAPVT VI.

## *Caluini doctrinam naturæ diuinæ non aduersari. Ac primùm non esse sanctitati Dei inimicam*

D*OCTRINA illa de absoluto Dei decreto,* inquit Anonymus, *nonnullis Dei attributis, adeoque ipsi naturæ diuinæ aduersari videtur. Voluntas vero Dei semper sequitur naturam suam. Ratio est, quia, vt inquit Apostolus 2. Tim.* II. 13. Deus negare seipsum non potest. *Illa verò de absoluto decreto sententia, Dei sanctitati, misericordiæ, iustitiæ, siue veritati repugnare dicitur.*

*dicitur. Videamus quo iure.* I. *Quòd sanctitati Dei aduersetur, patet, quia inde sequitur peccatorum in reprobis auctorem esse. Dicunt enim primò, Deum ex beneplacito vel absoluta sua voluntate homines in eum statum adegisse in quo peccatum vitare non possint. Secundo, Eum reprobos in eo statu reliquisse. Quod ad primum attinet, nempe quod Deus homines in eum statum perduxerit, in quo peccatum vitare non possint, nempe in statum peccati originalis, quod & reatum Adami & corruptionem naturæ includit. In hunc statum homines perductos aiunt non vi naturalis generationis, siue ex eo quod naturam nostram ab Adamo tanquam à primo principio deriuamus, sed ex mera voluntate & imputatione tantùm. Sic enim Caluinus Instit. lib. 3. cap. 23. num.* 7. Non enim factum est naturaliter vt à salute exciderent omnes homines vnius parentis culpa. *Et,* cunctos mortales in vnius hominis persona morti æternæ mancipatos fuisse Scriptura clamat. Hoc cùm naturæ nequeat adscribi, ab admirabili Dei consilio profectum esse minimè obscurum est. *Rursus.* Quomodo factum est vt tot gentes vnà cum liberis eorum infantibus, æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est? *Hoc etiam Tvvissus noster non ignobilis Caluinianæ doctrinæ assertor agnoscit vind. Gratiæ libro* 1. *Parte* 1. *Digress.* 4. *capite* 3. Originalis peccati reatus, inquit ille, nonnisi imputatione, lues nonnisi propagatione ad nos deriuatur, quarum vtraque nonnisi à libera Dei constitutione proficiscitur. *Et paulo ante.* Etenim naturæ vitium non est cuique suum voluntate contractum, sed sola imputatione aut propagatione deriuatur; quarum vtraque fit voluntate Dei: Deus enim nulla necessitate, sed pro mera sua voluntate nobis imputat peccatum Adæ. *Quod verò hac de re dixerunt Caluinus & Tvvissus noster, omnino rationi consonum est. Si enim ideo reatum peccati Adæ & naturæ deprauationem naturaliter contraximus ob hanc solam rationem quia in lumbis eius eramus, sequeretur nos etiam reos esse peccatorum illorum quæ Adamus etiam multo post primam illam præuaricationem commisit. Tam enim post quàm ante lapsum in lumbis eius eramus: Scriptura verò nos primi tantùm peccati Adami reos peragit, Rom.* 5. 15. 16. 17. *Sequeretur etiam liberos peccatorum omnium proauorum suorum reos esse, quia in lumbis eorum fuerunt. Rem verò secus se habere docet Scriptura Ezech.* 18. 14. *vsque ad* 21. *Quanta verò moles peccatorum nobis in hisce nouissimis diebus incumberet, si etiam peccatorum quæ à proauis nostris commissa sunt, rei essemus? Non mirum est igitur quod dicant decreti absoluti assertores Deum ex mera sua voluntate, homines in eum statum redegisse in quo pec-*

*catum vitare non possint. Quod ad secundum attinet, nempe quod Deus, homines in eo statu reliquerit, affirmant Deum decreto suo immutabili benè magnam humani generis partem in hoc misero statu & conditione reliquisse, atque iis ita relictis sufficientes vires non suppeditare vt ex hac misera conditione ad meliorem transeant, hominesque ita relictos ad æternas pœnas damnasse. Vnde peccandi necessitas & ineuitabilitas ipsis incumbit. Theologi Geneuens. Act. Synod. Suffrag. Geneu. de Reprobatione.* Easdem personas, *inquiunt illi*, in tempore ex eodem beneplacito voluntatis vel non vocat, vel vocatos in Ecclesiam, spiritu regenerationis non renouat penitissimè, non inserit Christo mysticè, non iustificat, &c. *Hac verò non solum dicunt nonnulli, sed & hac ratione confirmant, nimirum quia si Deus in reprobandis hominibus peccatum tantùm respexisset, omnes homines hac ratione reprobati fuissent. Ex sola ergo voluntate diuina, secundum illos, reprobi reprobati sunt. Ex his vero quæ iam posita fuerunt, nempe quod Deus reprobos in statum peccati coniecerit, ibique reliquerit, sequi videtur quod Deus peccatorum eorum auctor sit. Causa enim causæ est causa causati. Quænam verò est causa peccatorum in reprobis nisi impotentia & defectus supernaturalis gratiæ? Quid verò diuinæ bonitati magis repugnat, quàm vt ipse peccati auctor & causa audiat?*

Hactenus Anonymus. Tendit igitur hæc disputatio eò vt demonstret Caluini doctrinam facere Deum peccatorum auctorem. Quæ si accusatio vera est, sanè est Caluini sententia deserenda. Sin minus, quid restat quàm vt ista criminatio pro illiberali calumnia habeatur? Certè Caluinus eam pro tali semper habuit. Egone, inquit, in responsione ad calumniatorem, qui tam reuerenter vbique prædico, quoties peccati fit mentio, procul remouendum esse Dei nomen, vsquam dixerim maleficia non tantùm eo volente, sed etiam auctore perpetrari? Vt quiduis contra tam prodigiosam blasphemiam dicatur, libenter patiar, modò ne admisceatur nomen meum. Itaque si quid tale ex eius doctrina sequitur, id non vidit: si vidisset, doctrinam suam odio & execratione dignam esse iudicasset. Enimuero duo illa quæ à disputatore proponuntur, expendamus. Et ad prius quod attinet, peccandi necessitas, quæcunque tandem illa sit, considerari debet, vel in peccatis, vt loqui solemus actualibus, quæ quotidie ab adultis admittuntur: vel in peccato originali, ex quo actualia manant: vel in Adami ipsius peccato, vnde originale profluxit. Et de peccatis actualibus quidem, cum passim alibi tum in Commentario ad Iacob. 1. 13. sic locutus est vir magnus quem fœda ista labe adspergere conantur.

lib. de Prouid.

conantur. De tentationibus internis hîc tractat, quæ nihil aliud sunt quàm inordinati appetitus qui nos ad peccandum incitant. Illorum auctorem merito Deum esse negat Apostolus, quoniam ex carnis nostræ corruptione manant. Hæc admonitio valdè necessaria est, quia nihil hominibus est magis vsitatum quàm malorum quæ quisque perpetrat, culpam aliò transcribere: tunc autem maximè videntur sibi liberari, si eam in Deum ipsum deriuent. Hoc tergiuersandi artificium à primò homine traditum sedulò imitamur. Hac de causa Iacobus nos ad proprij reatus confessionem vocat, ne Deum substituamus loco nostro, ac si nos ipse ad peccandum impelleret. Item. Sequitur ergo neque peccati originem esse in Deo, neque illi culpam imputari posse quasi ex malis voluptatem capiat. Summa est, frustra tergiuersari hominem qui vitiorum suorum culpam reijcere in Deum conatur: quia non ex alio fonte proueniat quidquid est malorum, quàm ex peruersa hominis concupiscentia. Atque ita sanè res habet, non aliundè nos impelli, sed cuique prauum affectum esse ducem ac impulsorem, &c. Hac in parte Caluinus procul est ab omni culpa. Nam seiungamus sanè aliquantisper cogitationem ab originali peccato, ponamus autem necessitatem peccandi in reprobis aliunde non esse quàm à praua & inueterata malè agendi consuetudine, quæ mentem vitiosis habitibus penitus obligauit, & necessariò sic malè agerent, & necessitas illis tamen, ipso teste Aristotele, vitio verteretur. Necessariò, inquam, malè agerent. Nam qui semel iniustitiæ aut cuiusuis alius vitij habitum contraxit, & in eo inueterauit, non potest non esse iniustus, ne si velit quidem. Habitus enim ita mentem & voluntatem eius occupauit, vt aut omnino nolit eum excutere, aut si quando contingit id vt velit, actus ille voluntatis languidior est quam vt eam expedire queat ex vinculis habitus vitiosi. Conabitur fortasse, ex Aristotelis sententia, mouere se se in contrariam partem. At id languidè conabitur tantùm, nihil verò promouebit, non magis, inquit ille, quàm si æger τὰ παραλελυμένα τῶν μορίων, moliri tentet, quæ pondere suo atque imbecillitate resistunt, & ad momentum fortè sublata statim relabuntur. Vitio tamen id illis vertitur, quia necessitatem illam ipsi in se accersiuerunt. Potuerunt initio, ait Philosophus, ab ijs actionibus abstinere quibus habitus acquisitus est, & aliter consuefacere animum. Vt abstinere potuit à vino qui se se inebriauit, quique per temulentiam, & necessariò παραφρονεῖ & quod agit, agit inconditè atque inconsideratè. Vterque enim mentem suam ipse corrupit; hic ad breue tempus, ille verò in longinquum. In altero

ἡ μέθη, in altero ἡ μοχθηρία genuit illam ἄγνοιαν quæ animum διαστρέφει & prohibet quominus illi possint περὶ τοῦ τέλους ὀρθοδοξεῖν, Neuter tamen quemquam præter semetipsum accusare debet. Verum ad rem nostram redeamus. Præter vim consuetudinis, nos Christiani qui melius edocti sumus, vitium à natura insitum & labem originalē agnoscimus. In ea autem duo sunt; lues ipsa, quæ generatione propagatur; & reatus. Vt igitur à lue ordiamur, nemo inficias iuerit, nisi velit esse apertè Pelagianus, Adami transgressione factum esse vt pecca-
Psal. 51. 7. tum originale genus humanum vniuersum inuaserit. Nam Dauid se
Eph 2. 1. 2. dicit esse conceptum in peccato; & Paulus nos natura filios iræ prædicat, & mors quæ etiam in infantes peruagata est, constituit extra
Rom 6 23 controuersiam homines esse peccatores ab ortu. Stipendium enim peccati, mors. Deinde fatebitur omnis qui rem apud se recto iudicio perpenderit, peccati originalis eam esse vim, vt nisi gratia Dei
Ioan. 3. 6. succurrat, reddat omnibus peccatum actuale ineuitabile. Nam quod natum est ex carne, caro est: caro autem legi diuinæ neque se subijcit,
Rom. 8. 7. neque verò, teste Paulo, se subijcere potest. Et extra Christum ni-
Ioan. 15. 5. hil possumus facere. Nascimur autem omnes extra Christum. Et qui non est natus ex Deo necessariò peccat: nemo autem ex Deo nascitur nisi per Spiritum eius, quem nemo φύσει habet; est gratuitum Dei donum extra ambitum naturæ. Et nemo vnquam cui Deus Spiritum sanctificationis non impertiuerit, se se ex peccati seruitute asseruit in libertatem. Quæ autem, vt sæpe iam dixi, semper & vbique fiunt eodem modo, causam habent quandam necessariam quæ
Gen. 6. 5. non potest aliter atque aliter se habere. Denique cordis humani cogitationes feruntur ad malum omni tempore: quod aliunde prouenire non potest quàm ex aliquo principio cuius vis tanta est & tam alte insedit vt omnes animæ partes penitissimè peruaserit. Incumbit ergo omnibus hominibus à natura peccandi necessitas. At illam, quæcunque est, non posse reprobationi tanquam propriæ causæ imputari, demonstrauimus ex ipsius Caluini verbis. Quando enim reprobationem in mera derelictione seu præteritione constituit, præteritio autem nullam actionem infert, sed negationem actionis tantummodò, quî posset actionis mera negatio esse causa propriè dicta actionum humanarum? Id autem cùm alibi tum præsertim hoc loco Caluinus edocuit. Damnatum iri impios contendit Pighius
„ quia proprijs maleficijs iram Dei in se prouocarint. Ex eo colligit à
„ Dei decreto non prouenire eorum damnationem. Ego autem eos
„ maleficia alia alijs cumulasse dico, quia cùm praui essent, nihil quàm

pecccare

peccare potuerunt. Etsi autem non extraneo impulsu sed spontaneo „ cordis affectu scientes ac volentes peccarint: quin tamen fons & ori- „ go malorum omnium sit naturæ corruptio & vitiositas negandum „ non est, nisi prima pietatis rudimenta conuellere libeat. En causam peccati, non in extrinseco impulsu, sed in spontaneo cordis affectu, atque libero quamuis corrupto mentis arbitrio. En item causam necessariæ determinationis ad malum in vitio insito & prauitate naturali. Hactenus igitur, ex Caluini sententia, naturæ diuinæ sanctitas est à peccato illibata. Nunc vlterius progrediendum est. Vitium illud insitum, necessario & ineuitabiliter omnibus hominibus inhærere certum est. Ad quid igitur, auctore Caluino, necessitatem illam referemus? Sanè ad duo; peccatum ipsius Adami, & Dei prouidentiam; vtrumque suo modo. Et de peccato Adami quidem duo dicit. Vnum, quod labem illam infudit in omnes homines per generationem naturalem; vt quia peccatorem semetipsum constituit, reliquos item constituerit & generauerit peccatores. Hæc enim ille, Instit. lib. 2. cap. 1. §. 7. Proinde à radice putrefacta rami „ putridi prodierunt, qui suam putredinem transmiserunt ad alios ex „ se nascentes surculos. Sic enim vitiati sunt filij in parente, vt nepo- „ tibus essent tabifici; hoc est ita corruptionis exordium in Adam fuit, „ vt perpetuo deflexu à prioribus in posteros transfundatur. Quod „ autem cauillantur Pelagiani verisimile non esse à parentibus pijs cor- „ ruptionem ducere liberos, quum magis eorum puritate sanctificari „ debeant, facile refutatur. Non enim ex eorum regeneratione spiri- „ tuali descendunt, sed generatione carnali. Et commentario in Psal. 51. vers 7. postquàm ter dixit peccatum originale nobis *naturaliter* inhærere, sic concludit. Sufficiat tenere Adam post suam defectionem spoliatum fuisse donis omnibus quibus ornatus fuerat: ita cùm „ extincta esset quæ prius in eo fulgebat ratio (recta scilicet) & volun- „ tas quæ prius in Dei obsequium formata erat, contumax facta esset; „ tam mente quàm corde fuisse corruptum, & deinde genuisse filios si- „ bi similes. Alterum illud est, quod primum peccatum, quod Adam cum vniuersa posteritate in exitium traxit, ab ipso sponte admissum fuit, non Dei instinctu. Verba sunt immortalitate digna in libro de Prædestinatione. Quum agitur de Prædestinatione moneo Christianos eos semper meminisse debere, omnes qui mortui sunt atque dam- „ nati in Adamo, iustè relinqui in sua damnatione: eos qui natura sunt „ filij iræ, perire iure merito. Sic nullam cuiquam superesse causam ex- „ postulandi cum Deo, quasi nimia seueritate vteretur, quandoqui- „

dem omnes in se gerunt culpam damnationemque suam. Admoneo item, si conscendere libeat vsque ad primum hominem, fore vt reperiamus eum lapsum esse sponte suâ, quum purus atque integer creatus esset: atque inde euenisse vt se cum suis omnibus in exitium immergeret. Etsi enim non cecidit quin id Deus & præuiderit & decrecreuerit; id tamen eum neque culpa liberat, neque Deum ipsius peccato implicat. Hoc enim semper ob oculos habere nos oportet, hominem sponte suâ se se priuasse ea integritate atque rectitudine qua donatus erat à Deo, eum se voluntariè seruituti Satanæ mancipasse, vno verbo eius voluntate factum esse vt periret.

Duo igitur dixit quæ non sunt silentio prætereunda. Vnum est, quod Deus certo præuidit futurum esse vt Adamus peccaret. Alterum, id non modo præuisum, sed etiam decretum fuisse certissima voluntate: ita tamen vt neque præuisio euentus, peccati causa dici possit, neque certa determinatio vllam culpæ partem in Deum transcribere queat. Absurdum videri non debet, inquit, quod dico Deum non modo primi hominis casum, in eo & posterorum ruinam præuidisse, sed arbitrio quoque suo dispensasse. Vt enim ad eius sapientiam pertinet omnium quæ futura sunt esse præscium, sic ad potentiam omnia manu sua regere ac moderari. Item. Solent sic eum excusare, vitari ab eo non potuisse quod à Deo decretum erat. At quum transgressio voluntaria fuerit, istud plus satis est ad eum reum peragendum. Nam si propriè loqui velimus, vera & naturalis causa peccacati non est arcanum Dei consilium, sed voluntas hominis quæ in eo negotio manifesta est. Et de præscientia quidem, si consideretnr tantùm quatenus est præscientia, res clara est, & apud ipsos Aduersarios in confesso. Nam Arminij schola, quæ longissimè vult abesse ab ea blasphemia quæ Deum peccati auctorem facit, nisi Deo futurorum præuisionem adimat, negare non potest quin Deus ex æternitate prospexerit hominem esse peccaturum. Decretum ab ea vellicatur. Quo iure quaue iniuria, breuiter est explicandum.

In prouidentia Dei circa malum, quale fuit primum primi hominis peccatum, duo sunt præcipui actus: quorum alter *permissiuus* appellari potest, quia consistit in negatione actionis quæ peccatum impedire potuit; alter vero *effectiuus*, quia consistit in efficientia aliqua, quæcunque tandem illa sit. Nam Deus in perpetratione mali quæ fit à creaturis, non otiatur aut cessat omnino, sed adhibet actionem aliquam, quæ versatur, non in animo hominis ad peccatum efficaciter impellendo; id enim à natura diuina procul abesse vti certissimum est,

mum est, sic etiam est à Caluino semper agnitum; sed in administrandis ijs quæ circa peccatum sunt; vt est suffectio virium physicarum ad agendum, oblatio obiecti ad mentem permouendam apti nati, & obseruatio seu rerum seu peristaseon quæ peccati vitiositatem circumsistunt, quæque nunc accuratiùs explicare non est animus. Caluinum autem negasse Dei prouidentiam in Adami peccato se se gessisse merè permissiuè, & aliquam efficacitatem in eo agnouisse certum est. Id constat ex multis locis, præsertim verò ex Instit. libro 3. cap 23. §. 8. Quod reprehendere nemo potest nisi velit Deum veluti complicatis brachijs & oculis conniuentibus, in re longè maximi momenti, quæque ad salutem & exitium totius vniuersi pertinebat, planè negligenter esse versatum. Efficientia verò quænam illa fuerit non video à Caluino fuisse vspiam definitum. Qua in re modestiam eius siquis vituperauerit, & Scripturam Sacram vituperaturus est. Illa enim accuratè admodum & emphaticè de prouidentia diuina in peccatis paulo memorabilioribus loqui & admonere solet. Spiritu sancto auctore, neque Iosephus tam malè habitus, proditus, venditusque fuit à fratribus absque Deo: neque Dauid numerauit populum nisi Deo quodammodo impellente: neque tot flagitia in se admisit, tot nefaria facinora aduersus Patrem Absalomus perpetrauit, nisi iusta Dei prouidentia sic procurante: neque filij Heli mentem aduersus parentis sui admonitiones obfirmarunt, nisi quia eos perdere Deo decretum erat; neque Iudæi inexpiabili peccato Christum in crucem egerunt, nisi quia manus consilium que diuinum sic prædefiniuerat. At in historia lapsus primi hominis, de consilio diuino altum silentium. Quasi Scriptura docere nos voluisset hoc vnum ex illis esse arcanis in quæ nemini sit temerè irrumpendum. At qualiscunque fuerit voluntatis diuinæ in ea re effectio, id semper Caluinus arctissimè retinuit, horrendi lapsus culpam penes vnum hominem hærere, ab ea Deum fuisse quàm longissimè semotum. Cuius rei hanc rationem omni exceptione maiorem vt suprà vidimus, inculcat, Adamum suapte voluntate, nulla vi externa adactum, nulla interna sollicitatione, quæ à Deo esset, impulsum peccauisse. Vt ne conscientia ipsius quidem iudice sit absoluendus. Enimvero quid opus est vt hic scrutari atque eruere tentemus quæ Deus voluit esse apud se recondita, cùm historia lapsus Adami Deum non à participatione culpæ modo, sed etiam ab omni suspicione planissimè liberet? Creauit arborem, certum est, & eam fructu qui specie sua mouere posset, onerauit. At eam statim indicauit homini, ne imprudens

Gen. 45. 5. 7. 2. Sam. 24. 1. 2 Sam. 12. 11. 1. Sam. 2. 25. Act. 4. 28.

attingeret, & ſedulò monuit & ſeuerè interdixit illius fructu ne veſceretur; mortem præterea eamque horrendam interminatus, ne interdicti violationem impune ſibi fore putaret. Quid potuit aut debuit eſſe ad deterrendum efficacius? Paſſus eſt eum à Diabolo tentari. Hoc certum eſt itidem. At quid prohibuit quominus & oculos ab intuitu fructus auerteret, & Diaboli tentationem repelleret, & argumenta quibus eum ſollicitabat hoc vno verbo confutaret, Deus vetuit, ideoque nobis attingere nefas? Deceptus eſt Diaboli artibus & in fraudem inductus veteratoris vaferrimi calliditate. Hoc certum eſt denique; nam Apoſtolus primum hominis peccatum conſtituit in deceptione & errore. Verùm quænam fuerunt illæ artes quibus reſiſtere nequiuerit ſi ſic animum induxiſſet? Aggreſſus eſt eum tentator ijs argumentis quæ & appetitum ſenſitiuum excitare, & ſciendi libidinem incendere apta nata ſunt. Quidni igitur mentem habuit in vno Dei mandato defixam, & animi cogitationem intendit, quo appetitus illos cogeret in ordinem & in obſequio rectæ rationis contineret? Nam ſane illi excuſatione digni ſunt vel quibus vis adhibetur quam ſuperare nequeunt, vel qui ijs rebus circumueniuntur in quibus fraus ita latet vt à mente humana quamlibet attenta atque excitata, deprehendi non poſſit. At quid in ea tentatione facilius fuit, niſi mentem paulatim ſibi corrumpi ſiuiſſet, quàm vt Adam Deum crederet eſſe veracem? Id enim ſi ſemel animo conceptum atque comprehenſum arctè tenuiſſet, omnes molitiones, omnia illa Diaboli machinamenta nullo negotio depuliſſet ac diſſipaſſet, *Illiſos fluctus rupes vt vaſta refundit.*

1. Tim. 2. 14.

Quando igitur, quæcunque fuerit tentationis efficacitas, & fructus ſuauitate allectus, & nimia ſciendi cupiditate incitatus, & elatus atque inflammatus ſpe conditionis ſuæ ad ſublimius aliquod dignitatis faſtigium euehendæ, mentem primò labefactari ſuam, deinde voluntatem ad vetitam actionem impelli paſſus eſt, ſponte ſua peccauit, atque deliberatò, quæcunque tandem illa fuerit Dei prouidentia quæ tantæ ruinæ motus cauſaſque gubernauit. Nec ſanè perſpicio quid Arminius in eo reprehendere queat. Quid enim amplius requirere poteſt quàm vt homo libero ſuo arbitrio peccarit? Et cur tantas turbas eius diſcipuli in doctrina de lapſu primi hominis excitarút, niſi vt hoc obtinerent, hominem eſſe ſua ſponte lapſum, nemine præter vnum Diabolum, cui reſiſtere & debuit, & vero, ſi voluiſſet, potuit, impellente? Id ergo concedente Caluino, nemine noſtrum repugnante, habeant; dicam minimè ſcribant quod exiſtimarit ſummus

summus Theologus, nosque adeò ijsdem rationibus adducti sentiamus, euentus certitudinem, quod illi concoquere non possunt, vnà cum libertate peccantis optimè constitisse. Verius esse duxit, nos sapientiæ Dei conuenientius esse putamus, vt certissimè prospexerit, sapientissimèque disposuerit id quod futurum erat in re tantâ, quâ consilium de mittendo filio in terras, deque redimendo genere humano aliquatenus nitebatur, quàm vt pendulus hæserit inter rerum ancipites euentus. Nec sanè facere possum quin mirer isti homines quid sibi velint. Nam Deus Adami peccatum multo antequàm accideret, vel præuiderat, vel non. Si non præuiderat, cur sibi sumit in Scriptura futurorum præscientiam? Cur eo pręcipuè à fictitijs numinibus se se discernit? Et cum de mittendo in terras Domino nostro consilium fuerit apud Deum ab æterno certissimè definitum, ita vt res aliter se habere nullo modo potuerit, quî id Deus quiuit apud se immutabili proposito statuere, si peccatum Adami futurum esset necne, non habuit compertum & exploratum? Si præuiderat; certo præuiderat. Qua ratione igitur id certo præuidit, si certò futurum non fuit itidem? Quod enim nonnulli dicunt Deum infinitudine mentis suæ res omnes futuras ita complecti, vt quæ non modò in se, sed etiam respectu decreti diuini contingentia sunt atque incerta in vtramque partem, tanquam certa atque necessaria videat, somnium est. Veritas visionis seu cognitionis ( quid enim est in Deo videre nisi cognoscere ) consistit in conuenientia notitiæ ipsius cum rei natura. Vt si res sit omni modo contingens, non possit aliter verè cognosci quàm vt contingens est. Quamobrem si certo id Deus pręuidit, omnino necessarium fuit. Quod enim cognoscitur vt futurum, si non cognoscitur vt contingens ac pendulum inter duas dubias & incertas futuritiones, cognosci vt necessarium determinatumque palam est. Necessarium ergo fuit vt homo laberetur. Itaque vel Adamus non peccauit sponte atque liberè, vel si liberè peccauit, non pugnat libertas cum omni necessitate. Neque audiendi sunt Scholastici qui pro sua quiduis fingendi libidine & audacia, commenti sunt nescio quam rerum futurarum præsentialitatem, vt loquuntur, qua res in se nondum existentes, Deo tamen existunt. Præsentialitas enim illa, vel est ipsa Dei notitia, quæ prospicit in futurum, vel est aliquid à Dei notitia diuersum. Posterius si locum habet quid illud est? Est-ne ens creatum an increatum? Nam si increatum quid est, est natura similis æternis illis rerum ideis quæ Platoni tribui solent, quasque Aristoteles vbique solidissimè confutauit.

Neque par est vt figmenta illa & portenta opinionum in religionem Christianam introducantur. Creatum autem esse quidquam certè nullo modo potest. Cùm enim omnia Deo sint ex æternitate præsentia, necesse esset vt Deus ab æterno alterum quendam mundum condidisset, in quo præsentia videret ea omnia quæ nondum in se actu ὄντα, futura erant in tempore vi creationis & conseruationis huius vniuersi, in quo tandem, vnaquæque res existentiam suam actualem est consecuta. Id autem vix incideret in phrenitici mentem. Quamobrem non differt ista præsentialitas ab ipsa Dei cognitione, cui omnia ab æterno præsentia & τετραχηλισμένα esse dicuntur, quia multo certius eas intuetur futuras, quam nos præsentes & iam actu oculis nostris obuersantes contemplamur. Non autem certo intueretur, vt iam diximus, nisi certo etiam futuræ essent: non essent certo futuræ, nisi futuras immutabili proposito decreuisset. Aut igitur nihil quidquam ab vlla creatura liberè fit, aut nihil prohibet vt liberè fiant, quæ tamen certa quadam & immota Dei voluntate geruntur. Equidem non puto vllum esse in Remonstrantium numero tam præfractum ac pertinacem, vt negare audeat quod supra attigi, certissimè à Deo decretum esse fore vt Christus pro nobis moreretur: cùm & id res ipsa doceat, & Scriptura Sacra non tam dicat quàm vociferetur. Necesse ergo fuit ab ea necessitate quæ in euentus infallibilitate consistit, vt Christus moreretur. Ideo-ne ergo vel minus liberè se se Christus ipse morti obtulit, vel qui eum affixère cruci, minus liberè tantum scelus in semetipsos admiserunt?

Iam de imputatione istius peccati, quam disputator tam odiosè exagitat, aliquid dicamus. Dixi in peccato originali duo esse; luem ipsam & reatum. Quæritur ergo vtra res ex Caluini sententia, alteram præcesserit. Et video multos à Caluino hac in parte vehementer dissidere, quod putant ab eo statui reatus imputationem, ex ordine voluntatis diuinæ Adami peccatum vlciscentis, vitij ipsius propagationem antecessisse. Quod & noster disputator hìc illi videtur imputare. Quia autem sic Adami posteritatem Deus innocentem puniuisse videtur, quo nihil dici potest iustitiæ sanctitatique diuinæ magis aduersarium, eo nomine apud multos pessime audit vir pietate & rerum diuinarum cognitione summus. Sanè id si docuisset, nihil dixisset tamen à quo vel ipsi Arminij discipuli debeant magnopere abhorrere. Quod enim Euangelij prædicatio multis nationibus huc vsque negata fuit, eius rei causam in peccata auorum & proauorum atque adeò vltra multa sæcula reijcere solent. Id autem siquis eo

argumento

argumento refellere studeat quod verisimile non sit, liberos pœnas dare pro peccatis parentum, præsertim quos à maioribus tanta temporum intercapedo disiunxit, quum Deus ipse apud Ezechielem apertè declarauerit nolle se filium plectere peccati paterni causa, clamitant nostros sic ire Socino gratificatum, qui pœnarum translationem ex vno in alium per quamlibet imputationem, damnauit vt iniustam & à natura pœnarum alienam. Sic autem vir eximius Hugo Grotius libro de satisfactione cap. 4. scribit aduersus hominem pestilentissimum. Ad alteram partem transgrediens affirmo, non esse simpliciter iniustum aut contra naturam pœnæ vt quis puniatur ob peccata aliena. Iniustum cùm dico, manifestum est me loqui de iniustitia quæ ex rebus oriatur, non quæ ex iure positiuo, vt quo nequeat imminui diuina libertas. Dictum probo. Exod 20. 5. & 34. 7. *Deus visitat parentum iniquitates in filios nepotes & abnepotes, Patres nostri peccauerunt, & nos pœnas eorum ferimus.* Thren. 5. 7. Ob factum Chami execrationi subijcitur Canaan Genes. 9. 25. Ob factum Saulis suspensi sunt filij eius & nepotes, Deo approbante. 2. Sam. 21. 8. 14. Ob factum Dauidis pereunt 70. millia, & exclamat Dauid. *Ego peccaui & inique feci; hæ oues quid fecerunt* 2. Sam. 24. 15. 17. Sic ob factum Achanis filij puniuntur. Ios. 7. 24. Et ob factum Ieroboami posteritas eius, 2. Reg. 14. Atque ad eam rem citat Chrysostomum. Homil. 29. in Genes. & Tertullianum aduersus Marcionem. Debetne igitur in Caluino esse odiosum quod in alijs non fertur modò, sed etiam laudatur? At tantum abest vt Caluinus id in doctrina de peccato originali tradiderit, vt refutauerit data opera eorum opinionem qui tale quidquam imaginantur. Testem ipsum profero sic disputantem in illa Pauli verba, *Peccatum introijt in mundum & per peccatum mors.* Obserua quem hîc ponat ordinem: peccatum enim præcessisse dicit, ex eo secutam esse mortem. Sunt enim qui contendunt nos ita peccato Adæ esse perditos, ac si nulla nostra culpa periremus, ideò tantum quasi ille nobis peccasset. Atqui disertè affirmat Paulus in omnes propagatum esse peccatum, qui eius pœnas luunt. Atque id deinde propius vrget cùm rationem assignat paulò post, cur omnis Adæ posteritas subiaceat mortis imperio, Nempe, inquit, quoniam omnes peccauimus. Porro istud peccare est, corruptos esse & vitiosos. Et quæ ibi sequuntur. Quo iure igitur scriptores illi Caluino doctrinam attribuunt à qua fuit alienissimus? Cur sibi monstra fingunt quæ debellent? Cur virum sanctum & de omnibus bonis optimè meritum falsis istis criminibus exosum red-

Arnold contra Mol.

Rom. 5. 12.

dere ſtudent? Reatus Adami, ex Caluini ſententia, nobis eodem modo communicatus fuit quo peccatum ipſum. Peccatum Adami noſtrum factum eſt, quia vitium quod peccando contraxit, in nos transfudit naturali propagatione. Eiuſdem reatu ſumus implicitį, quia quemadmodum peccando reatum ſibi conciliauit, ſic natiuum noſtrum vitium naturalis reatus neceſſariò ſequitur. Verum enim vero, inquit diſputator, Caluinus dixit non eſſe factum naturaliter, vt à ſalute exciderent omnes vnius parentis culpa. Dixit quidem. Et in eo Arminij diſcipuli ſaltem obſeruare debuerunt, omnes homines ad ſalutem à Deo fuiſſe conditos, & vitæ compotes futuros ſi ea non excidiſſent, docente Caluino. Alioqui quî fieri potuit eá vt exciderent ſi nihil planè ex Dei conſilio ad eos attinebat? Quod etiam alibi docuit diſertiùs, vt in libro de Prædeſtinatione. Quod ob-
„ tendit Pighius, inquit, inter duas ſententias diſſidium, prorſus nul-
„ lum eſt. Dicimus hominem hac conditione fuiſſe creatum vt con-
„ queri de ſuo opifice nequeat. Præuidit Deus Adæ lapſum, nec cer-
„ tè niſi volens ruere paſſus eſt: Quid hic tergiuerſari attinet? Negat
„ tamen Pighius: quia conſilium ante de ſeruandis omnibus concep-
„ tum, ſtabile maneat. Quaſi verò non ſit in promptu ſolutio: non a-
„ liter omnibus deſtinatam fuiſſe ſalutem, quàm ſi in prima origine
„ perſtarent. Neque enim ſimplex & præciſum fuiſſe Dei decretum
„ quiſquam ſanus concedet, vt omnes ad ſalutem peruenirent. Et pariter alijs in locis. Id autem quàm longè abeſt ab eo quod præſtantiſſimo Theologo ſolent exprobrare, ex eius opinione ſequi, Deum homines vno eo conſilio creauiſſe vt eorum multo maximam partem, nullo habito reſpectu ad peccatum, æternis cruciatibus traderet excarnificandam? Si quid igitur ab eo dictum eſt alibi vel duriùs vel obſcuriùs, quid facilius fuit aut quid magis dignum hominibus Chriſtianis quàm vt id benigna interpretatione explicarent & emollirent? Nihil autem hic eſt vel durum, vel obſcurum niſi velimus eſſe iniqui & moroſi nimis, &, quod dici ſolet, nodum in ſcirpo quærere. Cùm enim tres rerum vniuerſales cauſæ ab hominibus ſtatui ſoleant: Caſus ſeu Fortuna, Natura & Prouidentia; neque caſum, quem nullum agnoſcit ſecluſa Dei prouidentia, neque Naturam in primi peccati admiſſione ac propagatione regnaſſe contendit; rem totam Prouidentiæ procuratione adminiſtratam eſſe docet. Quod nemo culpare poterit qui volet ſuam Deo gloriam conſtare illibatam. Prouidentiā autem iſtam vnà cum Caluino ab omni communicatione peccati ſeiunximus. Oſtendimus ergo nullam Dei
culpam

culpam homines ad peccandi necessitatem adegisse.

De altero quod Anonymus probare instituit, pauca nobis dicenda sunt. Quid respondendum sit satis patet ex superioribus. Primum enim demonstrauimus futurum non fuisse cur homines Deo vel leuissimè succenserent, si eos vnà cum dæmonibus ab omni spe salutis arcuisset. Summæ ergo misericordiæ fuit quod Christum mediatorem dederit, à quo neminem repellere voluit, qui modò accederet cum fide & pœnitentia. Deinde palam fecimus in dispensatione fidei liberum Deo fuisse quos vellet eo beneficio dignari, cæteris præteritis. Tertio docuimus ex Caluini sententia reprobos in eo negotio dupliciter considerari debere, absolutè in se, & comparatè cum electis. Addidimus autem absolutè in se consideratos dignos fuisse qui præterirentur, vtpote peccato contaminatos. In comparatione, rem ad vnum Dei liberum arbitrium referendam esse diximus, quando quidem in hominum conditione pari nullam discriminis causam reperire est. Denique sufficienter demonstrauimus peccandi necessitatem indeclinabilem, quæ derelictionem seu præteritionem sequitur, voluntati diuinæ attribui neque posse neque debere, vt eam ideò peccati causam esse credamus. Siquidem Dei voluntas in eo versatur merè negatiuè, nec quidquã aliud gessit nisi quod malitiam hominum animis innatam & altis consuetudinis radicibus hærentem vi potentissima Spiritus sui non sustulit. Alioqui peccatorum quæ à Diabolis quotidie committuntur, causa Deus censendus esset, vt qui eos decreuerit nunquam ad meliorem vitam reuocare. Nec diffiteri possunt Arminij sectatores plerosque mortalium à Deo sic in peccato relinqui vt in eo perpetuò maneant. Nempe si vellet omnes proculdubio conuerteret, & indifferentem illam ἰσοῤῥοπίαν quam in voluntate humana comminiscuntur, ad bonum inflecteret eâ efficacitate quæ omnem repugnantiam omnemque contumaciam peruinceret ac superaret. Nam, obsecro, quodnam esse potest in animo humano tantum impedimentum quod Dei potentia non facilè perrumpat, ei si libeat non pro viribus contendere atque conniti, sed nutu solo voluntatem suam declarare? quod ergo illi dicunt Deum facere ductum reuerentia aliqua arbitrij humani, Caluinus ad vnum illius libertimum quamuis sapientissimum consilium referendum esse putat. Non quod ipsi dispensationis suæ ratio non constet, sed quod eam nobis noluit reuelare. Id autem quanto sapientius? Nam ad illam arbitrij liberi reuerentiam quod spectat, quid attinebat tantum esse apud Deum libertatis nostræ respectum, vt mal-

let nos perire liberè, quam quomodocunque voluntatem nostram ad salutem consequendam determinare? Cum præsertim egregia illa ac ipsi Deo, qui ea caret, inuidenda libertas, & ipsa sit, vt supra vidimus, fœdissima seruitus, & miserrimæ conditioni mancipet in æternum: vis illa verò quam sibi homines acuti fieri metuunt, nos vindicet à seruitute peccati & Satanæ, & liberali manu asserat in filiorum Dei libertatem? At de ea re fortasse pluribus aliàs. Nunc mihi temperare non possum quin cum Caluino mirer hominum vel præposteram diligentiam, vel profanum aduersus Deum animum. Ii enim certè exitij sui causā in se proculdubiò sentiūt. Quem enim nostrûm conscientia infinitorū malefactorum non arguit? Quem natiuę corruptionis sensus reum æternæ mortis centies non peragit? Recurrunt tamen ad causas propagati peccati, de imputatione lapsus Adami, iusta sit nec-ne, acriter ac penè gladiatorio animo disputant, subuolant in cælum ipsum, & quæ sunt in Dei secreto abstrusa curiosissimè rimantur, vt ne quid eorum lateat quæ ductu prouidentiæ gesta sunt atque administrata in peccato primorum nostrorum parentum, nec vsquam conquiescunt, donec vel ipsum Deum in societatem peccati sui traxerint, vel asserta ingenio humano imaginaria quadam superbaque libertate, summi numinis regimini atque imperio se se subduxerint. Quidquid sit de voluntate diuina, quæ recessus habet mentibus nostris prorsus imperuios & impenetrabiles, & cuius auctoritas apud creaturas summa semper & ἀνυπεύθυνος esse debet, hæret in nobis peccati nostri culpa, peccato exitij causa insidet, frustrà confugimus ad causas remotas, quarum nonnullæ ne causæ quidem sunt propriè dictæ, prætermissis veris, proximis, & se se sponte sua in sensus nostros ingerentibus causis. Lapsus est, inquit Caluinus, primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cur censuerit nos latet. Certum tamen est non aliter censuisse, nisi quia videbat nominis suæ gloriam inde merito illustrari. Vbi mentionem gloriæ Dei audis, ibi iustitiam cogita. Iustum enim esse oportet quod laudem meretur. Cadit igitur homo Dei prouidentia sic ordinante, sed suo vitio cadit. Propria ergo malitia, quam acceperat à Domino puram naturam corrupit, sua ruina totam posteritatem in exitium attraxit. Quare in corrupta potius humani generis natura euidentem damnationis causam quæ nobis propinquior est, contemplemur, quàm absconditam ac penitus incomprehensibilem inquiramus in Dei prædestinatione. Alibi autem, qui exitij sui causas tam longè repetunt ab æterna Dei prouidentia, eos æque stultè facere dicit cum Medeæ nutrice anicula quæ

Inst. lib 3. cap. 3. §. 8.

Illa quæ sic in Tragœdia intempestiuè quiritatur,

*Vtinam ne in nemore Pelio*
*Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes, &c.*



# CAPVT VII.

## *Caluini doctrinam non repugnare misericordiæ Dei.*

CVM omnia sunt in Anonymi libello admodum acerba, tum nihil atrocius quam quod dicit de Caluini doctrina, vbi eam cum misericordia Dei comparare instituit. Sic enim disputat. *Diuinæ etiam misericordiæ aduersari videtur doctrina ista.* 1 *Quippe si ista sententia de absoluto decreto vera esset, nonne Deus potius pater crudelitatum quam misericordiarum dici posset? Quomodo etiam charitas Dei charitatem paternam & maternam superaret? Ecquis enim pater tam crudelis, qui ideo filios aliquos generaret & educaret, vt haberet quos pro mera sua voluntate, vel pro delicto aliquo quod ne ab ipsis quidem commissum est, tormentis inenarrabilibus addiceret? Quis vnquam vel fando audiuerit crudelitatē talem? Quisquis vero diligenter hæc quatuor secum perpenderit.* 2 *I. Peccatum Adæ peccatū esse naturæ humanæ, non personale filiorū Adami sed Adami solius vitio contractū.* II. *Nos reos esse peccati istius, non ex naturali generatione, sed ex mera Dei voluntate, quod aiunt illi.* III. *Deum hoc peccatum remisisse Adamo qui voluntariè & sponte illud commiserat.* IV. *Christum in mundum venisse vt tolleret peccatum mundi, Deumque ex morte eius satisfactionem pro vniuerso humano genere vel accepisse, vel accipere saltem potuisse; Quisquis, inquam, hæc quatuor rectè secum perpenderit, concedet vel absolutum reprobationis decretum nullum, vel misericordiam Dei exiguam esse, minusque benignum se exhibere erga homines quàm erga bruta animantia ipsosque diabolos. Quanto enim satius fuisset non omnino fuisse quàm tam misera pereundi conditione in lucem editum esse? Quem non tæderet immortalitatis suæ, quis non mallet se extingui potius quam ad supplicia reparari? Quis si tam misera sorte se natum esse sciret, non se bufonem potius, aut colubrum esse quàm hominem optaret? Imo si decretum reprobationis absolutum esset, seuerius certè*

*videretur Deus cum hominibus quàm cum ipsis dæmonibus acturus. Hi enim non aliena culpa, sed suo proprio vitio in tam miseram conditionem inciderunt. Homines non item. Deinde diaboli non vana spe salutis lactantur, vt reprobi, qui promissionibus salutis auditis, se etiam in numero esse saluandorum falsò credere poterunt. Diaboli denique non iubentur credere, neque pœna eorum incredulitate sua augetur; quod aliter se habet in reprobis.*
3 *Quantum etiam aduersatur diuinæ misericordiæ tantis & tam eximijs dotibus tam naturalibus quàm spiritualibus homines ornare, tantaque in eos dona conferre, vt illis abutendo grauiores sibi pœnas accersant? Illuminationem enim spiritualẽ, & agnitionem veritatis atque alia quædam dona, etiam reprobi consequuntur, Heb. 6. 4 & 10. 26. Quorsum verò his donis instruuntur? Num vt abutendo grauius peccent, eoque grauiùs puniantur? Grauius enim punit abutentes gratia sua. Abuti verò diuina gratia, quid, nisi salutem inde non operari? Ipsi verò abutantur necesse est, si decreto aliquo absoluto ad damnationem prædeterminati fuerint. Quod cum bonitate diuina nimis pugnat. Quàm male igitur Caluinus Instit. lib. 3. cap. 24. num. 13.* Ecce vocem ad eos dirigit vt magis obsurdescant: lucem accendit, sed vt reddantur cæciores, remedium adhibet, sed ne sanentur. *Et Beza Prælect. in cap. 9. ad Rom.* Absurdum videri non debet Deum reprobis quibusdam qui in Ecclesia versantur gratiam in verbo suo, siue etiam per Sacramenta sua offerre, non eum in finem vt per eum seruentur, sed contra vt minus habeant excusationis quàm reliqui, & tandem grauiùs puniantur. *Et Maccouius Disput.* 14. Pulsat Christus ad ostium reproborum, quos nouit nec posse, nec velle aperire: non vt intret, sed partim vt exprobret impotentiam sua ipsorum culpa contractam, partim vt condemnationem in illis augeat, & Christum dicit ideo locutum esse ijs, vt ex contemptu odioque filij vnigeniti grauior condemnatio esset. *Apage doctrinam diabolicam, quæ tamen ex absoluto decreto necessariò sequi videtur. Quidni igitur Prosperi verbis concludam, sentent. super 8. c. Gall.* Qui dicit quod non omnes homines Deus vult saluos fieri, sed certum numerum Prædestinatorum, duriùs loquitur quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei.

Tria hic demonstrare nititur Anonymus. I. Deum non posse dici misericordem, sed crudelem potius, siquos absolutè reprobasse statuatur. II. Minus benignè egisse cum hominibus quàm cum diabolis ipsis, adeò vt nemo sit è reproborum numero quem naturæ humanæ tædere non debeat. III. Et alia quadam ratione fieri vt satius fuerit esse diabolum, quam hominem ex numero reprobatorum: quia

quia diaboli non iubentur credere, iubentur reprobi, qui ſic pœnas ſuas adaugent. In reliquis diſputator ingenio & eloquentiæ indulget. Eſt igitur in illis tribus preſsè congrediendum. Et ad primum quod attinet, hoc argumento horrenda aſſertio nititur, quod Deus homines numero plurimos tanquam filios generarit & educarit, vt haberet quos pro mera ſua voluntate, vel pro delicto aliquo, quod ne ab ipſis quidem commiſſum eſt, tormentis inenarrabilibus addiceret. At quis id Caluino tribuere poteſt citra contumeliam & calumniam impudentem ac minimè ferendam? Non exiſtimauit ille quidem, neque verò exiſtimare debuit, Deum ea neceſſitudine cum hominibus eſſe coniunctum quæ inter parentes & liberos intercedit. In parentibus atque liberis eſt vna eademque natura, at natura numinis ſupra noſtram excellit infinitè. Liberi ita generantur à parentibus, vt ſint parentum ſuorum veluti pars quædam: at nihil tale nobis cum Deo commune eſt. Parentes noſtri nos ita genuerunt vt alia partem ortus noſtri ſibi vindicent; nam & ſol ſuo modo generat hominem, & anima, noſtri longè potiſſima pars, creatur atque infunditur immediatè à Deo. At quod primus homo in rerum natura extitit, id vni Deo debetur, & quod ab illa radice ſuccreuimus, efficacitati prouidentiæ Dei adſcribendum eſt. Quocirca quæ tanto interuallo inter ſe diſtant, eodem iure contineri non poſſunt. Vt planè ſit alienum à ratione quod iſti homines efficere nituntur, vt Deus eodem modo cum genere hominum ſe ſe gerere debeat, quo parentes cum ijs quos de ſe procrearunt. Attamen Caluinus, vt iam ſupra vidimus, Dei conſilium de creandis hominibus, ijs omnibus ſalutare futurum fuiſſe dicit, niſi proprio vitio beatitudine excidiſſent. Verba ſunt quæ calumniæ ipſi ruborem ſuffundere queant, Inſtit. lib. II. cap. I. §3. Non vult nos obliuiſci Deus primæ nobilitatis quam „ Adæ patri noſtro contulerat, nempe quæ nos ad iuſtitiæ bonitatiſ- „ que ſtudium merito expergefacere debeat. Non enim poſſumus aut „ primam noſtram originem, aut quorſum conditi ſumus cogitare, „ quin ad meditandam immortalitatem expetendumque Dei regnum „ pungamur. Et Comment. in Pſal. 8. 6. Equidem non dubito quin „ hîc Propheta præclaras dotes commendet quæ declarant homines „ ad imaginem Dei formatos eſſe, & creatos ad ſpem beatæ vitæ & „ immortalis. Nam quod ratione præditi ſunt, quâ diſcernant inter bo- „ num & malum, quod illis inditum eſt religionis ſemen, quod mu- „ tua eſt inter eos communicatio ſacris quibuſdam vinculis adſtricta, „ quod inter eos viget honeſti reſpectus & pudor, & legum modera- „

tio, hæc non obſcura ſunt ſummæ & cæleſtis ſapientiæ ſigna. Quod ſi homo ex ſublimi illo ſpei & gloriæ faſtigio ſponte ſua ſe præcipitem dedit, quid Deus peccauit qui id ſapienti conſilio paſſus eſt? aut quid Caluinus commeritus eſt, qui tantam Dei bonitatem & agnouit & ſummo ſtudio prædicauit? quænam eſt illa cauſa quam ad eum obiurgandum ſeſe putant eſſe nactos tam vehementem? Si Deus non aliter vt iam ſæpe diximus, hominibus in peccatum lapſis opitulatus eſſet, quàm Diabolis, quos ab initio deiecit ab omni ſpe redintegrarionis, ideone, horreſco referens diſputatoris verba, appellandus eſſet pater crudelitatum? At neque id fecit, neque verò feciſſe Caluinus vſquam docuit. Audiatur ille Comment. in Pſalmum 89. verſ. 47. Vt ſummam teneamus ſatius erit ab hoc membro incipere, *cur fruſtra creaſſes omnes filios hominum?* Nam ex vero fonte ſententiam hanc petunt fideles, quod Deus homines ideo condiderit, & locauerit in mundo, vt ſe illis exhibeat patrem. Si hic finis eſt creationis noſtræ, præſtaret nunquam naſci, quàm ſub continuis doloribus tabeſcere. Huc accedit breue vitæ curriculum: quia niſi maturè acceleret Deus guſtanda nobis præbere ſua beneficia, in iſto euanido tranſitu non erit oportunum tempus. Nunc tenemus quid velit Propheta in hoc verſu. Primò expendit in hunc finem conditos eſſe mortales, vt fruantur Dei beneficentia in mundo. Vnde colligit fruſtra naſci, niſi ſe illis Deus Patrem demonſtret. At quomodo Patrem? Vt habeat quos cruciet in æternum? Audi illum in Rom. 3. 29 Interrogat non ſimpliciter vel præciſè an ſit Gentium conditor Deus, quod extra controuerſiam notum erat. Sed annon illis quoque ſe velit ſeruatorem declarare. Poſtquàm enim æquauit totum hominum genus, ac ſub eandem conditionem redegit; ſi quid ſit diſcriminis inter eos ex Deo eſt, non ex ipſis qui habent omnia inter ſe paria. Quod ſi verum eſt Deum ſuæ miſericordiæ velle participes facere omnes populos terræ; ſalus, & quæ ad ſalutem neceſſaria eſt iuſtitia, ad omnes extenditur. Quare in Dei nomine hic eſt notatio mutuæ relationis, quæ ſæpe in Scriptura occurrit, ego vobis ero in Deum, & vos eritis mihi in populum. Nam quod Deus ſibi peculiarem ad tempus populum elegit, illud naturæ principium non tollit, omnes ad imaginem Dei eſſe formatos, & educari in mundo in ſpem beatæ æternitatis. Iſta quàm longè ſuperiorem criminationem à Caluino propulſant atque propellunt? Satis ne igitur Arminij diſcipulis iam purgatus eſt? Quod ſi quis vrgeat Deum non modo lapſum hominis non inhibuiſſe, ſed etiam decreuiſſe futurum certo conſilio, ille continuò reponet. Quicunque

piè &

piè & reuerenter de potentia Dei ſentiunt, nonniſi eius permiſſu ag- Com. in Gen.
noſcunt hoc factum eſſe. Nam iſtud primo concedere neceſſe eſt, 3. 5.
non latuiſſe Deum qualis futurus eſſet euentus: deinde potuiſſe obſi- „
ſtere ſi ita viſum foret. Cæterum de permiſſu quum loquor, intelligo „
illi fuiſſe conſtitutum quidnam fieri vellet. Hic quidem exoritur à „
multis diſſenſio. Qui Adam ita permiſſum arbitrio ſuo imaginantur, „
vt Deus eius lapſum noluerit, ſumunt pro confeſſo quod illis fateor, „
*nihil minus* eſſe probabile quàm Deum peccati cenſeri cauſam, quod „
tot atrocibus pœnis vltus eſt. Sed cùm dico non ſine Dei ordinatio- „
ne & nutu lapſum fuiſſe Adam, non ita accipio quaſi peccatum illi „
vnquam placuerit, aut ſimpliciter voluerit præceptum quod dede- „
rat, violari. Et quæ ſequuntur. Quæ vel apud iniquiſſimos iudices Caluino abſoluendo ſufficere poſſunt. Ad ſecundum veniamus.

Ex quatuor illis quæ diſputator nos vult nobiſcum diligenter perpendere, Caluinus negabit primum ſe vnquam vel ſcripſiſſe, vel dixiſſe, vel cogitaſſe. Eſt ita peccatum Adæ naturæ humanæ peccatum, vt vniuſcuiuſque liberorum Adami propagatione factum ſit. Labes originalis genus humanum vniuerſum peruaſit. Id ſupra ex eius verbis vidimus. Secundum non negabit forte à ſe dictum quidem, ſi verba tantùm ſpectes, quamquam videntur à diſputatore non nihil immutata. At conqueretur ſanè torqueri in eum ſenſum quem nunquam approbauit. Nos vt intelligi debeat, ſupra paucis explicauimus. Tertium concedet vtique libentiſſimè, neque enim Adamo ſalutem inuidebit cuius ipſe particeps eſt. Quartum à ſe centies pronunciatum eſſe profitebitur. At quod ex ijs deducitur & colligitur à diſputatore, vel abſolutum reprobationis decretum eſſe nullum, vel miſericordiam Dei exiguam eſſe, Deumque ſe ſe minus benignum exhibuiſſe erga homines quàm erga diabolos, id verò vti falſiſſimum eſt, ita ſequi minimè concedet, & mirabitur quemquam fuiſſe cui ſic videri potuerit. Nam ad diabolos quod attinet, Deus illis ſpem omnem inſtaurationis atque veniæ, vt iam ſæpe dixi, ſemel ademit, nec
vlla miſericordiæ ſuę declaratione dignatus eſt eorum ſubleuare mi-
ſeriam. At erga genus humanum ſe ſe geſſit multo aliter. In il- Com. in Gen.
la, inquit Caluinus, ſerpentis maledictione, habita fuit hominum ra- 3. 15.
tio; tum vt maiori peccati horrore tangerentur, videntes quantope- „
re Deo diſpliceat; tum vt inde miſeriæ ſuæ ſolatium caperent, quia „
ſentirent Deum ſibi adhuc eſſe propitium. Diabolos ſtatim admiſſo peccato ſeueriſſimè puniuit, nulla interpoſita morâ, nulla interiectâ dilatione ſuppliciorum quâ ad pœnitentiam reuocarentur. Erga

homines vſus eſt ſumma lenitate ac patientiâ, quo, ſi fieri poſſet, ad meliorem frugem reducerentur. Et quod rei caput eſt, diabolis redemptorem denegauit: hominibus contra obtulit admirabili clementia inductus, & in eius cruce placabilitatem ſuam collocauit in aperta luce, ſi modo illam minimè reijcerent. Huic enim cauſæ Chriſti miſſionem in terras Caluinus attribuit, vt ſupra vidimus, quod Deus Opt. Max. noluerit genus humanum perire. At fidem non omnibus indulſit. Quid tum poſtea? Eripuitne etiam illis intellectum ac voluntatem, facultates à ſe in creatione conceſſas, quibus ſi homines rectè vterentur, ſalutis eſſent compotes? Quod ergo obſtinatis animis aduerſus Euangelium obduruerunt, effecitne vt tanta miſericordia non eſſet amplius miſericordia, ſed crudelitas? Profectò, quemadmodum Apoſtolus ait hominum incredulitatem Dei fidem non abrogare, ſic dicere Caluino licitum eſt, ferream illam hominum duritiem, ingratumque ſupra id quod mente concipi poteſt, animum, non facere quominus ingentem miſericordiam Deus in eo oſtenderit, quod per Chriſtum aditum ad vitam aperuit, ſi modo ingredi homines non ſuperbè dedignarentur. Verum enimuero ſatius fuerit homines naſci bufones & colubros, quàm vt ijs Deus fidem non largiatur. Reſpondeat Caluinus ſuis verbis: audiuit enim tales obiectiones, nec flocci putauit eſſe faciendas. Dum reputant homines, inquit, quot & quibus obnoxij ſint malis, continere ſe nequeunt quin fremant & obmurmurent Deo cui perperam imputant iuſtas peccati pœnas. Notæ ſunt querimoniæ, clementius egiſſe Deum cum porcis & canibus. Vnde hoc niſi quia miſerum hunc & perditum ſtatum, ſub quo tabeſcimus, non referunt acceptum Adæ peccato ſicuti par erat? Sed hoc longè deterius, quod interiora animi vitia qualia ſunt horribilis cæcitas, contumacia in Deum, prauæ cupiditates, violenti ad malum impetus, in Deum reijciunt. Quid quod Dominus noſter Ieſus de Iuda ſatius illi futurum fuiſſe dixit, ſi nunquam natus eſſet? Præſtat autem eſſe colubrum quàm nihil. Id circone Deus Iudæ fecit iniuriam, qui eum in rerum naturam produxit? Fingant ergo illi quantum volent, Iudæ mentem vi Spiritus ſancti fuiſſe colluſtratam, voluntatem eius in æquilibrio ſuſpenſam potuiſſe in vtramlibet partem flectere ſe ſe atque determinare, ac denique ita conſtitutum fuiſſe in biuio vt hinc vitam inde mortem propoſitam ob oculos, æquè diſtinctè cognouerit, præoptauerit autem partem longe deteriorem, quia tamen non potuit abſterreri ab inexpiabili delicto, Deo perpetuò ſuccenſebit, & accuſabit eius benignitatem, quod

Com. in Gen. 3.

quod noluerit eum in ſinu nihili delitеſcere in æternum. Nam quod illi pertendunt non habere Iudam cauſam cur Deo ſit iratus, quia quod patitur, iuſtè illi irrogatum eſt, peccauiſſe enim volentem, nulla vi coactum, nulla adactum neceſſitate, iam ſæpe refutatum eſt. Quid enim clarius atque manifeſtius eſſe poteſt, quàm reprobos ſponte peccare, ex hypotheſi Caluiniana? Quis illis vim adhibet quæ inuitos peccare cogat? Et ſi ſponte volenteſque peccant, quidni æquè cum Chriſti proditore iuſtè puniri iudicabuntur? Aut ideone minus iuſtè punientur quia eos præter rationem non imaginamur paribus hinc inde examinatos ponderibus aliquandiu pependiſſe, donec voluntariè ad peccandum ſe ſe mouerent, ſtatuimus vſque adeò perditos ac profligatos fuiſſe, vt ne ſpatium quidem vllum caperent ad deliberandum, quin ſibi Chriſtum ſuperbè reijciendum eſſe putarent? Vt interim taceamus etſi à reliquis mortalibus per commentitiam illam ἀδιαφορίαν ſecluſa eſſet omnis peccandi neceſſitas, contingere tamen non potuiſſe quin Iudas peccaret, quandoquidem de eo prædictum erat fore vt & Chriſtum proderet, & horrendis conſcientiæ formidinibus ad deſperationem adigeretur. Verùm quid multis opus eſt? Ea eſt incredibilis hominum peruerſitas, ea intolerabilis audacia, vt poſtquàm à Deo conditi, tam præſtantibus animæ dotibus ſupra res omnes alias adſpectabiles ornati, tam ſuauiter inuitati ad fidem & pœnitentiam, tot egregijs promiſſionibus allecti, tot indulgentiæ demonſtrationibus & argumentis aſſiduè ſollicitati, omnia illa ingratiſſimè aſpernati ſunt, de Deo conquerantur quod eos bufones vel colubros non creauerit. Diſtædet eos ſuæ immortalitatis, quam cùm beatorum Angelorum conditioni conſimilem reddere per Dei inſignem benignitatem poſſent, niſi obſtitiſſet dirus in animo rigor, maluerunt miſerè corrumpere, & ſe cum dæmonibus conſociare.

Tertium non difficiliori negotio diſſoluitur. Quod diſputator diabolorum ſortem hominum à Deo repudiatorum conditioni præfert, eo quod illi ſuopte vitio, hi aliena culpa perierunt, id in Caluini ſententiam non verè dicitur. Quum enim homines duplici peccato laborent, originali, ſcilicet, & actuali, originale Caluinus ita alienum eſſe duxit, vt cuiusque tamen proprium dicendum arbitretur. Alienum eſt ſi ſpectes originem, quæ ab Adamo trahitur. Proprium verò cuiuſque, ſi rationem, vt loquuntur, peccati formalem intuearis, quæ ſola in iudicio conſideratur. Non enim quærit Legiſlator vnde peccatum profluxerit; quærit tantummodo an hæreat in eo

de quo iudicium ferendū est. Hærere autem in vnoquoque homine peccatum originale, nemo negauerit præter vnum Pelagium, & eos qui cum Pelagio apertè faciunt. Actualis verò culpam in eo residere à quo committitur, si quis negauerit, non amplius Pelagianum sed insanum esse oportebit. Multo verò minus verè dicetur in Caluinum, diabolorum in eo conditionem optabiliorem esse, quod non vana spe salutis lactantur vt reprobi, *qui promissionibus salutis auditis se in numero esse saluandorum falsò credere poterunt.* Vbi enim vnquam Caluinus scripsit reprobos vana spe salutis produci ac deliniri? Aut vbinam quidquam dixit ex quo id iure colligi possit? Reuera Christus in mundum venit: reuera peccatorū propitiationē fecit: reuera prædicatione Euangelij omnibus oblatus est: si omnes eum amplecterentur, redderentur etiam reuera salutis participes: vbinam est igitur illa inanis lactatio, illa simulata salutis ostentatio, illa Deo indigna ludificatio miserorum? Si qui pereunt, habent quod sibi imputent; iuxta illud, *Perditio tua ex te ô Israël:* hoc est, vt Caluinus interpretatur, *Tu causa es tui exitij:* tua culpa peris: Si non obstitisset malitia & ingratitudo, Deus haud dubiè fuisset semper sui similis, & fluxisset continuo tenore & æquabili eius bonitas erga te. Non est igitur cur hic litiges, quasi Deus frustretur tuam expectationem, & contemnat vota tua & clamores. Ego certè nunquam tibi deessem, si posses ferre: sed tu mihi occludis ianuam, & repellis tua malitia gratiam meam, ne ad te vsque perueniat. Sequitur ergo te nunc perire propria culpa. Docet autem hic locus frustra obstrepere Deo homines in suis miserijs, quia nisi reijcerent oblatam sibi gratiam, ipse semper paratus esset ad eos iuuandos. Neque enim fatigatur in sua beneficentia, neque etiam potest exhauriri eius largitas. Ergo culpa in nobis residet. &c. Possunt ergo reprobi persuasum habere se esse è numero seruandorum, si credant. Possent etiam credere, nisi mentem peruersis habitibus penitus imbutam haberent. At quia sunt natura perditissimi & desperatissimi nequam, non possunt. Verùm, inquit, disputator, incredulitate pœnam suam augent, quod non faciunt diaboli. Quod quidem positum est extra omne dubium. At Dominus noster etiam ait grauioribus pœnis esse plectendum eum qui voluntatem heri sui non ignorat. Ideone igitur herus iniustus aut immanis qui voluntatem suam seruo suo reuelauit? Aut ideone herus ius amisit imperandi, quia certo sciuit seruum suum imperium esse detrectaturum? Idem Christus pronunciauit cum vbibus Corasin & Betlaïda longè peius & seuerius actum iri extremo iudicio

Com. in Hos. 13. 9.

dicio, quam cum Tyro atque Sidone. Debuit-ne ergo propterea Christus abstinere ab Euangelij prædicatione in medio illarum, & sibi imperare vt ne vlla miracula in earum conspectu patraret? Sole illo lucido atque vitali qui quotidie terris exoritur, aëre quem spiritu ducimus, fructibus quos terra supernè fœcundata tam liberaliter fundit, omnium denique rerum affluentia quas benigna Dei manus hominibus è cœlo suppeditat, penè omnes abutuntur ad compotationes, ad comessationes, ad libidines omnis generis exercendas, & sic sibimet ipsis accumulant iram in diem iræ, vt loquitur Paulus. Rom. 2. 5. Eane igitur idonea causa est quamobrem solem extinguendum, & naturæ ordinem funditus euertendum esse putemus? Vno verbo, negare-ne possunt Arminiani, multo grauiorem omnibus incredulis maledictionem impendere post reuelatam in Christi cruce salutem, quàm si omnino mortales latuisset? Id si negant quid sibi vult Christus in hisce verbis, *Si non venissem peccatum non haberent?* Si fatentur; aut fateantur itidem id à quo eos abhorrere arbitror, inclementem ac truculentum Deum fuisse qui gratiæ prædicatione peccatorum reatum auxit, aut Caluini doctrinam hac in parte reprehendere desistant. Quid enim ad eam rem dicent quod ille pariter dicere non possit? Id euenire per accidens? Et id Caluinus centies dixit, vt infra videbimus. Incredulos sponte aduersus Christum obduruisse? Et id Caluinus sæpiùs, disertiùs atque vehementiùs affirmauit. Non stetisse per Dei misericordiam quominus illi seruarentur? Et Caluinus istud ipsum impedimentum doctrinâ sua remouit. Suppeditata illis fuisse omnia media necessaria ad salutem obtinendam? Et illis obiectum Caluinus offerri vult, vt ne desit quod amplectantur. Vna malitia restat, quam Caluinus non esse sublatam docet, quam Arminiani ipsi, vt jam diximus, est verò identidem inculcandum, agnoscere debent non esse sublatam in incredulis, quandoquidem non crediderunt. Nam quid eos inquam prohibere potuit quominus crederent, præter malitiam? Quæro enim num sit voluntas in omnibus adultis cùm natura, tum praua consuetudine peruersis ac vitiosis habitibus præpedita antequam Christi gratia ijs offeratur? Certè id diffiteri non possunt, si sunt Christiani. Tum, & illud quæro, vt voluntas deducatur ad statum illum τῆς ἰσοῤῥοπίας in quo volunt omnes homines constitui, vt in quamlibet partem pro arbitrio propendere possint si velint, num necesse sit vt à peruersis illis affectibus abducatur, quibus tenetur impedita. Nam si id necesse non est, quæ, malum, est illa voluntatis ἰσοῤῥοπία, in qua vitiosis est habiti-

bus irretita, præpedita cupiditatibus & vitio immedicabili funditus occupata? Istud si est esse ἰσόρροποι quid est iam esse ad malum determinatum? Si necesse est, quandoquidem liberatio à peruersis habitibus sanctificatio est, qui autem in eo tantùm est vt à peccato tendat ad ἰσορροπίαν, atque adeò qui ἰσόρροπος est, nondum credidit, boni isti Theologi volunt omnes homines esse sanctificatos antequam in Christum credant Quod mirarer à quoquam dici posse qui non insaniat. Huc accedit quod illa liberatio à vitiosis habitibus, quæ ex gratia Spiritus Euangelici obtigit, vel facta est per determinationē aliquam volūtatis, vel non. Si non, quî fieri potuit vt citra voluntatis aliquam determinationem, voluntas ipsa liberaretur à peccato? Potuit-ne liberari à peccato quin id vellet Et quando determinatio voluntatis ipsa volitio est, potuit-ne velle quin eadem opera determinaretur? Si determinata fuit vt liberaretur à peccato, vel ipsa se determinauit, vel à Spiritu Dei determinata fuit. A se autem quidem certè nequiuit determinari. Nam ad bonum se se determinare non potuit antequam liberata esset à peccato. Hîc autem ponimus liberationem illam factam esse per voluntatis ad bonum determinationem. Iam verò effectus non potest causam suam præcedere, neque causa effectum sequi. Quamobrem à Spiritu Dei determinatam esse necesse est. Quod si Dei Spiritus potuit illæsâ libertate voluntatem in eo actu determinare per quem liberata est atque expedita à peruersis suis habitibus, quid causę est cur eam determinare nequeat in eo actu per quem creditur in Euangelium, quin beatam illam quâ gaudet à natura scilicet, libertatem euertat, & hominem spoliet sua humanitate? Et quando Spiritus Dei non dubitauit efficacitatem suam eo vsque exerere in hominis voluntate, in eo actu qui fidem antecessit, quum ad id ventum est vt Euangelio credendum esset, quæ noua religio incessit ne eam tum inflecteret, sed majestatem liberi arbitrij in illa tam comiter revereretur? Nihil nunc facilius esset quàm insulso isti dogmati insultare, & eius defensores exagitare verbis sesquipedalibus. At Caluinum defendere sat habemus. Nolumus extra propositum euagari, nec libet disputatorem imitari sic paratragœdiantem.

Verùm, inquit Anonymus, quidquid Caluinus aut dixerit aut senserit, certum est emisisse istud effatum horribile, *Ecce vocem ad eos dirigit vt magis obsurdescant, &c.* Cui consentanea scripserunt & Beza & Maccouius. Maccouius ipse pro se respondebit. Beza quid scripserit, hic non quæritur: de Caluini sententia disputatur. Ille igitur ap-

primè distinguendum esse censuit inter finem proprium Euangelicæ prædicationis, & id quod ex Euangelica prædicatione euenit per accidens. Per se Euangelium pertinere ad hominum salutem; per accidens euenire vt incredulitate reiectum, magis ac magis pœnas incredulorum intendat, constantissimè docuit. Hoc primum. Deinde haud minus censuit diligenter esse distinguendum inter finem quem ex misericordia sibi Deus proponit in eo negotio, & eum quem sibi constituit ex iustitia. Prior ille consentaneus est cum naturali & proprio Euangelij fine: vult enim Deus obiectum proponi aptum ad fidem ingenerandam, quo quisque salutem adipiscatur, nisi rem oblatam contemnat. Posteriorem non respicit nisi ex hypothesi. Quia præuidit certissimè fore vt reprobi per incredulitatem salutem oblatam aspernentur, conuertit misericordiam in iram, vt quod natura sua est odor vitæ, quodque primùm curauerat offerendum vitæ conferendæ causa, fiat mortiferum incredulis. Primò ergo & per se vocem ad incredulos dirigit vt audiant; per accidens & secundariò vt obsurdescant. Primò lucem accendit vt videant; ex euentu, vt reddantur cæciores. Primò & per se remedium adhibet vt conualescant; ex euentu verò ne sanentur. Ac ne quis id nos ariolari ac diuinare & Caluino affingere putet, ipsum audiamus. Neque repetemus id quod supra citauimus ex Commentario in caput 18. Ezechielis. *Deus patefacit hominibus quàm miseri sint, vt ita se ad ipsum recipiant: vulnerat vt sanet; occidit vt viuificet;* item ex alijs locis reddemus sole clariorem cùm meridie lucet. Nusquam enim disertiùs aut in eandem sententiam frequentiùs locutus est. Tanta est vis Euangelij in vtramque partem, inquit, vt non gustu solùm, sed olfactu solo aut viuificet aut interficiat. Quidquid sit, nunquam frustra prædicatur, quin valeat aut in vitam aut in mortem. Sed quæritur quî conueniat hoc cum natura Euangelij, quod paulo post vocabit ministerium vitæ? Responsio facilis est, quod Euangelium prædicatur in salutem, id esse illius proprium: sed huius salutis participes esse solos fideles: interea incredulis esse damnationis occasionem, quod ab eorum vitio contingit. Ita Christus non venit in mũdum vt condemnaret. Quid enim opus erat, cùm simus extra ipsum omnes damnati? Lux est mundi, sed infideles excæcat: Petra est fundamentalis, sed multis etiam lapis offendiculi. Semper ergo distinguendum est proprium Euangelij officium ab accidentali, vt ita loquar, quod hominum prauitati imputandum est, quo fit vt vita illis vertatur in mortem. Item. Nihil ergo aliud in Christo considerandum quàm quod Deus pro

Com. in 2. Cor. 2. 15.

Com in Ioã. 3. 17.

„ immensa sua bonitate opitulari nobis voluit, vt perditos seruaret.
„ Et quoties nos peccata nostra vrgent, quoties Satan ad desperatio-
„ nem solicitat, obijciendus est hic clypeus, Deum nos æterno exitio
„ nolle opprimi, quia filium suum salutem mundi ordinauit. Quod au-
„ tem alibi docet Christus se in iudicium venisse, quod vocatur Petra
„ scandali, quod dicitur positus in multorum ruinam, id accidentale
„ est, vel, vt ita dicam, aduentitium. Qui enim oblatam in eo gratiam
„ respuunt, digni sunt qui iudicem experiantur, ac tam indigni fœdi-
„ que contemptus vltorem. Cuius rei in Euangelio luculentum spe-
„ cimen apparet, Nam cùm propriè sit Dei potentia omni credenti,
„ facit multorum ingratitudo vt illis in mortem cedat. Et quæ sequu-
Com. in Mat. 23. 37. untur planè similia. Item. Docet hic locus Deum non semper homi-
nibus conferre salutem, quoties verbum illis suum destinat: sed re-
probis interdum velle annunciari, quos fore obstinatos nouit, vt sit
» illis odor mortis in mortem, Est quidem verbum Dei per se & sua
» natura salutare, omnesque promiscuè ad spem vitæ æternæ inuitat;
» sed quia non omnes intus trahuntur, neque omnibus aures Deus
» perforat, quicunque verbum Dei respuunt, sua incredulitate exitiale
» sibi reddunt ac mortiferum. Id futurum esse cùm præsciat Deus, vt
» reprobos in grauiorem damnationem præcipitet, consultò Prophetas
illis suos mittit. Et quia res est maximi momenti, quæque præcipuè
in inuidiam trahitur, illustrissimum locum, quamuis paulo prolixio-
rem, describere non pigebit. Habetur Comment. in Esaiam, cap. 6,
» v. 9. Est quidem hoc dictu asperum, diuinitus prophetam mitti qui
» aures obturet, oculos oblinat, & cor populi obstinet: quia videntur
» hæc minimè competere in Dei naturam, ideoque aliena esse ab eius
» verbo. Sed absurdum videri non debet si Deus populi malitiam vl-
» tima excæcatione vlciscitur. Interea paulo ante ostendit Propheta
» culpam huius cæcitatis subsistere in populo. Nam audire eos iubens,
» testatur idoneam sibi esse doctrinam populo instituendo, si docilem
» se præbere vellet, offerri lucem ad ipsum dirigendum, siquidem o-
» culos aperiret. Tota ergo mali causa in populum transfertur, quod
» insignem Dei beneficentiam respuat. Vnde melius liquescit eius loci
» quem nunc attigimus, solutio. Videtur quidem prima specie absur-
» dum à prophetis obstinatiores reddi hominum animos. Verbum e-
» nim Domini in ore gerunt, quo tanquam lucerna decebat gressus ho-
» minum dirigi, hoc enim elogio scimus insigniri à Dauide. Non est
» igitur Prophetarum officium perstringere oculos, sed potius aperi-
» re. Deinde vocatur perfecta sapientia: Qui ergo homines dementat
& stu-

ſtupidos reddit? Eo emolliri animos par eſt, qui prius ærei vel ferrei „
erant: qui igitur fieri poteſt vt ipſo indurentur? Talis excæcatio at- „
que induratio non proficiſcitur ex natura verbi, ſed accidentalis eſt, „
ſolique hominum prauitati tribuenda. Quemadmodum enim luſ- „
cioſi ſolem accuſare non poſſunt, quod eorum oculos ſuo fulgore „
perſtringat; nec cui delicatæ ſunt aures, ſonoram & canoram vocem „
quam vitio aurium ferre non poſſit: nec denique imbecilli ingenij „
vir, rem arduam quam percipere nequeat; ſic neque verbum accuſa- „
ri poteſt ab impijs, quod eo audito deteriores reddantur. Omnis „
enim in ipſis reſidet culpa, quòd aditum ipſi omnino præcludant. „
Nec mirum ſi quod ſalutare ipſis eſſe debuerat, exitiale ſit. Sic enim „
perfidiam hominum atque incredulitatem puniri æquum eſt, vt mor- „
tem inde ſentiant vnde poterant vitam percipere; tenebras vnde lu- „
cem; denique totidem exitia, quantus beneficiorum cumulus erat in „
ſalutem. Quod diligenter notandum eſt, quia nihil magis vſitatum „
eſt hominibus quàm donis Dei abuti: ac tunc non modò ſe fingere „
innoxios, ſed etiam ſuperbire alienis plumis. Bis tamẽ ſcelerati ſunt, „
quòd non modò in verum vſum non accommodant quæ Deus apud „
ipſos depoſuerat, ſed perperam etiam corrumpunt ac profanant. Lo- „
cum hunc adducit Ioannes, vt peruicaciam Iudæorum apertiùs de- „
monſtret. Hoc quidem vaticinium incredulitatis eorum cauſa non „
fuit, ſed ideo prædixit Dominus quia tales fore præuiderat. Habet in ijs verbis Anonymus multo clariùs & explicatiùs Caluini ea de re ſententiam. Quod Deus verbi ſui prædicationem deſtinat ad excæcandum, id non facit niſi vt miſericordiæ contemptum vlciſcatur. Quod miſericordiæ contemptum vlciſcitur vſque adeò acriter, id non facit niſi iuſtè. Quod iuſtitiam ſuam horribili iſto modo exerit, id facit admodũ ſapienter. Sic enim omnem incredulis excuſationem eripit, vt ſi ipſi pro tribunali ſedeant, non poſſint quin ſe ſe pronuncient dignos ſuo exitio, vt qui tantam gratiam, tam ſæpe oblatam tanta pertinacia reiecerunt. Vt interim taceamus adamantinos illos homines, quos nihil inflectere, nihil emollire valet, poſtquàm eos Deus certò præuidit magis ac magis induratum iri, ſapienti, eodemque iuſto conſilio ad res nonnullas adhiberi, ex quibus cùm Eccleſiæ bonum aliquod emergit, tum Dei ipſius gloria multo ſplendidiùs eluceſcit. Exmplum eſt illuſtre in Pharaone, quem Deus ipſe in eum finem à ſe excitatum eſſe ait, vt in eo oſtenderet præpotentem ſuam virtutem, & præberet omnibus occaſionem ſui nominis magnificandi. Apage ergo diabolicas calumnias quæ Caluino tribuunt id de

quo ne per somnium quidem vnquam quidquam cogitauit.



# CAPVT VIII.

## *Caluini doctrinam non pugnare cum Dei iustitia.*

PERGIT Anonymus Caluini doctrinam de absoluto Reprobationis decreto sic refutare. *Iustitiæ etiam diuinæ repugnare videtur doctrina de absoluto decreto. Si enim vera esset illa sententia, sequeretur Deum iustos punire cum iniustis, quod longissimè à Deo abesse affirmat Abrahamus. Nonnulli verò ex illis qui absolutum Dei decretum asserunt, dicunt Deum multos homines non considerato prorsus peccato, adeoque adhuc iustos ad mortem æternam destinauisse. Alij verò neminem Deum damnandum decreuisse nisi respectu habito ad Adami peccatum, cuius omnes homines reos esse voluit; quod planè eodem recidit. Vtrique enim Deum hominibus necessitatem nascendi in originali peccato imposuisse fatentur, Deumque maximam partem humani generis ob peccatum illud pœnis æternis addixisse, nulla habita considerasione peccatorum actualium. Sanè Caluinus Deum siue considerato siue non considerato peccato homines æquè damnare posse affirmat, Instit lib. 3.c.23.n.7. Idem etiã docet Tvvissus noster Vind. Gr. lib 2 Dig. 1. Nimirũ eodem res recidit siue quis pœnam innocenti infligat, siue quis ad peccandi necessitatem adigat, vt eo iustius puniri possit. Quid verò hoc aliud quam iustos cum iniustis damnare? Hoc vero Dei iustitiæ omnino repugnat Verum enim est quod dicit Augustinus lib. 3. contra Iulianum, cap. 8* Bonus est Deus, iustus est Deus, potest aliquis sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est. *Præterea iniustum Deum faciunt, quia secundum eos Deus fidem exigit ab ijs quibus fidem denegauit. Quod enim ipsi etiam reprobi ad credendum obligentur probant ex Ioan. 16.9.* Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. *Vt verò ipsi qui non possunt credere ad credendum obligentur, hoc repugnare videtur iustitiæ diuinæ, tribus de causis. I. Quia iure nemo obligatur ad impossibilia. Ergo cùm secundum illos impossibile sit vt reprobi fide saluifica credant, non potest ab illis iure exigere vt credant, non magis quàm ab homine vt*

*instar*

*instar auium volaret.* II. *Quia reuera non vult Deus vt credant reprobi, immo potius secundum illos videtur velle vt non crederent, siquidem eos necessarijs ad credendum viribus instruere non vult. Qui enim vult causam vult effectum ex ista causa procedentem; si vero vult Deus vt reprobi non credant, non potest ab illis iure exigere vt credant.* III. *Quia secundum hanc doctrinam credere iubet Deus & fidei nullum obiectum ponit. Christus non mortuus est pro dæmonibus, ideoque illi non iubentur credere; reprobi tamen qui secundum eos nullam partem in Christo habent, & pro quibus Christus mortuus non est, credere iubentur ipsum pro illis mortuum esse, & eo grauius puniuntur quod non crediderint. Quo quid cogitari potest iniustius? Quam iniustus esset Dominus iste qui seruum iuberet vt manducaret, interim tamen efficeret vt nihil quod manducaret, haberet, & tamen eo quod non manducaret, puniret? Qualis tandem esset hæc iustitia? Ita verò secundum eorum sententiam se rem habere in reprobis quis non videt? Ex his quæ dicta sunt colligitur absolutum illud decretum iustitiæ diuinæ repugnare. Quod vero obijciunt absoluti decreti assertores constare ex Scripturis, decretum eiusmodi diuinam voluntatem esse, ideoque iniustum esse non posse; Respondetur, meram esse petionem principij, neque posse voluntatem diuinam ita se habere, quia nulla veritas parit absurda, nec rectæ rationi contraria esse potest. Quod verò dicunt non obligari vt hominibus vires restituat, quas vitio suo amiserint; respondetur Deum etsi sit agens liberrimum, & simpliciter & absolutè nemini obligetur, conditionaliter tamen obligari posse, idque tribus modis.* I. *decernendo; nisi enim ipse ad sua decreta quodammodo obligatus esset, mutabilis esset. Quidquid igitur hominibus dare decreuit, ex virtute decreti sui propter immutabilem suam naturam tenetur præstare.* II. *Promittendo; Ipsa Iustitia Dei postulat, vt reddat Deus quod promisit.* III. *Legem ferendo hominibus quam sine gratia supernaturali non magis obseruare possunt quàm volare. Istiusmodi legislatione se obligat Deus creaturæ, vt det ei vires ad legis istius obseruationem sufficientes, quod nisi faceret iure in illum dici possit, quod seruus ille dixit,* Scio quia durus homo es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti. *Frustra creaturis dictum fuisset, crescite & multiplicamini, nisi Deus ipsis virtutem multiplicatiuam indidisset. Frustra paralytico dixisset Christus,* Tolle grabatum tuum & ambula, *nisi vires ei restituisset. Frustra etiam Deus vt crederemus iuberet nisi impotentiam credendi tolleret. Quid verò cùm in fœdere nouo, quod cum omnibus inire dignatus est, obedientiam ab omnibus exigat, & vitam æternam obedientibus promiserit, mortemque non obedientibus minatus fuerit, puta-*

*bimusne eius iustitiam pati vt vires aliquibus ad obediendum sufficientes pro mera sua voluntate deneget? Quod si faceret non magis iuste posset non obedientes punire, quàm potest magistratus aliquis nocentem quem ob facinus aliquod priuauit oculis, postea iubere vt librum legat, eumque quia non legit, mortis supplicio afficere.*

Tria hic disputator facere tendit. I. Vult ostendere Deum esse iniustum si damnet homines innocentes cum nocentibus, aut nullo habito respectu ad peccatum, aut saltem solo Adami peccato, cuius omnes homines reos esse voluit, considerato. II. Deum esse iniustum si fidem cuiquam deneget, à quo postea fidem exigere velit, vt à reprobis. III. Per prolepsin quandam nititur demonstrare Deum obligatum esse fidei donum omnibus hominibus indulgere. Et ad primum quod attinet, quinam illi sint qui docent Deum damnare homines innocentes cum nocentibus, aut nullo habito respectu ad peccatum, fateor me ignorare. Hactenus neminem qui nomen aliquod inter Christianos obtineret, portenta illa opinionum in Theologiam inuexisse comperi. Neque vnquam quisquam fuit vsqueadeò rigidus in asserenda doctrina de prædestinatione, qui non agnouerit veram, propriam, & vnicam causam damnationis in solo peccato sitam esse. Nam Beza quidem, vir cætera maximus, sed in cuius methodum in ea re explicanda nemo nostrum sibi iurandum esse putauit, statuit Deum vsque ab vltima æternitate homines seposuisse quosdam quos amaret, alios verò à prioribus istis iusto quidem, sed cuius nos ratio fugit, consilio secretos suo odio destinasse. At actu neminem odisse docet nisi propter peccatum, neminem vero damnare nisi quos actu iam oderit. Itaque segregationis illius ad odiũ nullam causam assignat, præter vnam Dei voluntatem, quam optimè dicit iniustam esse non posse. Odij autem peccatum causam facit, & damnationem odij effectum proximum, & vt loquuntur, immediatum. Vnde sunt ista illius verba lib. de æterna Dei prædestinatione aduersus Castalionem.
» Quamuis inscrutabilis sit eius decreti causa quo
» Deus ab æterno nonnullos condere constituit in quorum iusto exitio
» iustitiæ suæ gloriam patefaciat, ob eamque causam omnes exitio de-
» stinati non possint non suo tempore perire, Deum tamen, quia non-
» nisi corruptos & reos damnat, idcirco extra omnem damnationis
» culpam est, vt qui ea etiam quæ homines iniustè faciunt, iustè tamen
» decernat, ideoque & iustè puniat.
Verùm ad Caluinum reuertamur. Ajo igitur, id quidquid est quod Anonymus damnat, ad eius doctrinam neutiquam pertinere. Primum enim centies dixit neminem à

Deo

Deo puniri vel damnari nisi propter peccatum, & eorum, siqui sunt, qui contra sentiunt, opinionem à se amouit quàm longissimè. Verba sunt inter alia notatu digna in Commentario ad locum quem disputator ex Genesi citauit, *An iudex vniuersæ terræ non faciet iudicium?* Gen. 18 25.
Non admonet officij sui Deum, sed à natura Dei ratiocinatur Abrahamus, impossibile esse vt quicquam iniquè designet. Item. Inter iudices terrenos non semper valeret hæc ratio, quos subinde vel errore falli, vel gratia flecti, vel tædio accendi, vel corrumpi muneribus, vel alijs modis ad iniustitiam traduci contingit. Sed quia nihil istorum in Deum cadit, cui naturaliter competit mundum iudicare, sequitur nihilo magis deduci ab æquitate Deum posse, quam abnegare seipsum ne sit Deus Hæc ille. Deinde, quod peccatum originale sufficientem causam damnationis esse statuit, id ita facit vt labem istam consideret in se & quatenus hæret in vniuscuiusque persona, non quatenus Adami peccatum cuiquam imputatur tantum modò. Iam autem labem illam, vndecunque fluxerit, mereri mortem siquis neget, Deum accuset iniustitiæ necesse est, qui tot infantes, nullius alius peccati reos, morte plectit. Apostolus itidem insignis inscitiæ atque imprudentiæ insimulandus erit, qui mortem non aliò quàm ad peccatum tanquam ad causam suam meritoriam referendam esse putauit. Tertiò, quod adulti damnantur, id non soli peccato originali tanquam causæ meritoriæ adscribendum esse docuit, sed peccatis actualibus, quæ reatus obligationem longè adhuc arctiùs adstrinxerunt; neque id modò, sed & impœnitentiæ atque incredulitati, quæ si abesset, reliquorum omnium peccatorum reatum abolitum iri certo prædicat. Quod autem hîc dicitur, Caluinum lib. 3. Instit. cap. 23. n. 7. scripsisse, Deum, etiam non considerato peccato, homines damnare posse, neque loco citato extat, neque si extaret, responsione careret. Scilicet summæ potestatis, qualis est diuina, duplex est ius. Vnum positum in ἀνυπευθυνία, vt quicquid agat, neque in ius vocari possit à quoquam, neque verò debeat. Alterum est iustitia ac reliquis virtutibus moralibus veluti temperatum. Non igitur procul dubio Caluinus dixerit, Deum posse creaturam, nullo habito respectu ad peccatum damnare. Implicat enim contradictionem vt iudex damnet non considerato peccato, quandoquidem damnatio nihil aliud est præterquàm vel declaratio reatus, vel irrogatio pœnæ propter peccatum. At nihil prohibet quominus dixerit Deum posse creaturam insontem addicere cruciatibus æternis, habita ratione summi iuris ἐν τῇ ἀνυπευθυνίᾳ constituti. Nimirum hoc sibi voluerit, id si Deus faceret, tantam

esse eius maiestatem atque ὑπεροχὴν, vt à nemine reprehendi debeat. At si Deum id posse facere pro iure indefinito Caluinus statuerit, non statuerit continuò id eum reuera fecisse. Infinita Dei majestas à nobis exigit vt id ipsum dicamus facere posse ἀνυπευθύνως. Incomparabilis verò iustitia æquitasque flagitat vt firmiter credamus, Deum quod ipsi licet per summum ius, nunquam à se impetrare tamen vt faciat. Nempe vt loquitur Caluinus, non potest semetipsum abnegare. Est enim eius quod nunquam fit, cur non fiat, causa certa quædam atque definita. Causa autem nulla alia esse potest præter Dei iustitiam & reliquas proprietates quæ se se ad modum virtutum moralium in eo habere videntur. Neque verò ius illud summum Deo abrogare æquum est, quod præstantissimi Iurisconsulti regibus asserunt in subditos, vt Hugo Grotius, de iure belli & pacis, lib. 1. cap. 3. Quum præsertim iure illo suo reges interdum abuti contingat, Deum verò nunquam. Certè Caluinus tam longè abfuit ab eo vt existimaret accidere posse vt Deus summa illa qua pollet potestate abutatur ad iniustitiam, vt Scholasticorum nonnullorum opinionem, quæ eò propendere videtur, haud semel acriter castigauerit. Verba sunt illius in Isa. cap. 23. 9. à Beza citata. Discamus prouidentiam Dei sic nobis considerandam esse, vt eius omnipotentiæ laudem & gloriam tribuamus. Sapientia enim & iustitia Dei semper cum virtute ipsius coniungenda est. Quemadmodum ergo Scripturæ docent Dominum hoc vel illud facere iustitia & sapientia sua, ita docent certum finem cur hoc vel illud faciat. Nam commentum illud de absoluta Dei potentia quod Scholastici inuexerunt, execranda blasphemia est. Idem enim est ac si Deum tyrannum esse dicerent, pro libidine non æquitate aliquid statuentem. Talibus blasphemijs refertæ sunt eorum scholæ: neque absimiles sunt ab Ethnicis, qui Deum ludere in rebus humanis aiebant. Nos verò in schola Christi docemur, iustitiam Dei relucere in operibus ipsius, cuiuscunque modi fuerint, vt obstruantur omnium ora, & gloria ipsi soli tribuatur. Quibus planè similia sunt libro de Prædestinatione. Quod ergò Arminij schola illi imputat, habet pro execranda blasphemia, vt mirum sit in hominibus sæpenumerò nimiùm acutis ac diligentibus tantam esse supinitatem.

lib. de æterna Prædest.

Quia autem res est non leuis momenti & quæ multum lucis ad quæstionem quam excutimus, afferre potest, operæpretium me facturum existimo, eam si paulo fusiùs & accuratiùs elucidem. Idque faciam eò lubentiùs quod nescio quis alter Anonymus Arminij assecla, in libello quem abhinc triennium in Clarissimum Molinæum vnà &

mo-

me edidit, doctrinam meam in eo argumento nefandæ cuiusdam hæreseos insimulauit. Verùm, quia hic necesse esset longiùs digredi, nolo autem filum huius disputationis interrumpere, peculiaré ea de re dissertationem ad calcem operis reijcere melius est. Nunc reliqua exequamur.

Venimus ergo ad secundum. Iacit Anonymus pro fundamento, quod verissimum est: reprobos ex eorum sententia qui decretum absolutum defendunt, ad credendum obligari. Id autem repugnare ait iustitiæ diuinæ tribus de causis. Ad primam quod attinet, miror virum doctum, quisquis est, impotentiam credendi quæ est in reprobis, statuere eiusdem esse generis cum impotentia volandi in ijs quibus alæ non sunt à natura concessæ. Eo quidem pacto Pontificij doctrinam nostram non tam refellere quam calumniari solent, quasi existimaremus vel legem Dei implere, vel in Christum credere pariter esse hominibus ἀδύνατον, ac si aliquis tentaret aut cæli sistere motum, aut terram de sede dimouere. Vnde illa nuperi scriptoris aduersus immensæ eruditionis virum Salmasium. *Si quis ideo damnari hominem dicat, quod volucris instar aëra non peruolet: aut quod Alpes ac Pyrenæos humeris impositos aliò non transferat: non-ne idem significet, nullam in isto cur damnaretur causam fuisse, adeoque iniquissimo esse iudicio damnatum?* Quod in eo hominum genere mirum non est, qui vel nostrorum scripta non legunt, vel si legunt non intelligunt, vel si intelligunt, vt est temporum iniquitas & calumniandi libido, data opera deprauant & omnibus exosā reddere studiosè conantur. At Arminij discipulos religionem reformatam professos, vel magis ingenuos vel doctrinæ nostræ intelligentiores esse oportuit. Qui non habet alas, etiamsi volare velit vehementissimè, non potest tamen. Nec sicui Alpium aut Pyrenæorum onus imponeretur, quidquam proficeret vel virium nisus contra tendētium, vel voluntatis impetus summa ope reluctantis. At si reprobi vehementissimè vellent fidem Euangelio adhibere, vtique id possent. Quin eo ipso quod adhibere vehementissimè vellent, iam se adhibuisse testarentur. Nulla enim alia re voluntas eò compelli potuerit, nisi quod iam mens incomparabilem ab omni parte Euangelij præstantiam agnouerit atque suspexerit: quod nihil aliud est quàm credere. Quocirca non posse volare in ijs quibus alas natura negauit, est à defectu facultatum naturalium & inopia eorum instrumentorum sine quibus res perfici nequit. At non posse credere in reprobis, neutiquam est à consimili causa, sed ab eo quod facultatibus à natura concessis ad eam rem vti nolunt. Vti au-

tem nolũt quia mali ſunt, atque adeo ita mali vt contingere omnino nequeat quin ſemper id nolint. Audiamus Caluinum, ad Ezech. cap.
„ 12. verſ. 2. Hoc, inquit, diligenter notandum eſt, quia vt plurimum
„ hypocritæ vbi ſunt conuicti, captant hanc latebram ſe errore fuiſſe
„ lapſos vel inſcitia. Deus autem ex oppoſito hîc pronunciat Iſraelitas
„ fuiſſe cæcos & ſurdos, ſed oſtendit voluntariam fuiſſe eorum cæcita-
„ tem. Cùm ergo increduli prætexent ſe non fuiſſe illuminatos à Domi-
„ no, concedi quidem illis poterit, fuiſſe cæcos & ſurdos, ſæpe tamen
„ vltra tranſcendere oportet, quia fons cæcitatis & ſurditatis eſt eorum
„ peruicacia, ac Deus ipſos excæcat, quia nolunt lucem admittere ſibi oblatam, aures etiam ſuas obturant. Rem cuius conſtituit ob oculos ipſe Chriſtus, cùm poſtquàm pulcherrima parabola miſericordiam Patris in ſe & à ſe in Euangelij prædicatione oblatam, nuptiali conuiuio comparauit, eas cauſas aſſignat cur inuitati venire recuſauerint. Villam emi, inquit ille, quam videre neceſſe habeo. Alter, emi iuga boum, quæ mihi ſunt exploranda. Tertius, vxorem duxi. Alij denique furore in ſeruos conuiuatoris exarſerunt. In quæ operæpretium eſt Caluinum audire commentantem. Poſtquam enim principiò difficultatem illam propoſuit, quomodo Iudæi, quos tanquam familiares amicos præ alijs Deus elegerat, dici poſſint ad conuiuium inuitati, cùm eorum tam multos ante Chriſti aduentum mors abſtulerit, eamque diſſoluit his verbis: Scimus communem omnibus ſalutem fuiſſe propoſitam, qua eos priuauit ſua ingratitudo & malitia, nam ab initio Dei inuitationem populus ille impiè contempſit; rem
Mat. 22. 14.
„ ſic explicat vberiùs. Quamquam iam olim ſæuitum fuerat in pro-
„ phetas, quia tamen tempore creuit furor, qui tandem in Chriſtum &
„ Apoſtolos toto impetu effuſus eſt, veterem populum contemptus &
„ ſuperbiæ tantùm accuſat. Vltimos autem ſeruos qui ſub horam cœ-
„ næ miſſi fuerant contumelijs affectos vel occiſos fuiſſe dicit. Ita ad
„ extremum ſcelerum prorupit ille populus, cùm ſuperbam gratiæ re-
„ iectionem acceſſit veſana crudelitas. Neque tamen in omnes pariter
„ crimen hoc confert, quia etiam in vltima vocatione quæ per Euange-
„ lium facta eſt, partim à ſecuris contemptoribus deriſa fuit Dei gratia,
„ partim furioſè repulſa ab hypocritis. Atque ita fieri ſolet vt eo ma-
„ gis ebulliant impij contra Deum, quo magis eos ad ſalutem ſollicitat.
„ His autem verbis ſignificat Chriſtus ita mundo & rebus terrenis de-
„ ditos fuiſſe Iudæos, vt nemini vacaret ad Deum accedere, ſicuti dum
„ nos mundi curæ tenent implicitos, totidem ſunt auocamenta quibus
„ à regno Dei abſtrahimur. Turpe quidem ac pudendum eſt, quod
hominès

hominesad cælestem vitam creati, belluino stupore toti ad res caducas feruntur: sed hic morbus passim grassatur: Ita vix centesimus quisque regnum Dei caducis diuitijs vel alijs commodis præfert. Quamquam autem non eodem omnes laborant morbo, quisque tamen sua cupiditate in diuersum rapitur: ita fit vt omnes huc vel illuc diffluant. Quibus planè similia sequuntur. Atque id experientia quotidiana comprobat. Quum enim Euangelium tanta veritatis euidentia vndique colluceat: cùm tam luculenta boni atque honesti species in eo appareat: cùm tantam tamque incomparabilem vtilitatem offerat, omnino mentes hominum densissimis tenebris occupatas, peruersissimis affectibus irretitas, corruptissimis cupiditatibus illigatas esse oportet, quæ non modò salutem oblatam non admittunt, sed in Christum ipsum vsqueadeo impotenti rabie inflammantur. Non possunt ergo quia nolunt. At enim neque velle possunt. Certum est. Verùm cùm intellectu atque voluntate præditi sint, quid impedire potest quominus velle possint præter vnam malitiam? Quod si nihil præter vnam malitiam obstat, sibi sanè imputent quod non habent fidem; per eos vnos stetit scilicet. Quamobrem impotentia quam parit inopia facultatum naturalium, præbet excusationem legitimam, & quanto maior est, tanto magis legitimam. At in impotentia quæ à vitio morali profecta est, planè contrà se habet. Quanto maior illa est tanto magis reddit hominem inexcusabilem. Quanto enim quisque magis nequam est, tanto excusatione est indignior. Et quāto magis est ab ea impotentia impotens, tanto necesse est esse nequiorem. Habitus vitiosi in nobis non sunt vnius generis. Alij sunt ab ipso ortu insiti, qui ideo originales appellantur, alij verò consuetudine comparati. Qui consuetudine comparati sunt, postquàm semel inoleuēre, vt iam supra diximus, facultates ipsas ita afficiunt, vt eas reddant penitus insanabiles. Quod & vera Philosophia docuit, & experientia comprobat. Insanabiles, inquam, non Deo quidem, si virtutem suam infinitam adhibere velit: sed causis illis vsitatis atque ordinarijs quæ solent mentem & voluntatem humanam in hanc aut in illam partem inflectere. Naturales, seu insiti ab ortu, haud minus, atque adeò etiam aliquanto magis. Nam vt egregiè Philosophus obseruauit, si consuetudo firmissima censetur quæ proximè ad naturam accedit, naturam ipsam aliquanto firmiorem esse omnino necesse est. Ex vtroque illo genere conflata est impotentia de qua agitur: quæ eatenus & est & dici potest naturalis quatenus eam à parentibus nostris duximus. At naturalis non est, seu physica, eo

quod neque constituta est, neque vero dependet ex ijs rebus quæ boni vel mali moralis naturam non obtinent. Aliud enim est physicum seu naturale, vt opponitur ascititio per imitationem & consuetudinem, aliud vero vt opponitur virtuti vel vitio morali. Quando igitur alterutra illa pars impotentiæ nostræ seorsim sumpta ipsa per se inuicta & inemendabilis est, quod ex vtraque ortum & conflatum est, omnino, vt loquitur Anonymus, inuincibile esse constat. Quod & obseruatum & pro indubitato habitum esse à Caluino testatur locus quem supra produximus ex Commentario in Ieremiam. At neutrum genus istorum habituum, si vitiosi sunt, excusatione dignum esse palam est. Non naturalium, nisi velimus peccatum originale rem esse leuiorem quàm quæ à Deo puniri debeat, & sic in Pelagij castra apertè transire. Non acquisitorum. Nam si quod est naturale in eo genere excusabile non est, multo minus excusabile erit quod est consuetudine comparatum. Hoc enim quàm illud magis videtur initio fuisse in nostra potestate.

Secundæ rationis telum in Caluinum torqueri nequit. Nusquam enim dixit Deum nolle vt reprobi credant: centies dixit cum Ezechiele & Petro, velle Deum vt resipiscāt, & cum Paulo, vt ad veritatis cognitionem veniant, & sic ad salutem adducantur. Nam hîc sane voluntas quæ præscribit officium, confundenda non est cum voluntate quæ decernit quod est futurum in euentu. Illa, vt iam diximus, & præscribit officium creaturæ, & testatur rem fore Deo longè gratissimā, si præstetur officium ex præscripto. Θέλων enim græcè, חפץ hebraice id denotat. Sic est Deus à natura sua affectus, vt si creatura officium faciat, facto magnopere delectetur Tum quia creaturam amat, quà creatura est: tum etiam quia officium positum est in re quæ cum natura Dei consentit & refert eius imaginem. Hæc verò idoneis sapientibusque de causis, quæ vt plurimùm nos latent, statuit non facere in quibusdam vt officium præstetur. Ista autem non pugnant, vt iam supra docui. Si rem efficacitate aliqua impediret, viderentur pugnare quidē. At ex voluntate illa nihil per se oritur præter meram negationem actionis, quæ vt ipsa nihil mouet, sic non impedit quominus officium præstitum, vndecunque id fiat, magnopere placeat. Tertia ratio Caluinum minimè tangit. Nam qui docet Christum pro omnibus esse mortuum, quique Christum, pro omnibus mortuum, promiscuè omnibus ac indifferenter offerri debere contendit, is-ne dici potest remouere ab oculis reproborum obiectum necessarium ad fidem ingenerandam? Si vesci noluerunt, si vocati ad conuiuium

coniuium venire renuerunt, idcircone Deus eos delusisse & inania fercula suis mensis intulisse dicendus est?

Nunc Prolepsin, in qua tertio loco probare instituit Deum obligatione quadam obstrictum fuisse omnibus ex æquo fidem indulgere, breuiter excutiamus. Res est facilis & quæ prolixam operam non requirit. Ait ergo à defensoribus absoluti decreti dici solere, Deum non obligari hominibus vires restituere quas vitio suo amiserint. Cui rei respondet, Deum etsi est agens liberrimum & simpliciter ac absolutè nemini obligetur, conditionaliter obligari tamen posse, idque tribus modis. Decernendo: Promittendo: Legem ferendo. Nolumus hîc disputare de Iure Dei, deque obligatione quæ ex ipsius vel decreto, vel promissione, vel legislatione nasci potest. Anonymo quod petit lubentes concedimus. Quid ex eo sequetur? Primus enim ille modus ad rem nostram non pertinet. Siquidem Deus non decreuit omnibus dare fidem. Id arctè tenemus & Dei beneficio defendimus accuratè. Neque magis secundus. Nusquam enim Deus promisit se fidem omnibus daturum. Id quod est apud Ieremiam. *Inscribam leges meas in eorum cordibus, &c.* Ostendit quidem longè maximum interesse discrimen inter fœdus legale & Euangelicum, quod illud à nemine impletum est; hoc futurum fuit vt in pluribus impleretur: illud in lapideis tabulis exhibitum est, nulla virtute spiritus regenerantis comitante: hoc vim spiritus comitem habuit in pluribus, & inscriptum est tabulis carneis cordis eorum quos Deus efficaciter vocauit, ne, vt præcedens, frustra sancitum esset. Verùm id ad omnes omnino homines extendi protrahique debere nemo dixerit qui sit istarum rerum intelligens. Quam pauci enim sunt præ alijs, qui mentem gerant legibus diuinis vel leuiter exaratam? Id autem referre ad eam gratiam quam Arminij discipuli volunt esse omnibus communem quàm absurdum esset! Quando enim à multo maxima parte reijcitur, hoccine est inserere legem suam hominum cordibus, hoccine mandata sua præcordijs ipsis & visceribus inscribere, si leui quadam & euanida suasione mentem & voluntatem illiciat, dubio & vt plurimum irrito successu? Siccine igitur datur effectum quod hoc loco prædicitur, *Non docebit vltra quisquam proximum suum, aut vir fratrem suum dicens, cognoscite Dominum; sed omnes me agnoscent à minimo eorum vsque ad maximum?* Ad tertium quod est de legislatione, iam respondimus. Vires illæ (nam eadem argumenta sæpe repetita nos ijsdem responsionibus vti cogunt.) Vires, inquam, illæ quarum defectu fit vt reprobi credere nequeant, non sunt eiusdem naturæ cum vi-

Ierem. 31.

ribus volandi, aut procreandi sibi simile, aut grabatum suum ferendi, quæ omnino physicæ sunt, hoc est à ratione & natura boni vel mali moralis longissimè seiunctæ. Egestas illa virium sita est in malitia & obstinata contumacia, & ignorantia affectata; quam si Deus in reprobis tollere tenetur, tenebatur vtique tollere in diabolis, & tenetur itidem tollere in induratis ac pertinaciter impœnitentibus, quibus tamen Arminij discipuli non tribuunt tantum iuris in creatorem, vt illi litem intendere possint, quod indurationem neque impediuerit neque verò sustulerit iam inductam & acquisitam. Ad id enim illi quid excipient? Nullam esse positam diabolis credendi legem? At lex illa ab ipsa natura lata quâ creaturæ creatoris gloriæ in omnibus ex animo studere tenentur, viget in æternum. Et lex illa credendi, quæ hominibus lata est, tam eos adstringit postquam semel Dei iudicio indurati sunt, quàm antequam, ex Arminianorum hypothesi, indurarentur. Diabolos initio in eo statu fuisse constitutos, vt non peccare possent, si vellent, induratos, antequam indurarentur, in eo vt si vellent, credere possent? Quid ergo? Ex Caluini sententia nonne sunt reprobi in eum statum adducti vt quominus credant, stet per vnam eorum peruersam voluntatem? Absterruitne eos Deus à credendo, annon omni modò ad fidem inuitauit? At enim nihil illis prodest τὸ posse credere, si velint, nisi etiam velle possint. Perinde ergo cum illis actum est ac si omnino non possint, id etiamsi velint. Sic solent quidem subtiles illi homines aduersus nos argumentari. Mirum enim est quantas turbas in ea re dederit alter Anonymus (Courcellius sit necne, non habeo pro comperto) qui contra me fusiùs se disputaturum esse promisit. Acumen verò eos sic ratiocinantes valde fefellit. Primum enim id si possent, etiamsi vehementissimè vellent, si non præstarent, excusatione digni iudicarentur. Non possent enim vel quia deesset obiectum, vel quia obiecti apprehensio penderet ab aliqua facultate ab ipsa mente ac voluntate diuersa, quâ vel inuitissimi carerent. Nunc autem & obiectum illis offertur, & sunt ijs facultatibus à natura instructi quæ sunt aptæ ad obiectum apprehédendum, si vellent. Quamobrem est illis omnis excusatio legitima præcisa. Tum & illud *posse velle* distinguendum est. Nam si *posse* significat tantummodo facultatem ab ipso actu volendi distinctam, vt *posse intelligere* res est ab ipso intelligendi actu diuersa vt facultas, reprobi certè possunt velle. Nam qui voluntatem habet quidni velle posset, quandoquidem posse velle, & facultatem volendi habere, & voluntate præditum esse denique, verbis quidem nonnihil discrepant, re omnino

nino nihil? Quod ergo dicunt nihil reprobis profuisse *potuisse* credere *si vellent*, nisi etiam datum esset *posse velle*; vnum est ac si dicerent nihil profuisse potuisse credere, nisi etiam facti essent homines. Quæ sane querimonia inepta foret & præter rem. Nonne enim sunt homines? Quisquam-ne nostrûm peccatum illis suam humanitatem abstulisse putauit? Si vero *posse* denotat euentus contingentiam, vt *posse velle* sit, contingere posse vt sic velint, certe non possunt. Et cùm istud μὴ ἐνδέχεσθαι αὐτοὺς οὕτω βούλεσθαι, aliunde non proueniat quam ex eo quod voluntas est ἀπερισπάστως determinata ad ὃ *sic nolle*, nihil quidem illis profuit *posse* credere *si vellent*, non concesso vt *sic nolle* non esset ἐνδεχόμενον. At vicissim obsecro mihi respondeant. Fingamus, quod mera est hallucinatio, at fingamus tamen vt velle aut non velle in incredulorum negotio factum sit à Deo ἐνδεχομένως. Quandoquidem non crediderunt, quid illis profuit potuisse velle credere? Nam certè id demum profuisse dicitur non quod ad vsum conferre potuimus, sed quod ad vsum reuera & actu contulimus. Illi autem qui neque crediderunt, neque credere voluerunt, potentiam vel credendi, vel volendi ad vsum non contulerunt. quamobrem neque potuisse velle illis quidquam profuit. quod si respondeant, per incredulos stetisse quominus prodesset, nonne & nos id pari iure respondere possumus, per eos vnos stetisse quonimus prodesset *posse* credere *si vellent*, etiamsi imaginarium illud *posse velle* non acceperint? Denique si sapimus omnes, nulla debet esse inter nos controuersia, profuerit incredulis atque reprobis nec-ne voluntatis diuinæ dispensatio in ijs quæ ad eorum salutem pertinebant. quid enim clarius est quàm id nihil illis profuisse? Addam aliquid amplius. quid certius est quam id illis vehementer obfuisse, quodcunque est, si euentum spectes? Nam sanè præter reatum quem peccatum originale peperit, & alterum illum qui ex trangressione legis moralis ortus est, obstrinxerunt sese crimine incredulitatis & comtemptûs federis Euangelici. quod dici non potest quantum exitij molem auxerit. Nota sunt Apostoli verba. *Si is qui per angelos dictus fuerat sermo, fuit firmus, & omnis transgressio & inobedientia iustam premij retributionem accepit; quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? &c.* quæritur tantùm quid Deus in salutis negotio fecerit, & quo animo fecerit. Item quomodo increduli sese in eo gesserint, ad eosne vnos salutis non impetratæ culpa referenda sit. Et de priore quidem res clara est. Filium Deus in mundum misit dilectissimum, innocentissimum, infinita maiestate præditum, vno verbo, Deum. Talem tantumque ad mor-

Heb. 2. 2.

Heb. 2. 2.

tem adegit cruentissimam, ignominiosissimam, horrendæ cuiusdam maledictionis plenam, vt sic eos à morte maledicta vindicaret. Voluit satisfactionem illam omnibus constitui ob oculos, neminem ab ea repelli, neminem non inuitari. Idque eo fecit animo vt si credere non recusarent, tanta salute fruerentur. Id pollicitus est bona fide, optima præstiturus nisi credere recusassent, incredibili quadam ac planè suspicienda φιλανθρωπίᾳ adductus, miro quodam generis humani amore. Iuxta illud Christi, οὕτως ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, &c. De posteriore haud minus. Increduli enim cùm intellectu ac voluntate prædditi essent, facultatibus, nisi peccato penitus imbutæ forent, ad obiectum illud percipiendum & amplectendum à natura comparatis, omnes animarum suarum aditus data opera occluserunt, quia peccato indulgebant vsqueadeò suauiter, vt nulla ratione inde abduci atque abstrahi potuerint. Quid ergo sibi volunt Arminiani? Quid quærunt? Quid Deo crudelitatem exprobant? Quid vndique colores accersunt quos allinant isti hominum pertinaciæ tantæ? Non potest ijs iudicibus Dei cum reprobis litigantis causa esse satis exploratè vincibilis, nisi reginam illam ac propemodum Deam hominum voluntatē in throno quodam collocauerint, quæ suarum ipsa actionum domina & hinc inde suspensa librataque pariter, apud se consultet scilicet, (cui tamen neque consilij neque ratiocinationis vlla copia est) intellectus suasiones admittat nec ne, Spiritum sanctum trahentem sequatur annon, Christum denique tantumnon demissè supplicantem vt sibi liceat apud eam in aliqua parte amicitiæ hærere, recipiat, an excludat & superbè aspernetur: donec tandem sapientis illa consultatrix, expensis vtrinque rationum momentis, non dicat quidem quod Medea olim, *video meliora proboque*, (nam quid illa videret quæ non habet oculos?) sed facesse Christe, neque resuscitare causam. Causa nulla est; *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione potestas.* Addit tamen disputator noster, frustra Deum iubere vt reprobi credant, nisi impotentiam credendi tollat. Quod ambiguè dicitur. Nam si *frustra* illi significat euentum proprium non esse consecutum, quam τοῦ μάτην significationem Aristoteles esse dixit, verum est. Non crediderunt. At non inde confici potest Deum ab ijs fidem exigere non debuisse. Si vero intelligit id esse factum à Deo neque misericorditer, neque iustè, neque sapienter, id vero est quod strenuè negamus. Neque hactenus quidquam ab eo prolatum est quod nos à sententia deducere possit. De viribus ad obediendum sufficientibus, quod ait, caret omni difficultate. Sufficiens duobus modis dicitur

dicitur: Nimirum vel denotat id quod actu rem dat effectam; vel id quod effectam dare potest si velis, & nisi stet per tuam ipsius voluntatem, quomodocunque tandem affecta sit. Priore modo Deus vires sufficientes dare non tenebatur. Neque id Arminij discipuli affirmare possunt, qui nolunt Dei gratiam in vocatione esse vsqueadeò efficacem vt eam euentus necessariò consequatur, euentum volunt ex arbitrio voluntatis humanæ pendere. Posteriore modo dedit sanè sufficientes, quandoquidem & extrinsecus obiectum obtulit, & mentem atque voluntatem, quatenus sunt φυσικαὶ δυνάμεις, conseruauit, adeò vt, quod iam centies dixi, si non crediderunt, vnam suæ voluntatis rigidam & inflexibilem pertinaciam vituperare queant. Rem omnem significantissimis verbis Caluinus expressit in Esa. cap. 5. vers. 3. *Iudicate inter me & vineam meam.* Simplicior erit sensus, quum omnibus officij partibus defunctus fuerim, ac superauerim omnium vota in vineæ meæ cultu, quî fit vt tam iniquam mihi mercedem rependat, & pro fructu sperato meram proferat amaritudinem? Siquis obijciat remedium fuisse in manu Dei, si corda populi flexisset, friuola est, quoad ipsos homines tergiuersatio: quia eos constringit sua conscientia, ne culpam transferendo elabi queant. Etsi enim efficienter non penetret Deus Spiritus sui virtute in corda hominum, vt eos sibi morigeros reddat, frustra tamen obstrepent hoc sibi defuisse, quando omnem ignorantiæ prætextum satis superque tollit externa vocatio. Denique exemplum de Magistratu non quadrat. Primùm enim cæcum [illegible]um, quantumuis iustè id fecerit, cæcum effecit ipse, cùm eum oc[illegible]ns priuauit. Deus impotentiam quæ in reprobis inest, non indidit: illam ipsi in se sponte sua & proprio vitio accersiuerunt. Deinde cæcitas quæ est ab oculorum effossione, est priuatio facultatis physicæ, quæ actioni visionis opponit impedimentum prorsus insuperabile, tametsi cæcus id superare maximè velit. At impotentia de qua disputamus, naturalis quidem est, quia est ab ipso vtero ducta: at moralis tamen, ideoque non insuperabilis si velles. Quòd si vsqueadeò penitus insedit vt contingere nequeat id vt velis, iam istud ostendimus ad excusationem non valere.

# CAPVT IX.

## *Caluini doctrinam non pugnare cum veritate & sinceritate Dei.*

ET sinceritati ac veritati Dei doctrinam de absoluto reprobationis decreto repugnare, Deumque planè falsitatis & hypocriseos insimulare contendit, siue illius præcepta, siue promissiones, conditiones, vota, expostulationes ac denique commiserationes spectentur. De mandatis autem sic habet. *Si mandata eius spectemus secundum eius doctrinæ assertores, Deus illis præcepit vt resipiscant & credant, quibus occultè non permittit vt credant. Sic enim Piscator libro contra Schafm.* Etsi reprobis mandat Deus vt Euangelio credant, non vult tamen vt credant. *Quos verò iubet Deus credere, hos exteriore & manifesta sua voluntate vult credere. Præcepta enim eius voluntatis eius signa sunt, & nisi voluntate interna idem etiam vult, simulatè agit. Ita vero Piscator in eodem libro,* Non vult Deus reprobos credere, licet lingua profiteatur se velle. *At nonne hoc est fraude & dolo malo cum hominibus agere? Verba sanè si veritate caruerint, & mentis signa non fuerint, simulationes & fraudes merito appellari possunt.*

Grande profectò facinus, & cui pro merito exagitando nulla verborum acerbitas sufficere queat, si quis vel intendat in Deum actionem de dolo malo, vel ea doceat quæ actionis de dolo in Deum intendendæ legitimam occasionem præbeant. At neque Caluinus id fecit, neque cuiquam cur id faceret iustā causam suppeditauit. Mandat Deus reprobis vt credant. Verum est. At occultè non permittit ijs vt credant. Quid illud est occultè permittere? Permissio enim duplicis est generis: Vna est quæ potestatem facit & ius concedit aliquid faciēdi, vt cum Deus permisit Noacho & illius posteris vt carnibus animantium vescerentur. Permissio autem illa legislatione fit: leges autem non occultè, sed publicè feruntur, nequem lateant. Altera est quæ actum ipsum efficacitate aliqua non reprimit: Vt cum Deus peccatum permittit, quod lege lata vetuit acerrimè, at non reprimit-

reprimit efficientia Spiritus aut prouidentiæ ſuæ in multis. Priore modo Deus non modo incredulis permiſit vt credant, ſed etiam imperauit, nec illis tantùm licita res eſt, ſed pro imperio debita, & à qua abſtinere non poſſunt citra culpam. Obiectum enim illis Deus obtulit vnà cum imperio, ne deſit quod fide amplexentur. Poſteriore verò, quis vnquam fuit è noſtris hominibus in cuius mentem hoc ſcelus inciderit, vt putaret Deum occulta quadam efficacitate intus operante coercuiſſe atque repreſſiſſe reproborum impetũ, ne in Chriſtum crederent? Et quid opus eſt talem in ijs impetum cohibere qui nullus eſt? τίς ἀλκὴ, inquit Sophocles, θάνοντα κτανεῖν; Nam illi ſanè iacent in peccato demortui. Mortuum autem nihil opus eſt prohibere quemquam ne reſurgat: Satis iſtud prohibebit ipſa mors. At enim non vult Deus eos credere: Sic enim Piſcator ſcribere auſus eſt. Piſcator defenſorem fortaſſe reperiet: de Caluino agimus. Sic igitur diſtinguet. Non vult, hoc eſt non foret illi gratum ſi crederent, negatur. Nam id illi longè foret acceptiſſimum ſi præſtarent. Non vult, hoc eſt, non decreuit ipſe facere in ijs quod imperat. Conceditur. At quæ labes inde aſpergitur Dei ſinceritati veritatique? Sciat ergo Anonymus ex Caluini ſententia, atque adeò etiam ex rei veritate, duplicem eſſe Dei σχέσιν in hoc negotio: Vnam Legiſlatoris, alteram verò Patris. Sub σχέσει Patris non modo imperat electis vt credant, ſed vim ſpiritus ſufficit per quam ſunt imperio certiſſimè obtemperaturi. Eos enim elegit, eos adoptare decreuit in Filio. Vt igitur propoſitũ aſſequatur, ſubminiſtrat vim ſpiritus efficaciſſimam & ad eam rem abſolutè neceſſariam. Sub σχέσει Legiſlatoris imperat vel maximè ſeriò. At intra hanc relationem conſiſtit. Legiſlatoris enim, quà talis, non eſt ſuppeditare vires quibus à ſe conſtitutis legibus pareatur. Vt ſeriò imperet & ſine fuco ac fallacijs, ſufficit vt imperet ea quæ ius habet imperandi. Et, quod conſentaneum eſt, vt non imperet quidquam quod ſubditi præſtare non poſſint, id modò velint; velle autem debeant ſi frugi ſint. Item, vt ſi quod imperat, præſtetur, vltro accipiat, idque valeat cùm ad iuſtificationem illius qui paruit, ſiquis ab eo vitæ rationem exigat; tum ad impetrationem præmij, ſi quod officio facto præmium lege conſtitutum eſt. Denique voni præſtetur officium, inobedientiam iuſtis pœnis vindicatam velit. Quæ omnia in ea Dei σχέσει reperiuntur. Adſcribam Caluini verba in quibus diſtinctionem iſtam explicauit, & eadem opera putidas illas obiectiones refellit. Promiſſiones (idem de mandatis planè ſtatuendum eſt.) quæ omnes ad ſalutem inuitant, non ”

,, simpliciter nec præcisè quid in arcano suo consilio statuerit Deus,
,, sed quid omnibus ad fidem & pœnitentiam adductis, facere paratus
,, sit, demonstrant. Atqui hoc modo duplex affingitur Deo voluntas,
,, qui adeò varius non est, vt ne minima quidem in eum cadat obum-
,, bratio. Quid hoc, inquit Pighius, aliud esset, quam hominibus illu-
,, dere, si Deus quod non vult, velle se profiteatur? Coniunctim vt par
,, est, legantur hæc duo, volo vt conuersus peccator viuat, nullo nego-
,, tio calumnia illa diluitur. Conuersionem à nobis exigit Deus; eam
,, vbicunque inuenit promisso vitæ præmio non frustratur. Vitam er-
,, go velle dicitur Deus qualiter & pœnitentiam. Hanc autem vult
,, quia verbo suo omnes ad eam inuitat. Cæterum id cum arcano ip-
,, sius consilio non pugnat, quo nonnisi suos electos conuertere decre-
,, uit. Neque propterea varium censeri fas est, quia tanquam legisla-
,, tor omnes externa vitæ doctrina illuminat: ad vitam omnes priore
,, modo vocet: hoc autem altero quos vult adducat, tanquam Pater
,, regenerans spiritu filios duntaxat suos.

Non ignoro similitudinem istam à nonnemine fuisse vellicatam, ac si fœdus Euangelicum in legem Mosis transformaret. Quasi verò procliue non sit intelligere aliter Deum legislatoris χέσει indui cùm lex opponitur Euangelio, aliter verò cùm Euangelium absolutè consideratur & in oppositione partium ipsius inter se. Legi oppositum, Euangelium est, non lex. Nam in lege Deus pro imperio statuit atque promulgat quid iustum & æquum sit: vim spiritus regenerantis non indulget, quâ homines in obsequium flectantur. In Euangelio & fidem exigit, & Spiritum misericorditer largitur, qui fidem creat. Quod certè propius ad Patris quàm ad Legislatoris χέσιν & ingeniū accedit. At cùm fides ab omnibus exigatur, spiritus autem indulgeatur nonnullis tantummodò, in illa comparatione disparium, quid dici potuit, vt est in rebus diuinis captus hominum, conuenientiùs, quàm illorum respectu Deum egisse vt Legislatores solent, horum verò vt parentes agerent siquis id illis tribueret vt possent liberos suos à vitio depellere, & ad omne genus virtutum fingere ac informare? Hic autem necesse non habemus ea repetere quæ supra à nobis dicta sunt, Deum quidem sic esse auctorem fidei in fidelibus, in incredulis autem incredulitatis non esse causam. Nam in fidelibus efficit, in incredulis deficit tantùm. Deficit, inquam, non vt causa quæ non præstat id quod præstare tenetur, quæ deficiendi ratio in culpa est. Deficit tantùm non efficiendo id quod nullo iure, nulla lege efficere debuit. Quæ cessatio seu efficientiæ negatio non modo vitio non vertitur propter culpam, sed & laudi duci

potest

potest propter sapientiam.

De promissionibus sic ait Anonymus. *Quod etiam ad promissiones attinet, omnibus etiam pereuntibus proponuntur. Inuitati sunt ad nuptias etiam qui non venerunt. Quibus præceptum ijsdem etiam promissio proponitur. Act.* 11. 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c. Vobis enim est promissio & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque vocauerit Dominus. *In quibus verbis præceptum & promissio eiusdem extensionis sunt. Promissione enim tanquam firmissimo argumento eos ad præceptum amplectendum allexit Apostolus. Nihil verò momenti habuisset argumentum illud, nisi ad omnes, ad quos præceptum pertinebat, promissio etiam pertinuisset. At secundum hanc de decreto absoluto sententiam Deus multis offert gratiam & gloriam quibus neutram dare decreuit. Sic Piscator libro de prædestinatione contra Schafmannum:* Gratia non offertur à Deo singulis, licet vocatis, animo communicādi eam, sed solis electis. *Quid? num ita nobiscum agit Deus, vt Dij olim egisse finguntur cum Tantalo? ita prorsus, secundum illorum sententiam. Etsi enim Deus gratiam ac gloriam omnibus offerat, gratiam tamen oblatam, secùndum istos, ab eis retrahit, vel primam, vt non omnino possint credere, vel saltem illam quà ad finem vsque perseuerare possint. Quid hoc aliud est quàm misellos homines vana spe salutis lactare & ludere? Hocque Zanchius parum sui memor fatetur libro* 5. *de natura Dei cap.* 11. *Dicit enim*, omnem hominem vocatum debere se elelectum esse credere, & nisi ita fecerit, magnam Deo iniuriam inferre, Deumque perstringere mendacij, qui illi in verbo dicit, se velle salutem eius & in hunc finem ad Christum vocasse. *Et Bucerus cap.* 8. *ad Rom.* Primum, quod Deo debes, est vt credas esse te ab eo prædestinatum. Nam id ni credas, facis eum tibi, cum te ad salutem vocat per Euangelium, illudere. *Si certum esset creditori alicui nihil vnquam de ære suo remittere, & tamen debitori nouas tabulas, siue remissionem conditionibus aliquibus præstitis offerret, & hæc omnia iureiurando sanctè confirmaret, nonne debitorem planè luderet? Qualia verò tandem sunt iuramenta Dei, quales promissiones eius de peccatorum remissione, sub conditione credendi & resipiscendi, si nihil vnquam remittere decreuerit?*

Frustra se se fatigat Anonymus in ratiocinatione quâ hanc disputationem de promissionibus diuinis inchoat. Non modò Caluinus non negat salutis promissionem vnà cum præcepto credendi, æquè latè patere, sed id disertiùs & significantiùs affirmat quàm quisquam facere possit Arminij discipulus. Sic enim ille Comment. in eundum locum quem Anonymus citauit. *Ad vos enim pertinet promissio.* Hoc no-

„ minatim addi oportuit vt certò statuerent Iudæi sibi communem esse
„ cum Apostolis Christi gratiam. Inde autem probat Petrus, quia illis
„ destinata sit Dei promissio. Nam huc semper conijciendi sunt oculi:
„ quia non aliter nobis nota esse potest Dei voluntas, quàm per ver-
„ bum. Sed non satis est habere verbum generale, nisi sciamus nobis
„ destinari. Dicit ergo Petrus Iudæis, quæ in se & collegis cernunt Dei
„ beneficia olim promissa esse: quia hoc ad fidei certitudinem neces-
„ sariò requiritur, vt singuli animo infixum habeant, se comprehendi
„ in eorum numero quos alloquitur Deus. Denique hæc vere creden-
„ di est regula, quum ita persuasus sum, meam esse salutem, quia ad me
„ pertinet promissio quæ illam offert. Vult ergo Caluinus & promis-
sionem vnà cum mandato ad omnes diffundi, & certam spem salutis
eâ omnibus ostendi, & salutem illam ad se pertinere singulis esse de-
bere quàm persuasissimum. Quid ab eo amplius requiri potest? At
inquiunt, secundum hanc de decreto absoluto sententiam, Deus mul-
tis offert, & commissorum impunitatem, & cælestem hæreditatem,
quibus neutram dare decreuit. Vbinam Caluinus id dixit? Vbinam
contraria non docuit, si quando locus id & occasio postulauit? Pro-
misit Deus bona fide se omnibus daturũ salutem æternam, si credant;
& si credant, quod promisit bona fide ac ipsa re est executurus. Ve-
rùm quia præuidit certo fore vt non crederent, ex eo decreuit salutis
non fore compotes, quam contumaciter essent aspernaturi. Ac ne
quis Caluinum sic credidisse dubitet, loquitur in hunc modum ad
illa verba Psal. 81. *O si populus meus audisset* &c. Quia dictio לו apud
„ Hebræos non est conditionalis, sed optatiua, non dubito quin Deus
„ instar gementis exclamet miserum esse hunc populum, qui saluti suæ
„ optimè consuli sponte recusauerit. Est autem hîc tacita exprobratio,
„ vt sciant Iudæi nonnisi per suam malitiam stetisse quominus optimè
„ haberent. Si quis obijciat frustra & sine ratione Deum conqueri
„ quando in eius arbitrio fuit flectere duras populi ceruices; nunc quã-
„ do facere non libuit, non esse cur se homini dolenti comparet. Res-
„ pondeo, iustè id fieri nostra causa, ne infœlicitatis nostræ culpam, ali-
„ bi quàm in nobis quæramus. Sed hic cauendum ne res diuersas mis-
„ ceamus, & quæ non minus inter se distant quàm cælum à terra. Deus
„ enim ad nos descendens per verbum suum, & sine exceptione inui-
„ tans omnes, neminem frustratur. Quicunque enim veniunt, admissi,
„ sentiunt non ab re fuisse vocatos. Interim ex fonte arcanæ electionis
„ manat hoc discrimen vt in paucorum corda verbum penetret, alio-
„ rum aures verberet duntaxat. Congruenter cum ijs quæ supra retu-
limus

limus, Deum cùm omnes ad salutem inuitat, demonstrare quid facere paratus sit omnibus ad fidem & pœnitentiam adductis. Frustrà igitur Caluini doctrina hîc sollicitatur. Ex eius sententia Deus & promisit, & quod promisit, dare constituit: at eodem modo constituit, quo promisit, nempe si credamus: nisi credamus, neque promissum esse vult, neque verò constitutum. Sic enim loquitur Inst. lib. 3. cap. 24. §. 15. Videntur fortius vrgere obiecto Petri loco, Deum nemine velle » perire, sed omnes recipere ad pœnitentiam. Verum nodi solutio iam » mox in secundo verbo occurrit: quia voluntas recipiendi ad pœni- » tentiam non alia intelligi potest, nisi quæ passim traditur. Verum » quidem est nisi recipere paratus esset qui eius misericordiam implo- » rant, concidere illam sententiam, conuertimini ad me, & conuertar » ad vos. Sed dico neminem mortalium ad Deum accedere nisi qui » diuinitus præuenitur. Sed enim, inquies, si ita est, parum fidei erit » promissionibus Euangelicis, quæ cùm de voluntate Dei testantur, » eum velle asserunt quod inuiolabili eius decreto aduersetur. Minimè » verò. Quamlibet enim vniuersales sint salutis promissiones, nihil ta- » men à reproborum prædestinatione discrepant, modò in earum effe- » ctum mentem dirigamus. Efficaces demum tum esse nobis promis- » siones scimus, vbi eas fide recipimus: vbi contra exinanita est fides, » simul abolita est promissio. Ea si est natura ipsarum, videamus iam » nunquid hæc inter se dissideant, quod dicitur ab æterno Deus ordi- » nasse quos amore complecti, in quos iram exercere velit: & quod » salutem omnibus indiscriminatim denunciat. Equidem dico optimè » conuenire. Sic enim promittendo nihil aliud vult quàm omnibus ex- » positam esse suam misericordiam, qui modò eam expetunt, atque im- » plorant: quod non alij faciunt nisi quos illuminauit, porrò illumi- » nat quos prædestinauit ad salutem. His, inquam, certa constat & in- » concussa promissionum veritas, vt dici nequeat aliquid esse dissensio- » nis inter æternam Dei electionem, & quod fidelibus offert gratiæ suæ » testimonium. Sed cur omnes nominat? Nempe quo tutiùs piorum » conscientiæ acquiescant, dum intelligunt nullam esse peccatorum dif- » ferentiam modò adsit fides: impij autem non causentur sibi deesse asy- » lum, quo se à peccati seruitute recipiant, dum oblatum sibi ingratitu- » dine sua respuunt. Ergo cùm vtrisque Dei misericordia per Euange- » lium offeratur, fides est, hoc est Dei illuminatio quæ inter pios & im- » pios distinguit, vt Euangelij efficaciam illi sentiant, hi verò nullum » inde fructum consequantur. Quid melius aut clariùs dici possit, ego quidem certè non video. Vt demirer Anonymum tam inconsidera-

tè ſcripſiſſe, ex Caluini ſententia nobiſcum agere Deum vt dij olim cum Tantalo egiſſe finguntur. Tantalus enim, ſi Homero fides, cùm ſiti propemodum enectus apud inferos, aquas quibus circumfundebatur nullo ſucceſſu miſerrimè captaret, quoties inclinabat ſe ſe capite demiſſo. πιέειν μενεαίνων,

Τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχθέν

Et cùm admodum famelico fructus omnis generis perpetuò impenderent,

Τῶν ὁπότ' ἰθύσει' ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι
Τὰς δ' ἄνεμος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

Volebat ergo ille aſſequi, & quantum poterat nitebatur; at ira Deorum ſtudium eius cupiditatemque fruſtrabat. Hic contra planè ſe res habet. Chriſtus aquam ſaluberrimam omnibus offert ad reſtinguendam animæ ſitim. Reprobi refugiunt ac veluti ὑδροφοβιῶσι. Fructum vitæ vnà cum arbore plantata in medio Paradiſi veſcendum benigniſſimè porrigit, illi vel fame tabeſcere, vel quiſquilijs aut acribus venenis ſe ſe paſcere præoptant. Quid igitur eſt in eo ſimile? Quid eſt quod non diſconueniat omni modo? Et in exemplo creditoris error planè geminus eſt. Deus enim nouas tabulas ac remiſſionem nobis debitoribus offert eo animo, vt, quod ait diſputator, præſtita conditione fidei ac pœnitentiæ ab ipſo poſita, nomina noſtra inducat bona fide. Nec vnquam quiſquam fuit, aut eſt, aut futurus eſt mortalium qui, ſi verè credidit, queri poſſit ſe non eſſe obligatione liberatum. Deludit ergo nos qui nos ex Caluini ſententia à Deo deludi, tam importunè quiritatur.

Vbi de conditionibus agendum eſt redit Anonymus ad impoſſibilitatem euentus & credendi impotentiam. *Quales etiam*, inquit, *ſecundum illam de abſoluto decreto ſententiam, ſunt illæ conditiones quas nobis Deus proponit ad promiſſiones obtinendas, niſi merè illuſoria, & ſpecioſæ licet videantur, planè nullæ? Conditio enim ſi vera & ſincera ſit, nihil aliud eſt*, quam oblata poteſtas aliquid eligendi: *vbi poteſtas eligendi non datur, ibi vera conditio non offertur. Nihil omnino promittere, & ſub conditione impoſſibili promittere, eodem recidunt. Contractus, inquiunt Iuriſconſulti, ſub conditione impræſtabili nullus æſtimatur, &, vt inquiunt Logici, conditionalis propoſitio quæ habet annexam conditionem impoſſibilem, æquipollet ſimpliciter neganti. Perinde eſt cæco petenti eleemoſynam denegare, ac ei aureum offerre hac conditione, vt oculos aperiat, dicatque cuius imagine nummus ſignatus ſit. Imo hæc repulſa videtur eo grauior quia cum irriſione coniuncta eſt. Ita ſanè parum candidè ac ſincerè*

cum

*cum hominibus ageret Deus ; si vitam illis offerret sub conditione impræstabili. Omnino verò impræstabilis est illis conditio credendi & resipiscendi, quos absoluto decreto reprobauit Deus.*

Miror virum doctum toties tam pueriliter hallucinari. Conditio, ni fallor, à Iurisconsultis definitur, *modus vel causa qua suspendit id quod agitur, quoad ex post facto confirmetur.* Vel, *lex addita negotio, quæ, donec præstetur, euentum suspendit.* Paulus autem lege 60. D. de condit. & demonstr. cōditionum partionem sic instituit. In facto consistentes, inquit, conditiones varietatem habent, & quasi tripertitam recipiunt diuisionem, vt quid detur, vt quid fiat, vt quid obtingat : vel retro, ne detur, ne fiat, ne obtingat. Et addit, Ex his conditiones dandi faciendique in personas collocantur, aut ipsorum quibus quid relinquitur, aut aliorum ; tertia species in euentu ponitur. Vnde communis illa distinctio conditionum, alias esse *potestatiuas*, quales sunt de quibus primo loco Paulus loquitur ; alias *casuales*, vt si fulserit cras, si tonuerit, si nauis ex Asia venerit : alias verò *mixtas*, seu *communes* ; vt si Titio ab hostibus reuerso X dederit : si Titio consule Capitolium ascenderit : si denique Titius consul factus fuerit. Quamobrem definitio cōditionis à disputatore allata non competit verè nisi in potestatiuas, quæ collocantur in personam vel hæredis vel legatarij cui optio datur eligendi, vel vt id faciat atque præstet, istud verò habeat quod testamento relinquitur : vel si minus facere aut præstare velit quod requiritur, abstineat ab eo quod testamento relictum est. Et quod hîc dicitur de testamentis, locum habet in omnibus contractibus qui conditione nituntur. Optimè enim Iurisperitissimus Grotius. Defectu conditionis non verè liberatur promissor, sed euentus ostendit nullam esse obligationem, vt quæ nonnisi sub conditione contracta erat. Et huc referendus casus, si prior alter non impleri quod ex sua parte implere tenebatur. Nam vnius eiusdemque contractus capita singula alia alijs inesse videntur per modum conditionis, quasi expressum esset, hæc ita faciam, si & alter faciat quæ promisit. Adde & quæ tenetur facere etiam si non promiserit. Tum & *potestatiuæ* conditiones admittunt diuisionem. Aliæ enim sunt in mero arbitrio atque potestate positæ, vt quæ sunt earum rerum quæ absolutè dependent ex eorum voluntate à quibus exiguntur. Aliæ vero tales vt etiamsi ex voluntate pendeant, intercurrere tamen potest aliquid quod non est in voluntate situm, & tamen rei præstationem impedit. Vnde fit vt potestatiuæ conditiones interprete Cuiacio, promiscuæ nuncupentur, lege XI. ff. de Condit.

Cujac. De iure B. ac P. libro 3. cap. 19. Obs. lib 14. cap. 2.

& demonstr. quia nulla ferè sit potestatiua, quæ non possit esse non potestatiua: vt, auctore Vlpiano lege 4. ff. de hæredibus instituendis, potest hæc, *si Alexandriam peruenerit*, non esse in arbitrio per hyemis conditionem: potest & esse, si ei qui à primo milliario Alexandriæ agit, fuit imposita. Potest illa, si decem Titio dederit, esse in facili, si vna Titius & legatarius habitent: potest esse in difficili, si Titius peregrinetur longinquo itinere. De illis autem quæ sunt in difficili, magna cautio est ad iudicandum adhibenda, sed quæ ad rem nostram non pertinet. Conditio enim illa quam promissioni salutis Deus annexuit, est ex earum genere quæ merè potestatiuæ sunt, hoc est, sunt in eorum potestate constitutæ quibus imponuntur. Porrò vt supra diximus, duplex est potestas. Vna consistit in præsentia facultatum quæ sunt à natura concessæ vt aliquid à nobis præstari possit. Altera in vsu facultatum ipsarum qui minimè neturalis est, vt sunt ipsæ facultates, sed ἑκούσιαι & ἐκ προαιρέσεως, vt loqui solet Aristoteles. Προαίρεσις autem talis est quales sunt ἕξεις quibus facultates ipsæ sunt penitus imbutæ: mala, si ἕξεις vitiosæ sunt; bona si ἕξεις sunt κατ' ἀρετήν. Et potestas illa prior si abest, res legata sub ea conditione, cuius præstatio ab ijs facultatibus pendet, absolutè impossibilis est, ideoque illusoria, vt loquuntur. Vt si Titius Meuio centum aureos legauerit ea conditione si mare Adriaticum saltu transmiserit, aut si cælum digito tetigerit. Habetur illa conditio à Iurisconsultis pro planè impossibili, ideoque nulla. In posteriore res aliter habet. Diligenter enim attendendũ est per quem steterit quominus conditio impleretur. Quoties per eum sterit cuius interest impleri conditionem (is est qui conditionem exigit) habetur pro impleta. Sic enim esse legendam legem 161. ff. de regulis iuris, & Iurisconsulti obseruant, & ratio ipsa euincit. At si per eum stet cui conditio imposita est, habetur haud dubiè pro non impleta, ex quo fit vt negotium sit irritum. Vt si legatum sit sub ea conditione, si vxorem duxerit, noluerit autem vxorem ducere cùm id posset, quandoquidem optio illi facta erat, conditione spreta, rem testamento relictam spreuisse dicendus est. Et certè quænam sit conditio impossibilis, ex conditione difficili constare potest. Difficilis ergo conditionis exemplum, interprete Cuiacio, extat leg. 4. § 1. ff. de Statulib. Si seruo testamento ita data sit libertas: *liber esto si hæredi millies dederit*: Millies autem efficiunt myri. myriadum, siue decem millia myriadum, hoc est, centum milliones. Quæ summa proculdubio serui facultatem excedit, nec eius solutio pendet ex illius voluntate. Quod si talis conditio Iurisconsultis difficilis est, quænam erit

Obser. libr. 2. cap. 29.

erit impossibilis, nisi quæ vel naturam ipsam excedit, vt cœli motum sistere: vel nugatoria est, vt *si Fuluia filia mea viuet*, testator autem nunquam filiam habuerit: vel ita perplexa est vt contradictionem implicet, vt si Titius heres erit, Seius heres esto: &, si Seius heres erit, Titius heres esto: vel quæ sit cõtra bonos mores, vt si parentibus alimenta non præstiterit: vel quæ sunt contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent; vel vno verbo quas aut nemo præstare potest, etsi vehementissimè cupiat, aut omnino nulla re adduci debet, vt præstare velit? Nam vt nonnulla sunt impossibilia physicè, sic etiam moraliter quæ sunt contra ius & fas impossibilia sibi quemque iudicare oportet. Quomodo Apostolus dicit impossibile esse vt Deus mentiatur aut fallat fidem obstrictam iureiurando. Vt igitur ad rem nostram redeamus, nemo non videt conditionem Euãgelio appositam non esse in eo genere impossibilium. Quamobrem si minus præstita sit, quia per vnam reproborum voluntatem quominus præstaretur, stetit, re quæ Euangelio promittitur indigni increduli iure merito iudicantur. Inde patet absurditas exempli de cæco eleemosynam petente, cui aureus offertur hac conditione vt oculos aperiat, atque indicet cuius sit nummus signatus imagine. Nam vt oculos aperiat in ipso situm non est. Id enim forte percupit, at non potest. Increduli autem, vt iam tam sæpe dictum est, non possunt, quia nolunt. Est igitur fidei conditio impræstabilis non per se. Nam per se sane Apostolus eam longè facillimam agnoscit. *Quæ ex fide est iustitia; inquit, ea sic loquitur. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo, & corde tuo*, &c. Sed est impræstabilis κατά τι, quia reprobi præ inuicta pertinacia & diro cordis rigore ad eius præstationem animum applicare nolunt.

Leg. 45. ff. de hered. Instit.
L. 15. ff. de condit. Inst.
Leg. 9. ff. ibid.
Rom. 10. 6.

De reliquis Anonymus sic loqui pergit. *Quod denique ad vota, & expostulationes, & commiserationes attinet, quibus Deus salutem etiam pereuntium optasse videtur, nonne etiam illusoria sunt secundum rigidam istam de absoluto decreto sententiam?* Esa. 48. 18. Vtinam attendisses ad mandata mea. Et Esa. 5. 3. 4. Iudicate inter me & vineam meam; quid est quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei? & Ezech. 33. 11. Conuertimini conuertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel? & Lucæ 13. 34. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, &c. quoties volui congregare filios tuos sicut auis, &c. & noluisti. *Quam verò dolosè hæc omnia, si Deus*

*eos quorum salutem omnibus votis expetere, & perditionem deplorare videtur, pro mera voluntate sua, non ex prauisis vllis operibus eorum, damnationi æternæ deuouisset. Quorsum spectant tot exhortationes & tantum non preces, vt homines oblatam gratiam acciperent? quorsum tot vota & sympathias signa? quorsum ita deplorat stultitiam eorum qui gratiæ resistunt? quorsum tot speciosa beneuolentiæ argumenta, si Deus ab æterno mortem tot hominum decreuerit, ideo tantum quia voluit?*

Doli suspicionem à Deo ex Caluini sententia iam remouimus,
,, prolato loco ex Commentario ad Psal 81. Videamus an in reliquis lo-
,, cis secum ipse consentiat. Esa. 48. 18. Cùm populus, inquit, conque-
,, ri posset quod in exilium duceretur, Propheta murmuribus occur-
,, rere volens causam notat; quod scilicet doctrinæ salutari non dedit
,, locum, nec vllum ex ea fructum percipere sustinuerit. Dubium verò
,, non est quin alludat ad Canticum Mosis, vbi eadem ferè loquendi
,, forma habetur. O si saperent atque intelligerent! לוא optantis est, O
,, si, vel vtinam. Non tantum expostulat Dominus cum Iudæis, quod
,, neglexerint vtilitatem quæ ipsis offerebatur: sed vt Pater filiorum mi-
,, seriam deplorat. Nec enim voluptatem capit ex malis nostris, neque
,, seuerus est nisi cùm malitia nostra ipsum cogimus. Est igitur hic an-
,, tropopathia, quâ Deus commiseratur exitium eorum qui sponte pe-
,, rire quàm salui esse maluerunt. Nam paratus erat ad beneficia om-
,, nis generis præstanda, nisi nostra contumacia ipsum repelleremus.
,, Interim velle ad arcanum eius consilium penetrare, & sciscitari cur
,, non addiderit verbo externo spiritus efficaciam, præposterum esset:
,, quando hîc non de eius potentia agitur, sed tantùm arguitur homi-
,, num durities vt reddantur inexcusabiles. Certè quoties nos ad se
,, Deus inuitat, in eius verbo constat plena felicitas, quæ malignè à no-
,, bis repudiatur. Verba Commentarij in cap. 5. vers. 3. superiùs relata
sunt. De Ezechiele iam etiam vidimus. At in Luc 13. 34. sic loquitur.
,, Iam notanda est sermonis vehementia. Si simpliciter repudiata fuisset
,, Dei gratia Hierosolymæ, iam minimè excusabilis fuisset ingratitudo.
,, Quum verò comiter & blandè ad se allicere Deus tentauerit Iudæos
,, ac nihil profecerit tanta benignitate, longè atrocius fuit tam super-
,, bæ contumeliæ crimen. Accessit etiam indomita obstinatio: quia non
,, semel atque iterum ipsos Deus colligere voluit, sed per continuos
,, successionis gradus alios atque alios submisit Prophetas, qui omnes
,, ferè à maiori parte repulsi sunt. Nunc tenemus cur se Christus in Dei
,, persona gallinæ comparet, nempe quo plus ignominiæ huic scelestæ
,, genti irroget, quæ suaues & plusquam maternas eius inuitationes
respuerat.

respuerat. Mirum hoc certè & incomparabile amoris documentum fuit, quod se ad blanditias vsque demittere grauatus non est, quo cicuratet in suum obsequium rebelles. Et sic in sequentibus. Item Comment. in Ioan. 12. 46. 47. *Ego lux in mundum veni vt quicunque credit in me, in tenebris non maneat.* Vniuersalis particula consultò addita esse videtur, partim vt cunctis fidelibus sine exceptione bonum hoc commune faceret, partim vt incredulos ostenderet ideo perire in tenebris quia sponte lucem fugiunt. Postquam autem de gratia sua disseruit, in his, *si quis audierit verba mea*, pungere incipit rebelles. Quamquam hic quoque seueritatem mitigat, qua digna est eorum impietas qui veluti ex animi proposito Deum reijciunt. Iudicium enim de his ferre supersedet, quia potius venerit in hominum salutem. Primo loco tenendum est hîc de non quibuslibet incredulis loqui, sed qui scientes & volentes doctrinam Euangelij sibi monstratam reijciunt. Cur ergo damnare eos Christus non vult? Nempe hîc deposita ad tempus Iudicis persona, quo plus animi omnes habeant ad resipiscentiam, salutem promiscuè omnibus offert, & brachia suâ ad omnes amplexandos extendit. Quamquam interea crimen non leui circumstantia amplificat, si tam benignam & suauem inuitationem repudient. Perinde enim est ac si dixisset, Ecce ego adsto ad omnes vocandos, & oblitus personæ iudicis hoc vnum habeo propositum vt alliciam omnes, & qui iam bis perditi videntur ab interitu eripiam. Nemo igitur ob Euangelij contemptum damnatur nisi qui amabile salutis nuncium aspernatus, vltrò sibi exitium accersere voluit. Et in vers. 48. *Qui reijcit me &c.* Ne sibi indulgeant impij horrendam denunciationem addit. Sensus est igitur. Ego quidem ingenti salutis vestræ desiderio flagrans iure meo abstineo à vobis damnandis, & totus ad seruandum incumbo quod perijt: sed non propterea putetis vos è manu Dei elapsos. Et similiter pluribus locis quos transcribere longum esset. Satis est si videat Anonymus, quod certè videre debet, Caluinum duo perseuerantissimè tenuisse. Primùm, Deum non modo seriò sed etiam cum memorabili quodam affectu & salutem omnium voluisse, & quantum quidem id externa prædicatione fieri potest, procurasse sine dolo. Deinde, affectum illum quicunque est, non pugnare cum arcana dispensatione voluntatis diuinæ quâ Deus vim sui Spiritus nonnullis non indulgere decreuit. Quibus addendum est denique tertium, nimirum vehementes illas expostulationes, commiserationes, vota & alia eiusmodi, quæ affectum quendam cum dolore coniunctum præ se ferunt, esse vsitatas in Scriptura



p. 264

ἀνθρωποπάθεια quibus Deus ad captum nostrum se se accommodat, & admirabili συγκαταβάσει ad nos veluti descendit. Sunt autem in omni ἀνθρωποπαθείᾳ duo. Vnum, quod res non est inanis atque ludicra, sed maximè seria & quæ repræsentat aliquid quod in Deo est analogum atque consentiens cum facultatibus & permotionibus animorum nostrorum, illibata tamen naturæ diuinæ infinita præstantia; Alterum, quod id, qualecunque est, ἀνθρωποπάθεια represeniat ratione quadam magis ad facultates & perturbationes animi humani, quàm ad Dei ipsius ingenium accommodata. Itaque certum quidem est neque dolorem ac tristitiam neque motum vllum animi in eum vnquam cecidisse. At certum est itidem Deum quod se velle testatur ἀνθρωποπαθῶς, velle reipsa, & quod tam sæpe dictum est, serio, neque miserorum hominum mentes inanibus verbis & fallaci misericordiæ ostentatione ludificari. Quod igitur disputator noster addidit, *Quorsum spectant tot exhortationes* &c. frustra est. Nam eò quidem spectant propriè ac primariò, vt homines conuertantur, quæ est ad salutem certissima via ac minimè dubitabilis. Secundariò ac per accidens, vt si minus conuertantur, (conuertuntur autem illi soli quos Deus Spiritu suo illuminat) neminem alium præter semetipsos accusent. Nam certè non damnarentur nisi tantam Dei benignitatem incredibili peruicacia contempsissent.

Atque hic finem facerem disputandi de sinceritate Dei, & ad alia pergerem, nisi me alter ille Anonymus properantem remoraretur. Etenim illo virulento libello cuius mentio à me iam facta est, hoc præcipuè argumento demonstrare conatur Caluini doctrinam quam defendimus ἀσύστατον docere, quod qui finem appetit, illum etiam media appetere necesse est. Velle autem est appetere. Quamobrem si Deus voluit omnium hominum salutem, necesse esse vt media etiam voluerit. Voluit ergo omnes habere fidem, vnicum per nos salutis obtinendæ medium. Porro vti fides respectu salutis medium est, sic respectu eorum quæ sunt ad fidem ipsam obtinendam necessaria & comparata, est finis. Quamobrem consequens & consentaneum est vt Deus voluerit ea omnia concedere quæ sunt ad fidem habendam necessaria. Sunt autem illa duo: externa scilicet prædicatio verbi, & interna Spiritus illuminantis efficacia. Aut igitur Deus non vult omnium salutem; velle tamen Caluinus vltro concedit: aut non vult salutem omnium seriò sed simulatè; quod ab ingenio Dei abhorret: aut vim illam internam Spiritus omnibus indulsit: quod ipsissima est Armanianæ scholæ doctrina. Atque hoc argumentum tanti esse putat

vt

vt in eo ſibi triumphare certiſſimè videatur. Equidem quod illi ſtatuunt eum qui finem ſeriò cupit, ſeriò etiam cupere media, vellem ab ijs ſeriò & ſincerè dici, non autem ſimulatè. Cùm enim, vt ſupra vidimus, ſummum bonum finis ſit quem omnes & ſeriò & neceſſariò appetere certum eſt, Euangelij autem ſuſceptio ſit medium vnicum ad finem illum aſſequendum, proculdubio faterentur, ab omnibus *ijs* quibus ſummum bonum Euangelio patefactum & per illuminationem ſpiritus penitus cognitum eſt, Euangelium neceſſariò ſuſcipi: Et ſic controuerſia illa de vi ſpiritus, vt loquuntur, reſiſtibili vel irreſiſtibili, in qua tanquam in cardine controuerſia de Prædeſtinatione vertitur, compoſita ac definita foret. Nunc autem vbi volunt omnium mentes per Spiritum illuminari, à paucis autem Euangelium fide ſuſcipi, vel docent ſummum bonum in Euangelio non eſſe patefactum, quod falſum eſt, atque adeò impium; vel ſtatuunt patefactum quidem eſſe, at non ab ijs quibus mens eſt à Spiritu Dei illuminata agnitum, quod abſurdum eſt & à ratione prorſus alienum; vel agnitum quidem eſſe ſed non expeti, quod pugnat cum vera Philoſophia atque adeo cum ſenſu hominum communi; vel experti quidem illud, at negligi tamen vnicum quod ad finem illum conſequendum comparatum eſt medium, quod eſt planè ἀσύστατον cum eo quod ab Anonymo iſto iam poſitum eſt, & vim illius argumenti labefactat, appeti continuò media ab eo qui finem verè & ſeriò vult. Tum & in eo ipſi ſibi repugnant quod ſtatuunt Deum ſalutem omnium admodum ſeriò cupere, nolunt tamen fidem non omnibus duntaxat, ſed nemini quidem actu donari. Scilicet illud *poſſe credere ſi velis*, quod omnibus concedi pertendunt, cùm in multo maxima hominum parte non ſuccedat ita vt reuera credant, arguit eorum ſalutem non fuiſſe à Deo vehementer & admodum ſeriò concupitam. Alioqui non modo poſſe credere ſi vellent, ſed etiam *& actu velle*, hoc eſt, ipſum *credere* largitus eſſet: quandoquidem non poterat aliter ad finem ſuum peruenire. Quin in ijs ipſis qui reuera credunt, non vlterius eſſe progreſſam ſpiritus efficacitatem quàm vt voluntatem conſtitueret in æquilibrio, magnum argumentum eſt eorum ſalutem à Deo non fuiſſe vehementer expetitam. Quum enim æquilibrium illud hoc vnum præſtet ex ipſius Arminij ſententia, vt reddat ſalutem hominum rem contingentem & pariter libratam in ancipiti, iſne rem tantam impenſè affectaſſe dicendus eſt, qui vult eſſe collocatam in loco tam lubrico ac veluti tenui filo pendentem, adeò vt vel leuiſſimo momento impellatur ad perniciem? Et vt eorum ſimili vtar, pa-

ter qui filiolum vnicè amat, & eum vehementer exoptat esse superstitem, hoccine à se impetraret vt pateretur eius vitam ex ipsius leui sententia & imprudenti consilio pendere, aut perpetuò conflictari cum ancipitibus periculis, eam si posset constituere in tuto, & ab omni discrimine vindicare? Posset ne esse in eo tãta arbitrij filioli sui reuerentia vt mallet eum versari inter scopulos, quam id ipse regere atque inflectere ad id quod est conducibilius, atque adeo etiam, si res aliter obtineri non posset, vim illius voluntati aliquam adhibere? Quod si illis licet ita respondere vt dicant in eo Deum satis ostendisse quam serio omnium salutem vellet, quod ijs omnia suppeditauit quibus si rectè vterentur, vti autem possent si vellent, vitam æternam assequerentur; quidni pari iure nobis respondere liceat Deum in eo satis ostendisse se non fuisse animo à salute reproborum alieno, quod noluit illis aditum ad misericordiam esse præclusum, modò accedere non dedignentur? Neque id tantum, sed & demonstrasse illam esse sibi cordi eo quod ipsos tam suauiter, tam benignè, tam perseueranter ad fidem & pœnitentiam inuitarit? Sciant ergo subtiles disputatores, quæcunque Deus vult, velle quidem eum omnia liberè, at non vno modo tamen. Nonnulla enim vult ita liberè vt etiam necessariò velit, quæ habent illius respectu summi & extremi finis rationem. Sic semetipsum amat. Nam extremum sanè finem habere nullum potest extra se: Sic amat & sanctitatem & felicitatem suam: quod nihil aliud est quàm semetipsum amare. Est enim per essentiam suam sanctus, & ipse suis ita pollet opibus vt nullius præter se rei indigeat ad summam beatitudinem in æuo immortali perfruendam. Nonnulla verò vult liberè, sed vt ita loquar, pro arbitratu: vt modum ponat suæ voluntatis suique appetitus vehementiæ, prout, quæ est eius infinita sapientia, ipsi libet & iudicat expedire. Voluntatis autem, seu potius volitionis, duo sunt veluti momenta. Vnum, vt iam supra diximus, intra eos fines consistit, vt ab obiecto seu termino suo non modo non abhorreat, sed eò inclinet atque propendeat, vt si existat alicunde, non modo non ægrè feratur aut displiceat, sed & adlubescat, & oblectet, & grata quadam afficiat voluptate. At illud quidquid est voluntatem non vsque eò intendit, vt qui sic vult, apud se decernat pro viribus conniti vt quocunque tandem modo res illa eueniat ad quam tendit inclinatione animi & aliqua voluntatis procliuitate. Alterum vsque eo progreditur vt volentem impellat ad agendum, & nitendum, & elaborandum vt omni modo id quod vult tandem aliquando perficiat & consequatur. Quæ res non amplius con-

consistit in lubentia quadam animi, sed in sententia decreto aliquo destinata. Sanè qui posteriore hoc modo vult, vult pariter media, nec quidquam eorum omittit quæ ad finem obtinendum necessaria videntur. Atque huius character volitionis est nisus, & conatus, & impetus, & rerum omnium illarum motio atque molitio quæ ad id assequendum quod animo concupisti, momentum aliquod habere iudicantur. Qui priore modo vult, illum parem curam paremque molitionem ad finem obtinendum adhibere vsqueadeò necesse non est, vt nemo vnquam sic volens tantam machinationem instruendam, tantam ad opus perficiendum virium contentionem sibi admouendam esse putarit. Vterque sanè, si res succedat, gaudet: sin minus, dolet itidem. At ille qui vult intentiùs, vehementer: hic verò qui remissius, mallet quidem rem aliter euenisse, & ei sic non euenisse, graue est: vtcunque tamen ceciderit, fert multo placidiùs, neque patitur eam ob rem animi sui tranquillitatẽ admodum perturbari. Vt igitur ista ad rem nostram accommodemus, Deus electorum suorum salutem voluit absoluta illa ac veluti decretoria voluntate. Ideoque ad eam perficiendam omnia quæ necesse erat adhibuit. Et quia potentissimus est, accidere aliter non potuit quin ad metam beatæ immortalitatis deducerentur. Reliquorum salutem voluit quidem, at eatenus tantum, quoad si minus seruarentur, conqueri non possint sibi non esse ianuam apertam ad vitam immortalem. Vnde est vt de euentu sollicitus quidem non sit: quî enim caderet in eum vlla sollicitudo? sed vt κατ' ἀνθρωποπάθειαν sollicitudinem illam ostendat quam superiùs vnà cum Caluino in prophetarum verbis agnouimus. Vt procul quidem à nobis abesse debeat illa mens, quasi Deus vel fine suo exciderit, vel animi aliquam ægritudinem atque perturbationem senserit ideò quia res non successit è sententia: at non dubitemus tamen quin studium illud salutis hominum quod præ se tulit, valde serium fuerit & ab omni fuco atque simulatione alienum. Quod siquis miretur in Deo talem esse volitionem vllam, quæ leuiter tantum moueat, non autem permoueat ita vt vim eam adhibere velit qua pollet infinita ad id præstãdũ, quod & si facere non decreuerit, facto tamen admodum delectaretur, quandoquidem infinitæ potentiæ nihil difficile est, nil quod non sit longè facillimum, & quod solo nutu confici possit, ille triplex hoc habeat responsum. Primum est, quod quocunque se vertant Arminij discipuli, id argumentum in eos retorqueri potest. Nam quid factu fuit facilius quam vt Deus omnium illuminata mente voluntatem etiam ad credendum inclinaret? Qui, in-

quam, intellectum illustrauit luce quadam quam non admittere non potuit, illibatâ nostra humanitate, nonne potuit voluntatem inflectere virtute cui non posset resistere, citra humanitatis perniciem? Cùm præsertim homines & simus & dicamur ab ea parte in qua vis intelligendi non autem volendi potestas insidet? Alterum verò illud est quod etsi naturæ diuinæ præstantia nostram infinitè supereminet, nec æquum est illius incomprehensibilem seu agendi, seu volendi rationem ad exemplum nostræ infirmitatis æstimare, quando tamen Deus ipse eò vsque se se demittit vt ex ijs quæ in nobis vitio vacant similitudines ducat quibus vtcũque suas actiones adũbret, nos non debet magnopere perturbare si quid statuatur in Deo proportione consentiens cum ijs rebus quas nemo vnquam in motibus animorum nostrorum vituperandas esse putauit. Non vt eum cogitemus nostri esse similem. Absit à mentibus nostris tam importuna cogitatio. Sed vt quod in animis nostris aut vitio non vertitur, aut laudi ducitur etiam, id in Deo statuere modo quodam ipsius naturæ conuenienti, si Scriptura nos eò ducat, non admodum reformidemus. Iam autem quid potest esse manifestius quàm voluntatem humanam ab obiectis ita diuersimodè affici vt alia velimus vehementissimè, alia verò mediocriter tantum? In illis assequendis quidquid in nobis est studij, industriæ, virium atque facultatum consumere parati simus, in his contra inhibeamus animi impetum, contenti voluntatis nostræ propensionem certis quidem at leuibus quibusdam significationibus ostendisse? Illuc ruamus toti & rapiamur, nihil quidquam præterea pensi habentes, dummodo cupito potiamur; huc lentè feramur ac pedetentim, cupiditati certis quibusdam rationibus moderantes? Vno verbo, illic potito gaudeamus impensissimè & regnemus, & triumphemus, hîc lætemur quidem, at moderatè; illic si spes fefellerit, angamur animi supra modum, & præ ægritudine tabescamus, hîc displiceat quidem rem accidisse præter votum, idque cum aliquo sensu doloris, at quem mens ipsa facile discutiat, ne descendat altius aut mordeat diutiùs & inualescat? Remoue ergo à natura numinis quidquid in illis varijs animorum nostrorum motibus eam dedecet, & imbecillitatem quæ facit vt sæpe cupitis ac speratis excidamus, & dolorem atque ægrimoniam, & lætitiam cum aliqua perturbatione coniunctam, retine vnam illam volendi vel remissiùs vel intentiùs varietatem, quid est quod offendere debeat, cùm præsertim de ijs rebus agatur in quibus Deo licuit non amori modum statuere duntaxat, sed etiam ab amando in totum abstinere? Denique mentes nostras

noſtras iſta cogitatio perpetuò ſubire debet, Deum eſſe Deum, hoc eſt, mentem quandam immenſam, cuius ſapientia eſt πολυποίκιλος & inexhauſta, & voluntas inſcrutabilis, & maieſtas cum ſumma animi demiſſione atque admiratione veneranda. Vt quæ nobis ſunt ab ipſo reuelata, ſuſcipiamus, amplectamur, & ad pietatis ac ſanctimoniæ praxim ſummo ſtudio redigamus: quæ autem latere nos voluit, (qualia autem, per ipſummet Deum immenſum & immortalem, illa ſunt & quanta!) in ea ne curioſius inquiramus. Ad quamcunque ſententiam in ijs rebus animos noſtros appulerimus, ſupererit ſemper tamen abyſſus multa, cuius πλάτος καὶ μῆκος, καὶ βάθος καὶ ὕψος intelligentiam noſtram longè ſuperabit: nec nos miſeros homunciones aliquid ignorare pudere debet. ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Ariſtot. Metap. 2 capt.
Meminerit tantùm vir doctus qui nomen ſuum hîc voluit eſſe celatum, eius quod ſupra ex Auguſtino citauit, *non ideo negandum eſſe quod apertum eſt, quia quod occultum eſt non poteſt comprehendi.*



# CAPVT X.

## *Caluini doctrinam pietatis praxi non repugnare.*

*HÆC de abſoluto Dei decreto ſententia*, inquit Anonymus, *pietatis etiam praxi repugnare videtur. Ex ſua enim natura tollit ex mundo ſpem & timorem quibus tanquam præcipuis fulcris ac columnis praxis pietatis niti ſolet. Spes enim præmij eſt, quæ homines ad obedientiam tam actiuam quam paſſiuam excitat. Timor verò multum ad operationem ſalutis confert,* Philip. 2. 12. Cum metu & tremore ſalutem veſtram operemini. *Obiectum verò ſpei eſt bonum poſſibile haberi, obiectum metus eſt malum poſſibile vitari. Metus enim eſt fuga mali. Nemo verò fugiet quod nouit ſe vitare non poſſe, ſed potius ſe ad patiendum comparabit, quod fecit Cæſar in Senatu, cum percuſſorum furorem ſe vitare non potuiſſe intelligeret. At ſecundùm decretum illud abſolutum, obiecta ſpei & timoris non amplius poſſibilia ſunt, ſed planè neceſſaria. Celum enim infallibiliter conſecuturi ſunt electi & in infernum ineuitabiliter præcipitandi ſunt reprobi. Omnes ex hoc decreto certò determinati ſunt vel ad vitam vel ad damnationem æternam.* Stat fati lex indeclina-

bilis. *Quæ enim ita fixa sunt, refigi non possunt.* Quis verò voluntati eius restitet? *Ad Rom. 9. Æque vtili conatu impediret homo solis ortum, vel fluminis cursum, & totius naturæ ordinem interuertere studeret, ac decreta Dei mutatum ire. Spem igitur tollit illa doctrina & timorem. Fine enim certo & necessario prædeterminato frustra fuerint actiones humanæ. Diaboli, quorum damnatio fixa & obsignata est, frustra decretum illud lachrymis aut precibus suis mutatum vellent. Frustra verò operam locant homines vt vitam consequantur & infernum vitent, si ipsis liberum non sit, vitam aut mortem eligere: etsi decreto diuino ad hanc vel illam ordinati fuerint. Quid enim omni labore proficiunt, si damnatio eorum decreta sit? Quid iuuat legendo, audiendo, orando, eleemosynam dando, oleum & operam perdere, cum iam prædeterminati ad mortem salutem inde operari non possint? Quod si ad salutem absolutè ordinati fuerint, nec vlla neglecta bona opera, nec quæuis ignorantia, nec mundi amor, nec libido carnis, nec quidlibet aliud salutem eorum impedire poterit.*

*Frustra tandem concionatur pastor, frustra populus audit: nam ne vnam quidem animam inferno designatam, omni conatu & labore suo è faucibus inferni eripuerit. Sanè si plenè hominum animis hæc insedisset persuasio, omnia in cœlo fixa esse eo modo quo volunt absoluti decreti assertores, næ pauci admodum reperirentur, qui pietati inutili operam darent; plurimique tales euaderent, quales Poëta ille formare voluit,*

Soluite mortales animos curisque leuate,
Totque superuacuis animum deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.

*Nonne hinc satis constat, doctrinam illam pietatis praxi nimis repugnare? Accedat his & ipsa Caluini confessio Inst. lib 3. cap. 23. n.* 14. Si quis, *inquit*, ita plebem compellet, Si non creditis, ideo fit, quia iam diuinitus exitio prædestinati estis, is non modo ignauiam fouet, sed etiam indulget malitiæ. *Quod perinde est ac si diceret: Si quis doctrinam meam de reprobatione coram populo ad viuum depingeret, hoc facto ad omnem nequitiam & impietatem fenestram aperiret. Ita verò se rem habere exemplo est Landgrauius ille apud Heisherbachium lib. 1. de memor. hist. cap. 27. qui cum ab amicis monitus esset, vt vitam mutaret, & resipisceret,* Si, *inquit*, prædestinatus sum, nulla peccata mihi poterunt regnum cœlorum auferre. Si reprobatus, nulla opera valebunt conferre.

*Quod verò obijcitur, multos huius doctrinæ assertores, multosque eorum sequaces, viros esse probos & pietate præstantes: Respondetur eodem modo Epicureos etiam sententiæ suæ patrocinari potuisse. Multos enim ex*

*eorum numero viros bonos esse dixerunt. Hocque ipsis facile concedit Cicero, qui nihilominus doctrinam eorum reprobauit. Sic enim ille lib. II. de finib. bonorum & malorum, de Epicuro loquens.* At multis se probauit: & iure fortasse. Ac mihi quidem quod & ipse bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie sunt, & in amicitijs fideles, & in omni vita constantes &c. *hoc videtur maior vis honestatis & minor voluptatis:* Ita enim viuunt quidam vt eorum vita probetur, refellatur oratio, atque vt cæteri existimantur dicere melius quam facere, sic hi mihi videntur facere melius quàm dicere. *Ita concedamus licet multos, qui sententiam de absoluto Dei decreto mordicus tenent, viros probos & pios esse, hoc tamen doctrinæ suæ nullatenus acceptum ferunt. Si enim illi in vita vsuque communi doctrinam istam ad praxin vellent reducere, & secundùm eam mores suos formare, eos sanè longè alios euasuros quis non videt? Acutè verò hoc obseruauit Tilenus in libro cui Titulus, La doctrine des Synodes de Dordrecht & d'Alez, mise à l'espreuue de la pratique.*

*Neque plus valet quod aiunt istius doctrinæ patroni, se non docere quinam electi, & quinam reprobi sint; electorumque esse bonis operibus electionis suæ cognitionem comparare, unde pietas foueri potiùs quàm extingui possit. At quis non facilius hinc libertius viuendi ansam arripiat? cum possit secum ratiocinari sibi vel absolute electo, vel absolute reprobato, tanto pietatis studio opus non esse? Hinc Tiberius ille, vt ait Suetonius cap. 69.* Circa Deos & religiones negligentior erat. quippe addictus mathematicæ persuasionisque plenus omnia fato agi. *Deinde cum ad aliquam electionis nostræ cognitionem consequendam secundum illos, nuntius remittendus sit omnibus illis vitijs quæ homines plerosque dulcedine sua tenent, cognitioque hæc nonnisi incerta admodum & obscura esse possit, & quæ facile amittatur, nisi pietatis exercitio conseruetur; cumque cognitio illa, siue ad vitam, siue ad mortem, prædeterminati fuerimus, conditionem nostram mutare non possit, quàm pauci, si hac paulò penitius considerarent, inuenirentur, qui non mallent, omisso inutilissimæ cognitionis pruritu, voluptatibus indulgere quàm tanti emere non profuturam scientiam, seque infructuoso labore cruciare?*

*Nec denique validius est, quod dicunt absoluti decreti defensores, se omnes ad bona opera hortari, hocque inculcare auditoribus suis, salutem non posse obtinere illum, qui piè nolit viuere. Sane & ipse Epicurus negauit quenquam iucunde viuere posse, qui non idem & honestè vixerit. Quod verò de illo dixit Cicero, optime in rigidos illos absoluti decreti defensores quadrare videtur.* Quasi, *inquit*, ego curem, quid ille aiat aut neget; illud quæro, quid ei, qui in voluptate summum bonum

putat, consentaneum sit dicere. *Sic ille Offic. 3. Ita quidem non multum refert, quid præterea doceant absoluti decreti defensores, sed quid ipsos docere consentaneum sit, si modò sibi per omnia constare velint.*

Hic Anonymus duo facere intendit. Primum enim pugnam inter Caluini doctrinam & pietatis praxim suo iudicio intercedentem, argumentis quantum potest ostendere nititur. Deinde κατὰ φιλίαν diluit aduersariorum obiectiones. Vtrumque rectène an secus nunc examinandum. Et ad prius quod attinet, causæ firmamentum in eo ponit, quod cùm spes atque timor præcipua fulcra sint quibus praxis pietatis niti solet, doctrina Caluini vtrumque labefactat. Postea verò quia statutum est atque decretum de vnoquoque homine quid futurum sit, ait frustra quemque pietati studere, quæ Dei decretum semel fixum refigere nequit. Frustra etiam à pastoribus hortationes adhiberi, quæ nihil in eodem consilio mutare valent. Huius enim disputationis vniuersa vis ad hæc reducitur: in reliquis aduersarius ῥητορεύειν voluisse videtur. Vt igitur ab illo ordiamur, si nullum aliud ad pietatem incitamentum aduersarius agnosceret præter vnam spem vnumque timorem, næ efficeret homines mercenarios, & vim ipsius pietatis infringeret. Species τοῦ καλοῦ in amore virtutis, vel Ethnicis ipsis iudicibus, mentes nostras ita debet admirabilitate sua afficere, vt etiam spe timoreque seiunctis, virtutem per semetipsam expetendam esse iudicemus. Siqui sunt quorum pietas in duabus istis solis columnis collocata sit, tantum abest vt pro verè Christianis haberi debeant, vt ne viri boni quidem inter philosophos existimari possint. Notum est illud Horatij,

*Oderunt peccare boni virtutis amore, &c.*

Notæ Stoicorum de virtute scholæ, quibus eam & per se colendam, & ad benè beatèque viuendum seipsa contentam esse, & omnes fortunæ casus omnesque adeo cruciatus despicere ac pro nihilo ducere disputarunt. Equidem si pietas omnis spe ac timore continetur, vtroque illo sublato pietas ipsa funditus illico perierit. Vnde sequitur pietatem nudum esse atque inane nomen, Deum non esse propter semetipsum amandum. Quid ergo opus fuit vt cùm neque in se amandus sit, neque ex pietate nostra emolumentum vllum accipiat, tam seueras leges de pietate sanciret minarũ denuntiatione terribili? Nonne pati potuit nos esse liberos ab illo iugo? Verùm id non vult Anonymus. Spem & timorem non vnica pietatis fulcra nominat, sed præcipua tantùm. At ne sic quidem satisfacit. Nolumus hic exagitare quod ad eam rem locum ex Phil. 2. perperam citat, quasi illud

illud *in timore & tremore*, metum cum significaret de quo loquitur. Cùm humilitatem & animi demissionem denotet, vt 1. Cor. 2. 3. Eph, 6. 5. Psal. 2. 11. Hoc tantùm dicimus. Cùm in negotio pietatis duo regnare videantur, amor Dei, & amor nostri ipsorum, ille Deum per se respicit, hic non per se Deum intuetur & ἁπλῶς sed κατά τι, & qua virtutis remunerator est, vel peccati vindex. Porro vt Deus non prohibet quominus in ea re nostri ipsorum amore aliquo ducamur, qui amor in spe ac timore se se prodit, sic numinis sui amorem præcipuum in religione locum obtinere vult. Est enim summum bonum, ideoque summopere amandus & καθ' αὐτόν. Nos neque summum bonum sumus, neque ad eius præstantiam accedimus, nisi interiecto infinito interuallo. Denique quod Caluini sententiam spem ac timorem tollere dicit, falsum est. Nempe duo sunt quæ spem timoremque faciunt: Propositio obiecti, quod boni vel mali futuri rationem habet; & veritas enuntiationis qua illud promittitur sub conditione, hoc itidem sub conditione denuntiatur. Proponi autem obiectum etiam reprobis, & Caluinus docet & experientia comprobat. Omnibus enim promiscue ista Christi verba prædicantur, *Qui credit, non veniet in iudicium: qui non credit, ira Dei manet super eo.* Verè autem vtrumque dici, ita vt, conditione præstitâ, euentus sit necessariò consecuturus, Caluinus vbique affirmauit. Certè verum esse vtrobique constat. Nam reprobi quia non crediderunt, pereunt. Electi quia crediderunt, seruantur. Et quemadmodum nouissimo die Christus condemnationem sic pronunciaturus est, *quia neque credidisti, neque peccati te pœnituit;* non autẽ *quia reprobus es,* addiceris pœnis æternis: sic absolutionẽ ac iustificationẽ est ita declaraturus, *quia credidisti & fidem operibus ostendisti,* non, *quia electus es,* seruaris. Id enim ipse Christus docuit Math. 25. cui vniuersa Scriptura Sacra concinit. Quando ergo vera propriaque ratio salutis conferendæ posita est in fide per quam Christum redemptorem amplexi sumus; contrà, exitij vera & propria causa, in incredulitate; supponamus (quod actu esse nequit, supponi tamen potest, quia non implicat contradictionem, docendi causa) electum non credidisse, credidisse reprobum, reprobus compos esset salutis illius quâ talis electus excideret. Quod Apostolus capite 8. Epist. ad Romanos docuit disertissimis verbis. *Si,* inquit, *secundum carnem vixeritis, moriemini: at si per spiritum acta corporis mortificetis, viuetis.* Etenim si electos alloquitur, mortẽ ijs denunciat, si viuant carni conuenienter. Si reprobos; vitã promittit, dummodo dent ex animo operam carnis mortificationi,

Si omnes indiſcriminatim nulla habita ratione vel electionis vel reprobationis; docet vniuerſalem illā propoſitionē eſſe verā, quicunque, etiā citra reſpectū ad diſcrimē quod arcana Dei voluntate inter homines conſtitutum eſt, pietati ſtudebit ex animo in Chriſto, viuet: contra, quicunque carni indulgebit, morietur. Quod ſi propoſitio illa vniuerſalis vera eſt, ad omnes & ſingulos homines illibata veritate poteſt applicari. Quando ergo arcana Dei voluntas quæ homines inter ſe diſcriminat, non aliter patefit quàm per ipſum euentum, adeò vt ij electos eſſe ſe ſentiant, qui reapſe credunt, reprobos verò quos incredulitatis & inuictæ impœnitentiæ conſcientia arguit, quid obſtat quominus quiſque & ſperet & metuat? Quid, inquam, eò quemquam adigere poteſt vt vel ſpem abijciat vel deponat metum, quando Deus ipſe in verbo ſuo teſtatur, nullo ſe diſcrimine habiturum *Tros Rutulusue fuat*, qui fidei pietatique operam veleſt vel non eſt ex animo nauaturus? Vtamur ſanè ſimili quod ad eam rē adhibuit egregius Dei ſeruus VVolfgāgus Muſculus. Venit in πολυχρόνιον medicus, & tanta artis peritia præditus vt nemini ſanitatem non reſtituat, qui modò ſe ſe præſcriptionibus præbeat obſequentem: & pariter ſapientia vſqueadeò præſtans, vt ipſum in tanto ægrorum numero nemo lateat, quin certè ſciat vtrùm præſcriptionibus ſit obtemperatus, an non. Nouit ergo alios futuros peruicaces atque proteruos, qui medicum habituri ſunt pro aliquo impudenti & imperito circulatore, atque adeò nonnullos ita inſaniturος vt pro venefico contumelijs inſectentur: alios verò præuidet ſe ſe præbituros magis morigeros & dociliores. Supprimit autem ille apud ſe ſuam iſtam admirabilem diuinandi ſcientiam: neque de quoquam pronuntiat, iſte docilis ille indocilis & immorigerus futurus eſt: Sat habet omnibus indiſcriminatim ſuam in arte peritiam modeſtè quidem, ſed fidenter tamen oſtentare, ſpem facere bonæ valetudinis indubitatam, mortem interminari pertinacibus, hortari, admonere, inuitare, nihil earum rerum omittere quæ pertinent ad hominum animos permouendos, ſi qua ratione poſſent omnes ab obſtinatione deduci, obſecro, nonne illis omnibus ex æquo ſpem & metum poſuit ante oculos? Quod certò præuidit quid futurum eſſet in euentu, effecitne quidquam quominus illi vel ſpe allici, vel metu deterreri aut potuerint aut debuerint? Planè hic ita ſe res habet: niſi quod Deus non ſolum præuidit electos credituros, ſed etiam decreuit id ſe in illis efficaciſſimè præſtiturum; quod ni facere decreuiſſet, futurum ſanè non præuidiſſet. At decretum de nonnullorum cordibus ſingulari beneficio emolliendis nihil omnino vel adijcit vel detrahit iſti diſpenſationi reſpectu re-

proborum. Non ideo minus erigi in spem eos oportuit, aut verò metu percelli. Nec aliter sanè Caluinus. Sic enim ille Commen. ad Deut. 30. 15. *Proposui tibi hodie vitam & mortem.* Dicit se posuisse ante eorum oculos vitam, & quidem coniunctam cum vera & plena felicitate : similiter mortem cum suis appendicibus. Nemo verò est qui natura duce vitam non appetat, qui mortem non refugiat. Exprobat itaque Moses plusquam amentes fore, si vltro se in omnes miserias conijciant. Interea significat se non iactare nudas & inanes voces, sed doctrinam suam armatam esse Dei potentia, vt quisquis eam amplexus fuerit salutem in ea reperiat: nemo verò spernat impune. Itaque non temerè promissiones & minas vocauit legis sanctiones, quia vt eius auctoritas apud nos firma sit, tam obedientiæ mercedem, quàm pœnam transgressionis in medium proponi necesse est. Quàm iniusta igitur & importuna est ista doctrinæ Caluini criminatio, fidem & pœnitentiam nihil ad salutem profuturam, incredulitatem & impœnitentiam nullum saluti periculum creare? Annon è contrario docet fidem esse vnicam ad salutem viam, aditum ad eandem salutem vna incredulitate præcludi? Annon quod nonnulli seruantur, id inde proxime prouenisse quòd credidêre, quod alij pereunt, causam eius rei esse in vna eorum incredulitate, vbique non tam dicit quam vociferatur? Hos quidem, auctore Caluino, Deus insito naturæ vitio permisit, vnde necessariò euenit vt obdurarent se se. Illos efficaciter vocauit, ex quo fides itidem necessariò secuta est. At id neutiquam pugnat cum iusta misericordique dispensatione quæ in verbo patefacta est. Et quia occultum illud Dei decretum non aliter, vt dixi, manifestum fit quàm per euentum, quemadmodum apud electos nullum momentum addidit ad vim hortationum & admonitionum, quarum opera initiò conuersi sunt, sic apud reprobos nihil de pondere promissionum & denuntiationum detrahere debuit. Scilicet vt in conuiuio nemo cogitat apud se decretumne fuerit in arcano Dei consilio vtrum sit manducaturus annon; si sapit, stomachum consulit, an famelicus, cibos intuetur, an grati sint, blandas conuiuatoris adhortationes audit, & consultat sibine sit illis respondendum ex aduerso atque morigerandum: ijsque demum meditatis secum atque perpensis, facit tandem quod ex vsu videtur. Sic in Euangelij prædicatione & fide Christi suscipienda vel reijcienda, nemo de arcana Dei voluntate solicitus est; vltro quisque in eam partem agitur, ad quam vel rapit salutis ac iustitiæ fames, vel anima prauis veluti humoribus imbuta nauseabunda detorquet.

Eodem modo refellitur quod addit Anonymus de pastorum concionibus, quasi nullo planè fructu à populo audirentur, Et primum quidem calumniam de fato supra reiecimus. Eius certè Caluinus & rem & nomen censuit è religione Christiana eliminandum. Sic enim præter ea quæ supra citauimus de re ipsa loquitur. Dogma ipsum Stoicorum falsò nobis ac malitiosè obijcitur. Non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie quæ in natura contineatur: sed Deum constituimus arbitrum ac moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab vltima æternitate decreuit quod facturus esset, & nunc sua potentia quod decreuit exequatur. Vnde eius prouidentia non cælum modo ac terram & creaturas inanimatas, sed hominum etiam consilia ac voluntates gubernari sic asserimus, vt ad destinatum ab ea scopum deducantur. Quam doctrinam mirum est homines Christianos veluti coniuratione facta arrodere voluisse. De verbo autem sic locutus est. Calumniantur esse Stoicorum dogma de Fato, qui huic doctrinæ inuidiam facere volunt: quod & exprobatum Augustino aliquando fuit. Nos etsi de verbis inuiti litigamus, Fati tamen vocabulum non recipimus, tum quia est ex eorum genere quorum profanas nouitates refugere nos Paulus docet, tum quia eius odio conantur grauare Dei veritatem. Nos ad ea quæ supra de Fato disputauimus nihil nunc addendum esse putamus. Istud tantùm habeat Anonymus. Quod in cælo ex Caluini sententia fixum esse dicit, id vel ad salutem ipsam & exitium pertinet; vel ad fidem aut indulgendam aut denegandam, quâ in re electionem ac reprobationem positam esse docuimus. Si prius illud intellexit, ( vt intellexisse videtur; id enim ista verba innuunt, *ne vnam quidem animam inferno designatam, omni suo conatu & labore è faucibus inferni pastor eripere potest.* ) repetere piget quod toties inculcauimus, nullius neque salutem neque perditionem esse fixam in Cælo, nisi ex ea hypothesi, quia crediturus est, quia minimè crediturus. Adhibeamus tamen, dilucidioris explicationis gratia, distinctionem aliquam, & rem primùm in se spectemus, deinde eam cum respectu ad certissimam Dei præscientiam intueamur. Ex eo enim ad quæstionem quam agitamus haud exigua lux accedere potest. Itaque si in rem ipsam intendamus oculos, nihil est in ea ita determinatum quin facile mutari posset, si reproborum ingenium immutaretur. Fac eos credere & statim videbis ex orci faucibus ereptos. Depelle eos ab animi pertinacia; suasionibus, precibus, hortationibus, minis perpelle eos tandem vt Christum ex animo amplectantur

Instit. lib. 1. c. 16. §. 8.

ſtantur, & videbis cœlo aſſertos & in ſpem indubitatam vindicatos immortalitatis. Eſt enim non fato quidem ſed certiſſima atque immotiſſima Dei voluntate conſtitutum, vt quicunque credit, mortem effugiat & vitam æternam conſequatur. At ſi in Deum ipſum animi cogitationem conuertamus, quia futurorum nihil eum latet, fixum quidem eſt atque immutabile quod de vnoquoque homine futurum eſt: at fixum eſt ex eadem illa hypotheſi, hic, quia crediturus eſt, ſernabitur; ille peribit in æternum, quia nihil certius eſt quam certum eſt fore vt gratiam meam contumaciter aſpernetur. Quod autem ita decretum eſt ex hypotheſi, nullam incredulis obdurandi ſe ſe neceſſitatem injicit. Non enim id ita certo futurum eſt, aſpernaturos eſſe reprobos Dei gratiam, quia Deus fore præuidit; ſed ideo fore præuidit quia certo futurum erat. Vti periti medici πρόγνωσις morbum lethalem non efficit: ſed quia per ſe lethalis eſt, talem eſſe ex arte προγινώσκει. Quod ſi ideo fatale dici debet, quia res aliter euenire non poteſt, (ſiquidem præſcientia Dei haudquaquam fallitur) quidquid Arminij diſcipuli in eo argumento ſtatuant, fatum in religionem Chriſtianam introducent. Nam negare non poſſunt futurum fuiſſe vt multi non crederent, quando id euincit experientia ipſa. Neque verò ſi Chriſtiani ſunt, poſſunt negare Deum ab æterno certiſſime præuidiſſe quod futurum erat. Neque inficiabuntur Dei præſcientiam hallucinationi non eſſe obnoxiam. Aut ergo ex eorum ipſorum ſententia multis fato conſtitutum eſt ab æterno vt pereant, aut eſt aliquid certiſſimè ac planè infallibiliter futurum quòd tamen non eſt aut Stoicum, aut Manichæum, aut quocunque alio modo fatale nominandum. Si poſterius intellexit, ſucceſſus prædicationis quid habet cum fato commune? Quemadmodum non euenit fataliter, ſed naturæ conuenienter vt oculus ſanus ac benè conſtitutus, apertus, & in obiectum intentus, id videat, ſi perinde conuenienter offeratur; ſic non fato ſed ſapientiæ diuinæ conuenientiſſimè euenit vt mens à Spiritu ſancto illuminata, Euangelij veritatem, præſtantiam, vtilitatem incomparabilem in prædicatione accommodatè propoſitam perſpiciat & amplectatur. Et quemadmodum qui deſtinatò claudit oculos ne lucem ſponte ſua incurrentem vſurpet, id fato nunquam imputauerit, ſed ſibi: ſic qui deliberata malitia Chriſti crucem irrident & ſalutem in ea oblatam repudiant, incredulitatem ſuam ſibi imputare debent, fato nequaquam. Aut ſi eorum incredulitas ideo fatalis dicenda eſt quia eſt ineuitabilis, quia ineuitabilitatis illius ipſi cauſa ſunt, ne conquerantur ſanè, nam ipſi ſibi ſua fata fixerunt.

Quod attinet ad verba Caluini quæ ex Instit. lib. 3. cap. 23. producuntur, aliorsum quàm debent à disputatore torquentur. Non fatetur ille doctrinam suam de reprobatione, siquis eam coram populo ad viuum depingat, ad impietatem & nequitiam fenestram aperire. Isti sunt Arminianæ rhetoricæ flosculi quibus viros sanctos, & siqui vnquã post memoriã Apostolorum, de Ecclesia Dei optimè meritos, homines, vt nihil grauius dicam, nimium sibi placentes, adspergere non verecundantur. Admonet tantummodo, idque ipsius Augustini verbis, doctrinam de electione & reprobatione non esse temerè & sine delectu effutiendam. Postquam enim sententiam suam multis
» Augustini testimonijs comprobauit, sic ait. Et tamen vt singulare studium ædificationis sancto viro fuit, sic docendi veri rationem temperat vt prudenter caueatur, quoad licet, offensio. Nam quæ verè dicuntur, congruenter simul posse dici admonet. Si quis ita plebem compellet, si non creditis, ideo fit quia iam diuinitus exitio destinati estis, is non modo ignauiam fouet, sed etiam indulget malitiæ. Siquis in futurum quoque tempus sententiam extendat, quod non sint credituri qui audiunt, quia reprobati sunt, imprecatio erit magis quàm doctrina. Quo quid dici potuit sapientius? Cùm fides ingeneranda est in mentibus hominum, quid præposterius esse potest quàm ad eam rem adhibere doctrinam quæ præcipuè pertinet ad minuendum scandalum ortum ex multorum incredulitate? At de eo supra fusiùs disputatum est. De Landgrauio nescio quo quod Anonymus narrat, leue est. Potest esse confictum ab hominibus qui quoniam nobis immeritò sane malè volunt, cupiunt etiam esse ab omnibus maledictum. At pone verum esse, quid frequentiùs in religione vsuuenit quàm vt ingenia perdita optima doctrina, sed perperam intellecta, ad perniciem suam abutantur? Nonne id iam olim suo tempore factum Petrus Apostolus memorat? Nonne Paulus ex eo quod hominum iustificationem in vna peccatorum remissione positam esse docuit, admonet Iudæos & eiusmodi alias læuas mentes occasionem arripuisse vel calumniandi Euangelium, vel habenas ad omne genus scelerum libidinumque laxandi? Itaque ad σκάνδαλον accedamus.

Hoc igitur sibi primum disputator obijcit, decreti absoluti assertores, multosque eorum sequaces viros esse probos. Cui respondet id ipsum illis accidere quod Epicuro & nonnullis Epicureis accidisse Cicero dixit, vt eorum vita cum dogmate non consentiret. Verùm exemplum disconuenit vt quod maximè. Primùm enim iam ostendimus doctrinam Caluini nullo modo pietatis studio nocere. At si quid est

est in animo humano generosi, id omne Epicuri dogmate infringi at-que mollescere, si qui sunt, vt loquitur Cicero, igniculi virtutis à natura inditi, philosophiam illam quæ tota est ad voluptates corporeas conquirendas & perfruendas comparata eos funditus extinguere, palam est. Deinde quos ille viros bonos & pietate præstantes appellat, ij non modo doctrinam Caluinianam firmiter retinent, verum etiam ad actiones ipsas reuocant & eâ se se ad pietatem vel præcipuè incitari & sentiunt & profitentur. Vt si illis hanc persuasionem eripias, quod credunt id se debere non gratiæ cuipiam vniuersali atque communi omnibus, sed peculiari prærogatiuæ: quod discrimen tanti momenti inter se & reliquos mortales vident atque persentiscunt, id prouenisse non ex arbitrio suo libero, sed ex singulari quadam efficacitate gratiæ Dei erga se: quod certissimam salutis obtinendæ spem animo conceptam habent vnà cum incredibili voluptate, id esse δῶρον ἀμεταμέλητον & electionis æternæ signaculum indubitatum; mirum quantum detractum putent de pondere argumentorum quibus ad veram pietatem & sanctimoniam inclinantur. Vt interim taceamus illos arbitrari de consolatione sua actum esse si sibimetipsis & arbitrio suo permittantur, neque spem perseuerantiæ suæ habeant in immoto Dei proposito fundatam. Consolationis autem labes sanctimoniæ ruinam haud dubiè secum trahere videtur. Quod igitur Epicurus modestè vixit, immodestè vero philosophatus est, mirum videri non debet. Doctrinam ipse suam in vitæ consilium non adhibebat. At eorum quibus veræ pietatis laudem non denegat Anonymus, si doctrina ducit ad pietatis contemptum, omnem admirationem superat, quãdoquidem ex eadem ipsa doctrina desumunt eas argumentorum & cogitationum faces quibus ad religionis studium & virtutis amorem cum primis incenduntur. De Tileno, deque famoso eius libello, verbum non addam. Nouit Christianus orbis qui vir esset, & qua mentis ac linguæ intemperantia quamcunque rem cepisset exagitandam, nec meum est cum laruis luctari. Reperit dum viueret qui eius impotentem animum & aduersus doctrinam Ecclesiarum nostrarum de Gratiæ spiritus efficacitate in electorum vocatione penè bacchantem, reprimeret ita & contunderet, vt rationum vi ac pondere obrutus atque debilitatus, cùm cedere veritati nesciret, respondere autem non posset, ringeret tantùm ac propemodum rumperetur.

Obijcit sibi secundo loco Anonymus, patronos istius doctrinæ profiteri se non docere quinam electi aut quinam reprobi sint: se e

ctorum esse bonis operibus electionis suæ cognitionem comparare, vnde pietas foueri potius quàm extingui possit. Obiectioni verò sic respondet. Primò ait neminem esse qui non ex eo potius occasionem viuendi liberiùs arripiat. Deinde affirmat inquisitionem illam electionis & coniecturam ex bonis operibus captam, neque certam & exploratam cognitionem gignere, neque quidquam in absoluto decreto de omnium hominum exitu immutare valere, At prius illud iam refutatum est. Quis enim ex Caluini doctrina, vt est à nobis superius explicata, sic apud se ratiocinabitur, sibi vel absolutè electo, vel absolutè reprobato pietatis studio opus non esse? Vsquam ne docuit ille quemquam vel ita electum & prædestinatum esse ad vitam æternam, vt ei fidem & pœnitentiam omittere liceat; vel reprobatum ita vt neque fides neque pœnitentia quidquam ad salutem illi prodesse possit? Istud contra voluit, omnes omnino mortales quibus Euangelium annunciatur apud se certo statuere debere, tantam esse in Deo misericordiam, tantam in Christi cruce propitiationis faciendæ vim, vt nemo qui eò confugiat id frustra tentet aut repulsam patiatur. Hoc omnium auribus millies inculcauit, adeò rigidam esse atque inflexibilem in Deo iustitiam, vt mortalium nemo quicunque tandem ille sit, pœnas æternas sit effugiturus, qui Christum vera fide non sit amplexus, quique veritatem ac sinceritatem fidei suæ in odio peccati non ostenderit. Quam sententiam qui pietati aduersariam esse dicunt, vel odio perturbati vident quod non est, vel dedita opera satagunt inuidiam veritati conciliare. Posterius haud magis vrget. Decreti absoluti assertores, inquit, vnanimi consensu tradunt non aliunde cuiquam electionem suam innotescere posse quam ex eius effectis, quæ præsertim in animi sanctitate consistunt. Hactenus non malè. Nam qui sanctimoniam animi inter electionis effecta præcipuo loco ponit, fidem non excludit ideo, neque pacem & consolationem, aut reliquas virtutes Christianas. At enim cognitio illa nonnisi obscura admodum & incerta esse potest, quæque facile amittatur. Equidem qui sit istius libelli auctor, nescio: nec si sciam quidquam velim de eo sinistrè iudicare. Verumtamen cum electionis notas in fide & sanctitate collocemus, satis mirari non possum ab eo pronuntiatum esse, cognitionem ex inspectione characterum istorum ortam, non esse nisi obscuram admodum & incertam Nam si negat ex eo quod alij credunt & bonis operibus dant operam ex animo, alij verò à peccato minimè reuocantur, demonstrari posse vllum esse absolutum electionis & reprobationis decre-

tum, præposterè agit. Putamus enim certè quidem in tanta conditionis & corruptionis omnium hominum paritate, satis manifestum esse tantum discrimen ex cuiusquam arbitrio libero proficisci non potuisse, multo verò minus extitisse forte fortuna. Ex quo facile intelligitur causam discriminis esse in vno Deo. Vnde illa Apostoli verba, quæ homines ad sensum conscientiæ prouocant, *Quis te discernit?* At in illis tamen quæ nobis attribuit Anonymus doctrinæ nostræ de absoluto decreto probationem & demonstrationem non instituimus. Respondemus tantùm, & refellimus argumenta quibus illius similes nos aggredi consueuerunt. Si hoc sibi voluit, neminem suæ fidei suæque sanctimoniæ certam notitiam habere posse, potuitne vox illa emitti ab eo qui sciat quid sit esse Christianum? Pontificij nonnulli sic disputare solent vt asserant nulli fidem suam perspectam esse posse. quod minus mirum in ijs videri debet, inter quos religio Christiana penè sepulta est. Illos verò qui se se profitentur religionem reformatam amplexos esse, quique adeò credi volunt puriorem quandam & defæcatiorem doctrinam in Ecclesiam inuexisse & pietatem ab errore vindicasse singularem in modum, quis talia fari putaret? Non ergo qui Euangelij veritatem agnoscit & admiratur, non qui ad Dei misericordiam confugit cum fiducia & Christum ardet, non qui mundo valedixit & cum peccati reliquijs assiduè belligeratur, non qui redemptoris sanguine irrigatus & sensu remissionis peccatorum perfusus conscientiam antea diris vexatam formidinibus pacatam habet, certo scire potest se in Christum credidisse? Cur autem Apostolus tam sæpe nos iuberet in nosmetipsos descendere atque scrutari & explorare diligenter an simus in fide, si putaret incassum omnem istiusmodi suscipi laborem? Siquis igitur examen illud conscientiæ suæ instituat ex Apostoli præscripto, ille vel in se reperiet ingentem & memorabilem fidem cum pari vitæ sanctimonia coniunctam: vel fidem mediocrem, &, quod consentaneum est, sanctitatem proportione respondentem; vel omnino neutrius vlla vir- "
tutis istius vestigia. Ingens si fides occurrit examinanti, habebit ille in "
ea hauddubiè electionis suæ argumentum pariter magnum. At ob- "
secro, hoccine fieri posset vt cognita in se magna fide occasionem inde arriperet viuendi licentiùs? Aliter sanè Apostolus iudicauit, qui se 2. Cor.
Christi charitate constringi profitetur, eo quod sciat Christum pro 5.14.
se esse mortuum; quique negat vllius rei tantam esse posse vim vt ipsum à dilectione Christi separet & abducat, eo quod persuasum habet se esse à Deo præcognitum ab æterno atque prædestinatū. Quan- Rom 8.27.28

to clarius Christum in cruce primùm pendentem deinde resurgentem è sepulchro videmus, quanto certius scimus id nos videre, tanto vehementius nos afficit immensa illa & incomprehensibilis charitas cuius inductu se se pro nobis obtulit tam horribiliter puniendum. Pariter quanto pluribus & euidentioribus argumentis cognoscimus Deum esse nostri singulari ratione misertum, cum ipsi libuerit magnam hominum partem prӕterire atque indurare, tanto acriùs sensus istius incredibilis beneuolentiӕ nos ad pietatem extimulat & ad virtutem accendit. Quid si mediocrem tantum in se fidem quisque reperiat? quid futurum est postea? Certè fatemur quo leuiora sunt in nobis signa fidei nostrӕ, eo consolationem itidem esse tenuiorem. Hӕc enim ex illa prodit atque procreatur. At nonne eum insanum esse oporteret qui in eo statu constitutus, ex Caluini doctrina rationes suas ita subduceret ad viuendum? Nondum fides mea longè prouecta est, nondum se se in meum pectus ex animi sententia penitus infixit, nondum peccatum in me plagas accepit aut lethales aut maximè memorabiles. Cӕterum Deus gratiӕ suӕ contemptoribus, & ijs qui peccato suauiter indormiscũt atque indulgent, horribilem quandam vindictam denunciauit. Contra vero spopondit se fore misericordem, si quem tӕdeat propriӕ imbecillitatis, & quӕ est eius infinita placabilitas & clementia, negauit se confracturum calamum iam quassatum, aut extincturum flammam exiguam ac tenuiter fumigantem: vltro dicit se se occursurum in eorum amplexus qui pœnitentia ducti ad meliorem vitam se conuertere nituntur. Ergo mihi satius est laxare fibulam ad nequitiam, & omnem numinis reuerentiam, omnem recti atque honesti studium ex animo penitus expellere. Censen' talem hominem, tam peruerse ratiocinantem, argumentis, an fustibus, an helleboro ad meliorem mentem esse reducendum? Aliter Caluinus doctrinam suam acceptum iri sperauit. Sic enim loquitur Comment. ad Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis.*
» Notanda est generalis particula: ideo enim sine exceptione complexus est Christus, quicunque laborant & onerati sunt, nequis praua dubitatione viam sibi prӕcludat. Et Matth. 12. 20. *Non contendet.* Sibi quisque nostrum fragilitatis suӕ conscius est hinc reputare conuenit quantopere omnibus expediat indulgenter à Christo foueri Non loquor de incredulis qui omnis spiritus gratiӕ prorsus adhuc vacui sunt: qui iam vocati sunt à Domino, donec plenius in illis lumen accendat, & solidum robur suppeditet. Annon omnes semifractӕ arundini & ellychnio fumiganti similes sunt? Quod ergo ita se Christus

nostræ infirmitati attemperat immensam eius bonitatem exosculari „
discamus. Interea tamen nemo sibi in vitijs blandiatur : sed pro se „
quisque in melius proficere studeat. &c. sic. Matth. 7. 8. & alibi pas- „
sim. Quod si denique nullam in se fidem reperiat qui pectus suum excutit, ( quamquam qui planè nullam vim Spiritus Christi sensit, vix ac ne vix quidem induxerit in animum vt exploret an crediderit) de eo iam supra disputauimus & res per se clara est. Nam quod attinet ad Tiberium, & artes Mathematicas, & persuasionem illam omnia fato agi, istud à me iam sæpius refutatum est, quam vt expendi nunc aut refelli mereatur. Obijcit denique sibi tertio disputator, absoluti decreti defensores dicere se omnes ad bona opera hortari &c. Cui rei idem respōdet quod antea de Epicuro. Nos verò eorum quibus cauillatiunculam illam reiecimus, putamus lectorem esse memorem. Hoc vnum addimus, eosdem illos quorum sententiam Anonymus impugnat, hanc etiam doctrinam omni ope defendere ac penitus animis imbibisse, Deum pro summa sua sapientia non in religionis negotio tantùm, sed in cunctis alijs & præuidisse certò & sapientissimè dispensasse rerum humanarum euentus, quos omnes arcanæ suæ voluntati subiacere voluit. Veruntamen quia sciunt eum esse in rebus ordinem constitutum, vt alimenta ad vitam sustinendam, medicamenta ad morbos depellendos, prudentia ad pericula declinanda, labor & industria ad scientias & diuitias legitimè comparandas vim & efficacitatem habeant, si quid istiusmodi faciendum se se offerat, horum nihil planè quidquam negligunt, de eo quod in occulto suo consilio Deus ab æterno decreuerit hactenus non admodum solliciti. Non quod tum dogma suum de prouidentia Dei obliuiscantur; quod Epicurum facere oportuit siquando ei libuit seriò & ad virtutem verè philosophari. Id enim semel animo complexi nunquam à se amittunt ; ac tum cùm maximè in opere versantur certissime sciunt nihil prorsus euenturum esse quod non sit à Deo ex omni æternitate constitutum. Sed quicquid Deus in sanctiori consilio secretò definiuerit, id non arbitrantur eò pertinere vt ad eius normam actiones humanæ componantur. Si incepta ex animi sententia succedunt, tum Deo cum actione gratiarum attribuunt quod hanc vel illam mentem indiderit, quòd eo impulerit inde reuocauerit, quod hæc & illa ad cogitata perficienda suppeditauerit, quod rei totius euentum sua secundauerit benedictione denique, ad eius gloriam, vti par est, quidquid in eo benè & laudabiliter gestum est atque susceptum, grata mente conferentes. Sin minus, sat habent, vt cunque res post


officium præstitum accidit; in voluntate Dei submissè acquiescere; atque eo se se consolantur & dolorem mitigant infelicis euentus, quod non temerè, non absurdè, non inconsultò & inconsideratè, sed via atque ratione processerint. Nec vllus eorum vsque adhuc inuentus est, quem persuasio de prouidentia Dei à rebus prudenter agundis & administrandis auocaret. Quod ergo non faciunt in reliquis vitæ partibus, cur id in religione designarent? Cùm præsertim id perspectum habeant, quamlibet magnam industriam, vigilantiam, & accurationem adferas in administratione rerum humanarum, sæpe accidere tamen vt spes nos fallant, Dei prouidentia rerum euentus interuertente. At in religione neque vnquam factum est, neque vero fieri potest, vt qui in Christum credit salute excidat, & vt loquitur Apostolus, à spe sua confundatur. Quod vt multo certiorem spem facit, sic etiam vehementiùs atque constantiùs ad insistendam salutis viam animos inclinat & appellit.

Non ignoramus esse nonnullos in quorum mentes hæc nonnunquam cogitatio incidit. Quid si Deus nolit mihi indulgere fidem? Quid si ab æterno constituerit eam mihi denegare gratiam quæ sola potest voluntatem meam inflectere ad credendum? Quid mihi proderit illud velle & conari, quandoquidem situm non est in mea potestate? Aut quomodo id volam & conabor, quandoquidem ipsum velle atque conari non potest esse nisi à Dei Spiritu? Quæ res vt est sapientibus ingenijs indigna, sic etiam multimodis facillimè resoluitur. Primùm enim nulla potest esse in eo argumento sententia quæ eodem incommodo non prematur, si incommodum illud est. Finge, quod voluit Arminius, per illuminationem intellectus omnium voluntates semel aliquando constitui in æquilibrio, postquam tamen aliquis gratiæ illi pertinaciter restitit, atque idcirco à Deo planè desertus atque induratus est, (sic enim explicauit ille quid sit indurari) non amplius illuminatur. Quippe meritus est vt ab eo Deus vim Spiritus sui, qualiscunque sit, retraheret. In eo autem in quo cessauit illuminatio, voluntas non est amplius in æquilibrio, sed determinata ad incredulitatem. Fac ergo induratum ad credendum & resipiscendum inuitari, quod quotidie accidit: (nam sanè prædicatio dirigitur indiscriminatim ad omnes, nec discernit inter induratos & non induratos) quidni ille sic etiam apud se cogitabit? Quid iste prædicator me alloquitur, quandoquidem Deus me non vult amplius illuminare? Aut quid ille conatur voluntatem meam emollire quam ipse Deus indurauit? Quid mihi proderit eniti atque contendere? Quid quod ne

ne eniti quidem atque contendere possum nisi ex præuia quadam illuminatione quam Deus mihi denegare constituit? Quis potest resistere Dei voluntati? Addam aliquid amplius. Finge & mentem manere illuminatam, & voluntatem pendere ac fluctuare in æquilibrio, 2.
non sic tamen erit ratio credendi ac resipiscendi magis expedita. Fatentur enim illi certè si sunt Christiani, Deum præuidisse de vnoquoque illuminato quid sit futurum, sit ne rectè vel secus oblatâ gratia & illuminatione Spiritus vsurus: nec affirmare audent Dei præscientiam falli posse. Quidni igitur illuminatus sic apud se ratiocinabitur, Quo pacto credere possim, si Deus præuidit me non esse crediturum, Dei autem præscientia falli nequit? Quid proderit, si ita se rem habituram esse prospexit, memetipsum impellere atque excitare & voluntatem in eam partem inflectere in quam certum est eam non inflexum iri? Huc accedit quod non in eo argumento tantùm, sed in omni alia re eadem difficultate implicabimur, ne ad quidquam agendum aut suscipiendum animum applicemus. Nam certè rerum omnium euentus ita gubernantur à Prouidentia, vt nisi illa adspirauerit, nil omnino perfici possit. Vnde illa Iacobi verba; Iacob. 4. 15.
ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσωμεν καὶ ποιήσωμεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. Impedi ergo animum tuum ista cogitatione, quid si Deus id nolit? Quid si vitam & vires ad agendum non suppeditauerit, quid attinet me mouere nihil omnino promoturum? Eritne aliquid à quo te scrupulus ille non deterreat? At ne animum quidem ipsum sic instituemus ad rem vllam cogitandam. Quemadmodum enim in Deo *viuimus & mouemur & sumus*, sic etiam in eo & sentimus, & intelligimus & meditamur. Act. 17. 28.
Compone te igitur ad cogitandum, interueniat autem subito visum illud ineptum & importunum, quod menti paulo pertinaciùs adhærescat, Qui sciam an apud Deum constitutum sit fore vt mediter necne? Quid si deserat me vel vita vel vis intelligendi? Quid si mihi mens ex inopinato obstupescat? Quid si prouidentia Dei nunc intercurrat, quæ cogitationem vel auertat, vel obruat? Quanta, obsecro, inde exoritura est rerum & rationum in vita humana conturbatio? qui torpor animorum? qui stupor, & socordia, & in omni genere cessatio? Velim autem eos qui sic loquuntur interrogatos vtrum credere cupiant annon? Nam si susque deque habent Euangelio credere, indigni sunt quibuscum instituatur ea de re ratiocinatio. Etenim ad eum qui patrem neque amat neque verò vult amare, atque in eo animum obfirmat, quia id non est situm in sua potestate, & pendet ex vna Dei gratia quam non indulget nisi pro arbitratu, non

censeo Theologum adhibendum esse qui rationibus agat, sed tortorem & carnificem qui acrioribus remedijs mentem vsqueadeò proteruam redigat ad meliora. Si cupiunt illi credere, aut, vt à me supra obseruatum est, iam crediderunt, aut in eo sunt vt statim credant, & iam senserunt vim spiritus de qua sensuri-ne essent illam antea dubitabant. Sic igitur negotium ipsi sibi facessunt inutiliter, & vt in ijs initium ac veluti gratiæ rudimentum peculiaris cuiusdam Dei amoris argumentum est, sic ad pleniorem fidem obtinendam incitamentum esse debet. Summa igitur disputationis huc redit, duplicis illius modi considerandæ voluntatis diuinæ, vt hîc præcipiat officium, illic decernat ac moderetur quod est futurum in euentu, vsum esse varium in negotio pietatis. Nam voluntas quæ præcipit, impellit ad agendum vt obiectum; altera impellit quidem, sed vt id quod emendat aut potius funditus immutat facultatem, ad obiectum alioqui cæcutientem planè atque stupentem. Obiecti autem ea est ratio vt facultatem moueat & eliciat ad agendum, argumentis ductis ab honesto, & vtili, & iucundo, & si quid est istiusmodi quod aliquam speciem τὸ ἀγαθὸν præ se ferat. Eius verò quod facultatem corrigit actio longè diuersa est, quippe quæ modo quodam neque morali, (nam non adhibet sic per se consideratum argumenta,) neque Physico, (nam spiritus est extra omnem Naturæ ambitum,) sed prorsus incomprehenso etsi potentissimo atque efficacissimo, mentem liberat ab illis impedimentis quæ prohibebant quominus obiectum in facultatem admitteretur. Facultatis igitur, hoc est, mentis ipsius duplex est operatio. Vna directa quæ tendit in obiectum: altera, vt ita dicam reflexa, quæ se se in vim illam retorquet, qua factum est vt obiectum apprehendere posset. Quæ duæ operationes vt sunt natura diuersæ, sic habent varia exercendi se se tempora atque momenta. Et in priore illa quidem quemadmodum in obiecti propositione nulla virtutis illius quæ facultatem præparat, mentio est, sic de ea nulla tum cogitatio suscipi debet. Vt, inquam, nemo sic ad fidem inuitat, Crede, Deus enim decreuit ab æterno vtrum crediturus esses necne, sed, Crede in Christum, quia seruator est generis humani: Sic cùm facultas in eo versatur vt obiectum apprehendat, omnino cogitare non debet an decretum sit ab æterno necne fore vt credat in redemptorem. In vnum Christum est intuendum, in eum omnes animi vires sunt intendendæ, obiectum illud quod proponitur ad credendum, ab omni parte circumspiciendum est, quam verum sit, quam vtile, quam necessarium, quantæ voluptatis quàm incredibilis lætitiæ & mirabilitatis plenum, quam vndequaque

dequaque diuinum denique, vt immensam illam vim misericordiæ quæ in eo patefacta est, agnoscas & complectaris. Nec te absterrere debet impotentiæ tuæ cogitatio. Nam si te hortaretur quidem concionator vt vel fluminis cursum auerteres, vel maris æstum sisteres, vel ventorum tumultuantium impetum retineres ac refrænares, liceret istud causari, non possum: quid connitar? quid rem planè impossibilem ridiculè tentabo? At cùm nihil aliud à te petat quàm vt mentem ad Euangelium adhibeas, quàm vt assensum accommodes ad rem & per se longè verissimam, & certissimis atque euidentissimis argumentis nitentem, denique, vt liberationem ab æterna morte, & spem immortalis beatitudinis non contemnas, potes-ne impotentiam tuam obtendere quin pariter malitiam & furorem animi incredibilem obtendas? At postquam in Christum credidisti, tum mentis acies in semetipsam reflectenda est, tum demum de virtute diuina deque æterno Dei consilio cogitandum, vt & agnoscas Deum vnum esse qui animum tuum ab omni bono auersum ad Christum applicare potuerit, & inde sumas indubitatum argumentum æternæ tuæ electionis, quando nihil in tempore fit à Deo quod non sit ab eo ex omni æternitate constitutum. Planè vt in omnibus alijs rebus haud inquiris aut exploras vtrum Deus ad eas incipiendas sit tibi vires suppeditaturus, necne, consultas tantùm quid ex vsu sit, ac demum re confectâ Deo gratias agis qui ad eam conficiendam vires animumque suffecerit.



# CAPVT XI.

## *Caluini doctrinam ad desperationem non adigere.*

HIC est extremus isque immoderatissimus disputatoris impetus, hic ictus quem doctrinæ Caluinianæ fore fatalem existimauit. *Doctrina illa*, inquit, *homines ad desperationem adigere videtur. I. enim in tentationes grauissimas homines inijcit; ei enim qui absolutum Dei decretum credit, nimis facile persuaderi poterit Diabolus se in numero reproborum esse: quia multo plures sunt reprobi quàm electi, secundum illos.* Nulla tentatione, *inquit Caluinus*, vel grauius, vel periculosius fideles percellit Satanas. Rarissimus

est, *inquit ille*, cuius animus non interdum hac cogitatione feriatur. Vnde tibi salus, nisi ex Dei electione? Electionis autem quæ tibi reuelatio? quæ si apud quenquam semel inualuit, aut diris tormentis miserum perpetuò excruciat, aut reddit penitus attonitum. *Et paulo post*, Ergo si naufragium timemus, sollicitè cauendum est ab eo scopulo, in quem nunquam sine exitio impingitur.

*Quàm vero periculosa sit hac tentatio, exemplo sit quidã Petrus Ilosuanus in Hungaria, qui cum se suspensurus esset, in musao suo scriptum reliquit, se idem cum Caluino de reprobatione sensisse, nempe non agi cum hominibus secundùm bona aut mala opera, sed esse occultiores quasdam causas conditionum humanarum, seque vas esse formatũ in ignominiam, ideoque etiamsi non ita nequiter vixisset, tamen seruari non potuisse; istasque terribiles ira diuina apprehensiones cum sustinere amplius non posset, suspendio voluntario vitam suam finiuisse.* Discedo igitur, *inquit ille vt scribit Georgius Major in* 11. *Timoth.* 11.) ad lacus infernales æternum dedecus patriæ meæ. Deo vos commendo cuius misericordia mihi negata est. *Constat igitur hanc doctrinam homines in tentationes periculosas inducere posse.*

*II. Quos in tentationem inducit, in tentatione etiam relinquit. Tentatum enim incapacem reddit consolationis acccipienda, & consolatorem incapacem reddit consolationis ministranda. Quod facilè apparebit, si doctrina hac ad praxin reuocetur. Fundamentum enim, vt docet Tilenus in libro prius laudato, omnis solida consolationis hoc est, quod Christus morte sua iustitia diuina pro toto genere humano satisfecerit, ex cuius satisfactionis virtute effectum est, vt omnis qui credit in Christum non pereat, sed habeat vitam aternam. Quem vero locum habere potest hac consolatio in illo qui absoluto Dei decreto maximam hominum partem reiectam putet? Quidni enim obijciat tentatus, Vnde sciam me in numero paucorum illorum esse qui saluandi sunt? Consolatori verò quarenti, nunquamne aliquam in se fidei operationem senserit, dicentique fidem illam adhuc in eo vigere & inesse, etsi forte abesse videatur, quia fides nunquam amitti potest; si iam responderit tentatus à Caluino doctus instit. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 10. Tales non dubitamus quodam gustu affectos ipsum auidè arripere, & diuinam eius virtutem persentiscere; Vt fallaci fidei simulatione non hominum modo oculis imponant, sed suis ipsorum animis. Tot vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi obtectum est, vt seipsum sæpe fallat. *Quid iam consolator habeat, quod obiectioni hominis tentati opponat, non video. Quantò melius adflicto & tentato de salute*

*sua desperanti consulit, qui vniuersalem ei gratiæ promissionem & satisfactionem Christi & longè latéque vsque ad omnes patentem amorem Dei inculcat? In hoc tentationis agone, hæc arx sola ad quam tutò confugiamus, hæc vera & sola tentationis expugnandæ ratio est. Illa verò de absoluto decreto sententia hac consolandi ratione hominem omnino spoliat, hæc ei arma, hæc ei loricam extorquet, nudumque planè afflictum hominem, diuinis armis exutum & spoliatum diabolo exponit. Quæ tandem afflictos in Caluini hac de Dei decreto sententia innutritos, consolandi rationes suppetunt consolatori hanc de absoluto decreto doctrinam profitenti? Quæ inquam alia ei restat, nisi misera illa consolatio vt afflictus nempe exploret se ipsum, an peccatorum suorum sensu afficiatur, & onere prematur, desiderioque liberationis per Christum teneatur? Quod si inuenerit, se electum esse certò confidat scilicet. Misera vero hæc est consolatio; nec audet consolator, qui doctrinam illam rigidam profitetur, si forte iuramentum ab eo afflictus exegerit, non audet, inquam, juratus dicere istum sensum peccati, & desiderium liberationis certum & indubitatum electionis argumentum esse, cùm & illa etiam reprobis competere posse non ignoret. Doctrina igitur illa non consolationi afflictorum fauere, sed potius desperationi inseruire videtur.*

*Cùm igitur doctrina illa de absoluto reprobationis decreto antiquitati repugnet, & infamiam & odium defensoribus suis accersat, & fatalem quandam necessitatem Stoicâ & Manichæâ illa grauiorem inducat, & Scripturæ diuinæ testimoniis, & naturæ diuinæ attributis, Dei nempe sanctitati, misericordiæ, iustitiæ, & veritati repugnet, & à pietatis christianæ praxi omnino aliena sit, & desperationem in adflictis facilè pariat; meritò ille qui fidem suam & intellectum Synodo Dordrechtanæ non plenè mancipauerit, de veritate eius dubitare possit.*

Age ergo, videamus an ingens ille conatus in vanum recidat. Et ad prius illud quod attinet, vndecunque Caluini verba desumpta sint, (locum enim disputator non notauit) verum dicunt. Nam & interdum Satanas fidelium mentes hac tentatione aggreditur, & sic in eorum animos acerrimas & periculosissimas formidines inijcit. Nec id nobis negandum est, quod exemplis non admodum infrequentibus confirmatur. At quæritur vndenam id propriè accidat, vtrum ab ipso doctrinæ ingenio, an verò ab infirmitate carnis & Diaboli vafritie. Siquidem idem ille Caluinus Comment. in hæc Apostoli verba, *Quid ergo dicemus! Manebimusne in peccato &c.* ita loquitur. Vltra progreditur Apostolus obijciens tunc videri gratiæ dari locum, si homines in peccato defixi iaceant. Scimus enim nihil ma-

„ gis esse procliue quam vt sibi caro quouis prætextu indulgeat: de-
„ inde calumnias omnes excogitat Satan, quibus gratiæ doctrinam in-
„ famet: quod ei non ita difficile est. Nam cùm humano sensui παραδο-
„ ξότατον sit quidquid de Christo prædicatur, nihil nouum videri de-
„ bet si audita fidei iustificatione, caro toties tanquam ad diuersos
„ scopulos impingit. Siquando igitur, quod non ita raró vsuuenit, doctrina de Gratia diabolus abutitur, vt animos nostros ad peccandum incitet, ideone statim illa vituperanda erit? Equidem mirum nunquam esse iudicabo Satanam, callidissimum veteratorem, doctrinam de electione quæ ad consolationem animarum vel præcipuè comparata est, niti conuertere in desperationis materiam, quando eum non pudet doctrinam de gratia Christi, quæ sola nos vindicat à peccato, ad peccati regnum constabiliendum adhibere. Id autem ab ingenio doctrinæ ipsius proficisci, neque Caluinus concesserit, neque veritas ipsa patietur. Et de Caluino quidem res est clara, qui solet haud exiguum consolationis nostræ firmamentum in doctrina de electione collocare. Nec id vsquam fecit disertiùs aut luculentiùs quam in Commentario ad diuinissimum Apostoli locum qui habetur extremo capite 8. ad Romanos. De rei ipsius veritate disputator ita habeto. Eiusmodi tentatione non solet diabolus eorum vexare conscientias qui nullam adhuc gratiæ Christi vim, nullam Spiritus ipsius efficacitatem senserunt. Hoc telo adoritur quos scit gratiæ Dei non esse penitus expertes. Illi igitur dum in eo agone versantur, vel conjiciunt oculos in voluntatem Dei reuelatam, per quam misericordia Dei in Christi cruce patefacta est: vel se se conuertunt ad arcanum quod de se factum esse putant decretum contemplandum. Fac igitur eos in Christi crucem oculos intendere, quid in ea vident quod ex Caluini sententia terreat? Quid æstuant? Quid sunt anxij? Putantne sibi pertimescendũ esse ne Christi mors expiandis peccatis sufficiat? At filius ille est Dei vnigenitus, cuius sanguis non vnius mundi modò, sed plurium reatum penitus abolere valeret. Dubitantne propitiationem istam ad se pertinere? Omnibus, inquit Caluinus, exposita est; neminem ad se accedentem clementissimus Deus & summè misericors vel repulit vel repellet vnquam. Verum expedit eum audire loquentem. Sic igitur ait in Ioan. 7. 37. *Stetit Iesus &*
„ *clamauit dicens, Si quis sitit* &c. Nobis tamen hoc ipsum valde vtile
„ est, quod Euangelista Christum pleno ore clamantem inducit, vt ad
„ se veniant quicunque sitiunt. Nam hinc colligimus non vnum aut
„ alterum tenui & obscuro susurro inuitari, sed ita omnibus promul-

gari

gari hanc doctrinam vt neminem lateat, nisi qui vltro aures obturans, „
altum & sonorum clamorem non admittit. Hortatur autem ad bono- „
rum suorum participationem, modò propriæ inopiæ sibi conscij iu- „
uari cupiant. Enimvero doceretne Caluinus quemquam eorum qui „
peccati sensu premuntur, & in Deo sibi quærunt solatium expecta- „
tione sua frustratum iri, qui tam sæpe dixit rebelles ipsos atque con- „
tumaces quotidianis inuitationibus ad pœnitentiam ab ipso prouo- „
cari? Sic enim loquitur in Esaiæ cap. 65. vers. 2. *Expandi quotidie* „
*manus meas ad populum rebellem.* Accusat Iudæos atque de ipsorum „
ingratitudine & contumacia queritur, atque exprobrat quod frustra „
expanderit manus suas vt eos adduceret sibique adiungeret. Nam „
per expansionem manuum significat quotidianam inuitationem. Va- „
riè autem extendit ad nos manus Dominus. Nam aut re aut verbo „
nos ad se allicit. Hoc loco præcipuè ad verbum referri debet. Nun- „
quam loquitur nobiscum Dominus quin simul manum porrigat, vt „
nos sibi coniungat eumque vicissim nobis propinquum esse sentia- „
mus. Imo nos amplectitur, paternamque sollicitudinem ostendit, vt „
nostræ tantummodo culpæ imputandum sit, nisi inuitanti pareamus. „
Crimen etiam non parum exaggerat assiduitas ipsa, quod Deus longa „
ætatum serie non destiterit prophetas alios alijs submittere: imò, vt a- „
libi dicit, manè surrexerit, & prosecutus sit eandem curam vsque ad „
vesperum. Testatur ergo Dominus per se non stetisse quominus po- „
pulum retineret, solitoque fauore prosequeretur. Quibus gemina
sunt, nisi quod paulo magis diserta quæ scripsit in Rom. 10. 21. vbi
eadem illa Prophetæ verba ab Apostolo memorantur. Dicit se ad Is-
raelem manus expandere, quem & verbo assiduè ad se inuitabat, & „
omni benignitatis genere allicere non cessabat. His enim duobus „
modis vtitur ad homines vocandos: quandoquidem sic beneuolen- „
tiam illis suam demonstrat. Præcipuè tamen de contemptu doctrinæ „
conquestus est, qui eo magis detestabilis est, quo insignius paternam „
sollicitudinem egerit Deus verbo ad se homines inuitans. Ac valde „
emphatica locutio est, eum manus expandere, quia salutem nostram „
per verbi sui ministros procurans, non secus manus nobis porrigit „
quàm si pater filium gremio blandè excipere paratus, brachia etiam „
extenderet. *Quotidie* autem dicit, ne cui mirum videatur, si defatiga- „
tus sit illis benefaciendo, quum ipsa assiduitate nihil proficeret. Legi
possunt planè similia. Comment. ad Ierem. 7. 13. & 11. 7 & 35. 14. Ve-
rùm ad alteram propositi partem se se transferat oratio. Ponamus
fideles in agone laborantes se se cõuertere ad arcanum Dei decretum

cōſiderandum. Quid item in eo occurret ex Caluini ſententia quod perterre facere debeat? Cùm enim vis illa Spiritus per quam credimus ab electionis propoſito deſcendat, qui ſenſu peccati tangitur, qui ſuſpirat, qui ad Dei miſericordiam & placabilitatem anhelat, is iam incipit in ſe videre non obſcura electionis ſuæ argumenta. Horum enim certè nihil quidquam habet à ſe: omnia illa ex aliqua ſpiritus efficacitate manarunt. Vnde facile eſt ſic apud ſe rem putare atque ratiocinari. Amauit me Deus præcipuo quodam amore, quando me dignatus eſt communione ſui Spiritus, quam tot mortalibus denegauit. Quod ſi me peccatis meis obrutum atque ſepultum, & nihil prorſus de ſe animo cogitantem ita præuenit, quidni ſperem fore vt precibus meis laceſſitus ac prouocatus, vberiore gratia me liberaliter impertiat, & magis ac magis ſenſu dilectionis ſuæ perfundat,? Quæ res precandi affectum mirum in modum incendit. Quod ſi aduerſarius obijciat fidelem oculis in propriam fragilitatem coniectis vehementer territum iri eo quod defectionis periculum ab iſta parte imminet, primò id ad rem noſtram non pertinebit. Nam doctrina de electione ac reprobatione neque facit vt fragilitas humana ſit defectioni obnoxia, neque formidines inde ortas reddit per ſe acriores aut minus tolerabiles. Huc accedit quod ex Caluini doctrina confugium ad Dei miſericordiam ſemper patet, in quo tutò conquieſcat quiſquis ſeriò à peccato reſipuerit, qualecunque aut quantumcunque tandem illud ſit. Habet enim illa conditio cuius præſtationem Deus in Euāgelio exigit, iſtud in primis memorabile & ſingularis cuiuſdam benignitatis ac miſericordiæ plenum, quod non modò non eſt natura ſuâ impoſſibilis, vti ſupra diſputator ſine cauſa quiritabatur, ſed etiam quod per totum vitæ curriculum eſt indefecta. Quandiu homo viuit, quocunque loco ac tempore, etiam in medio mortis agone & in ipſis veluti inferorum faucibus, illi licet ad Dei miſericordiam confugere, & Chriſti crucem ad ſalutem amplecti. Nec illi ipſi de quibus Apoſtolus tremenda iſta verba pronunciauit, ἀδύνατον αὐτοὺς
Heb. 6. εἰς μετάνοιαν ἀνακαινίζειν, à ſalute repellerentur, ſi poſſent à ſe impetrare vt in Chriſtum crederent. Eſt enim quidem impoſſibile vt eos Deus ipſe ad pœnitentiam renouet, prohibente illo decreto quo apud ſe iuſtiſſimè ſapientiſſimeque conſtituit ſic vlciſci non ſacrificij Chriſti contemptum modò, ſed etiam ὕβριν Spiritui ſancto factam, cuius guſtum aliquem ipſis præbuerat. Eſt item impoſſibile, hoc eſt, omnino contingere nequit vt ipſi per ſe reſipiſcant, vetante præter natiuam corruptionem tartarea illa malitia atque ſuperbia quâ Chriſtum haud

penitus

penitus ignotum proculcarunt & sibi habuerunt pro ludibrio. Ad quam accesserunt conscientiæ ipsius furiæ, quæ admotis desperationis facibus eorum animos rabie & odio aduersus Deum inexpiabili inflammarunt. At quod non resipiscunt, eius rei propria causa in eorum malitia est: quod veniam non consequuntur, in induratione atque impœnitentia. Si resipiscerent, Dei misericordiam & sacrificij Christi vim inexhaustam experirentur. Denique vbi mentem subit illa cogitatio quæ pacem ac tranquillitatem conscientiæ sollicitat, quid validius esse potest ad animum consolatione recreandum & corroborandum, quam doctrina Caluini, iuxta quam electionis propositum non modo pertinet ad fidem semel ingenerandam, sed etiam ad augendam, fouendam, confirmandam, conseruandam, & ad salutis ipsius fruitionem certissimè perducendam? Obsecro, illi ne docent magis accommodatè ad consolationem, qui volunt & fidei conseruationem & spem salutis pendere ex arbitrij humani libertate, re leui ac mutabili in dies, & cuius inconstantiam ac mutabilitatem Adamus ipse expertus est, cùm multo minoribus & paucioribus tentationibus expositus esset, multoque plus haberet virium ad resistendum?

Posterius quod ait disputator, inductos in tentationem à Caluini doctrina, ab eadem in tentatione deseri, æquè falsum est. Pertendit duos duntaxat esse fontes ex quibus in agone tali consolatio hauriri queat. Vnum in doctrina de Christi morte, si eam statuamus pro omnibus satisfactionem præstitisse modo credant. Alterum in signis & argumentis quibus quisque dignoscere potest se esse à Deo electum. Posteriorem turbidum esse dicit & incertum: priorem limpidissimum, tutissimum, certissima consolatione scatentem. In vtrumque ergo paulo attentiùs inspiciamus. Ac de priore quidem duo nobis dicenda sunt. Vnum, quod nusquam quemquam Caluinus esse dixit cui non pateat aditus ad Dei misericordiam in Christi cruce patefactam, modò credat. Nemo vnquam qui Scripturæ quantum satis, ingenio suo non plus quàm satis est tribuerit, vel gratiæ promissionem latiùs diffudit, vel Christi satisfactionem ad plures extendit, vel denique omnibus apertam & expositam Dei misericordiam sæpiùs & magnificètiùs deprædicauit. Multa sunt à nobis supra in eam rem producta testimonia, nec opus est vt hic quidquam repetamus. Verba sunt huic loco conuenientissima Comment. in Ioan. 1. 16. *Ex plenitudine eius nos omnes accepimus.* Nunc de Christi officio concio- ,,
nari incipit, quod bonorum omnium affluentiam in se contineat, ita ,,

„ vt non aliunde vlla pars ſalutis petenda ſit. Apud Deum quidem eſt
„ fons vitæ, iuſtitiæ, virtutis, ſapientiæ: ſed fons nobis occultus & inac-
„ ceſſus: ſed horum omnium copia nobis in Chriſto expoſita fuit, vt
„ inde petere liceat. Vltro enim ad nos fluere paratus eſt, ſi modo tran-
„ ſitum illi fide demus. Et admonet minimè timendam eſſe ne quic-
„ quam nobis deſit, ſi modo hauriamus ex Chriſti plenitudine: quæ ſic
„ numeris omnibus perfecta eſt, vt ſenſuri ſimus verè inexhauſtum eſſe
„ fontem. Ita in illa verba, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.*
„ Quum dicit *Mundi* peccatum, hanc gratiam ad totum genus huma-
num promiſcuè extendit. Nunc verò quod omnibus offertur benefi-
„ cium, amplecti noſtrum eſt; vt ſtatuant ſinguli nihil ſibi obſtare quo-
„ minus reconciliationem in Chriſto inueniant, ſi modò duce fide ad
„ ipſum accedant. Siquid igitur ad afflictas conſcientias erigendas id
valere poteſt, vt ſané permultum valet, ex Caluini doctrina manare
conſtat eatenus conſolationis materiam longe vberrimam. Alterum
illud eſt, quod non modo Caluinus hunc fontem conſolationis non
obturauit, non aperuit modò, ac veluti intento digito omnibus in-
dicauit, ſed cunctos alta voce ad puros illos lætitiæ hauſtus vocauit,
ſeuereque interdixit, ſiquis ſolido gaudio perfrui vellet, vt ne arca-
nam de ſe Dei voluntatem anxiè vel ſollicitè ſcrutaretur. Sic enim ait
Comment. in illa Apoſtoli verba; *In hoc apparuit Dei dilectio in no-*
„ *bis, quod filium ſuum vnigenitum miſit in mundum.* Ex mera Dei bo-
„ nitate tanquam ex fonte fluxit nobis Chriſtus cum ſuis omnibus bo-
„ nis. Quemadmodum autem hoc cognitu neceſſarium eſt, nos ideo
„ ſalutem habere in Chriſto, quia ſponte nos dilexit cæleſtis pater; ita
„ vbi quærenda eſt ſolida & plena diuini in nos amoris certitudo, non
„ aliò quam in Chriſtum reſpicere conuenit. Quare in ſuum exitium
„ inſaniunt quicunque omiſſo Chriſto, quidnam de ſe in arcano Dei
„ conſilio conſtitutum ſit, inquirunt. Et Comment. in Ioan. 3. 17.
„ Quod ſe Chriſtus veniſſe negat ad damnandum mundum, in eo pro-
„ prium aduentus ſui finem notat. Quid enim opus fuit ad nos perden-
„ dos venire, qui ter quaterque perieramus? Nihil ergo aliud in Chri-
„ ſto conſiderandum quàm quod Deus pro immenſa ſua bonitate opi-
„ tulari nobis voluit, vt perditos ſeruaret; & quoties nos peccata no-
„ ſtra vrgent, quoties Satan ad deſperationem ſollicitat, obijciendus
„ eſt hic clypeus, Deum nos æterno exitio nolle opprimi, quia filium
ſuum ſalutem mundi ordinauit. Id tamen paulo clariùs alibi explica-
uit: noluit enim nemini electionem ſuam cognitam ex fide eſſe poſſe.
Hoc unum voluit, omnibus quibus contingit cum peccati ſenſu con-
flictari

flictari, & induci atque impelli in eam triſtitiam quam Apoſtolus *ſecundum mundum* appellat, quæque peccatorem mergit & abſorbet, paratum eſſe certiſſimum refugium in Chriſti cruce. Nam de notitia electionis quæ ex fidei intuitu naſci poteſt, ſic egregiè loquitur in Ioan. *6. 40.* Hæc eſt voluntas eius qui me miſit, inquit Chriſtus, vt quiſquis videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam Dixerat tuendæ ſalutis noſtræ partes ſibi à Patre mandatas eſſe: nunc modum quoque definit. Hæc itaque obtinendæ ſalutis eſt ratio, ſi obediamus Euangelio Chriſti. Hoc quidem iam nuper attigerat, ſed nunc melius exprimit quod ſubobſcurè fuerat dictum. Quod ſi Deus fide ſeruare vult quos elegit, & æternum ſuum decretum hoc modo ſancit & exequitur, quiſquis non contentus Chriſto de æterna prædeſtinatione curioſè inquirit, quantum in ſe eſt præter Dei conſilium ſaluus eſſe appetit. Electio Dei per ſe occulta eſt & arcana: eam Dominus vocatione qua nos dignatur patefacit. Quare inſaniunt qui ſuam vel aliorum ſalutem in labyrintho prædeſtinationis quærunt propoſitam ſibi fidei viam non tenentes; imo præpoſtera hac ſpeculatione vim prædeſtinationis & effectum euertere conantur. Nam ſi nos in hunc finem elegit Deus vt credamus, tolle fidem, & mutila erit electio. Atqui in Dei conſilio continuam & ordinatam principij & finis ſeriem abrumpere nefas eſt. Porro vt indiuiduo nexu electio Dei vocationem ſecum trahit, ita cùm efficaciter nos Deus ad fidem Chriſti vocauit, hoc perinde apud nos valeat, ac ſi inſculpto ſigillo ſuum de ſalute noſtra decretum comprobaret. Nam Spiritus teſtimonium nihil aliud eſt, quàm adoptionis noſtræ obſignatio. Ergo ſua cuique fides æternæ Dei prædeſtinationis locuples eſt teſtis vt altiùs inquirere, ſacrilegium ſit. Eſt ergo vt iam ſupra diximus, fidei duplex actus. Vnus quo mens directè fertur in Chriſtum tanquam in eum in quo Deus teſtificatur ſe fore omnibus credentibus miſericordem atque propitium: alter quo mens in ſemetipſam veluti reflectitur, & ex attenta ſui conſideratione perſpicit, ſibi non eſſe à natura inſitam vllam vim quæ actum iſtum priorem producere potuerit. Atque vnà venit in mentem quod Scriptura docet, & neminem ad Chriſtum venire quem Deus ipſe non traxerit, & neminem trahi qui non ſit ad eam rem ſelectus ab æterno. Vnde notitia electionis & incredibilis conſolatio naſcitur. Vt veriſſimum quidem ſit quod Anonymus ait, priorem illum conſolationis Chriſtianæ fontem largâ veluti venâ materiam lætitiæ profundere; at falſiſſimum tamen quod in altero nihil eſſe autumat vnde animus peccati ſenſu deiectus certo

ſolamine ſubleuetur. Verum enimuerò id ex eo conſtare putat quod Caluinus ipſe dixit nonnullos eſſe qui fallaci fidei ſimulatione non hominum modò oculis imponant, ſed ſuis etiam ipſorum animis. Inde enim colligit nemini ita perſpectam eſſe ſuam fidem vt in ea certum & indubitatum electionis ſuæ argumentum habeat. Verba deſcribenda ſunt in quibus agit de ijs quos Scriptura προσκαίρους appellat. Hæc fidei, inquit, ſeu vmbra ſeu imago, vt nullius eſt momenti, ita indigna eſt fidei appellatione: à cuius ſolida veritate quàm procul abſit, tametſi mox fuſius videbitur, nihil tamen impedit nunc obiter indicari. Credidiſſe dicitur Simon Magus, qui tamen ſuam incredulitatem paulo poſt prodit. Quod fides illi tribuitur, non intelligimus cum quibuſdam ſimulaſſe verbis quam in corde nullam haberet: ſed potius arbitramur, Euangelij maieſtate victum qualemcunque fidem adhibuiſſe, atque ita Chriſtum vitæ & ſalutis auctorem agnouiſſe, vt libenter illi nomen daret. Eodem modo credere ad tempus dicuntur in Euangelio Lucæ, in quibus verbi ſemen, antequam fructificet, præfocatur: aut etiam nullis dum actis radicibus areſcit mox & deperit. Tales non dubitamus quodam verbi guſtu affectos ipſum auidè &c. Caluinum non exiſtimaſſe illud quidquid eſt, eſſe veram fidem, res ipſa indicat. Quod ſi vera fides non eſt, vtique veræ fidei notas non habet. Perperam igitur Anonymus ex eo quod tales non poſſunt in ſe argumenta electionis ſuæ deprehendere, de verè fidelibus rem eodem pacto ſe habere concludit. Quid autem? Putatne ille ementitæ fidei notas à notis veræ fidei non diſcrepare; an verò etiamſi diſcrepent, veræ characteres in nullo eſſe adeo euidentes exiſtimat, vt certam de veritate fidei ſuæ perſuaſionem inde concipere poſſit? At vtrumque, vt eſt mea quidem ſententia, vehementer abſurdum eſt. & indignum viro docto atque prudenti. Prius, quia vt differunt verum & adulterinum, ſic omnino differre proprietatibus neceſſe eſt. Hoc quidem illius ſpeciem forſitan aliquatenus imitabitur. At ſi paulo penitiùs conſideres, fucus confeſtim euaneſcet, neque fallere poterit niſi ſenſus admodum inexercitatos. Quis paulo peritior artifex aurum ab orichalco non diſcernet? Quis paulo perſpicacior medicus bonam valetudinem non diſtinguet ab eorum ſtatu, quos quia nondum morbus in apertum erupit, vana ſanitatis lactat atque deludit opinio? Hydropis tumor videtur interdum imperitis paria facere cum εὐεξίᾳ corporum paulo habitiorum. Faciei rubor in ijs in quibus pulmo vitiatus eſt non multum videtur abſimilis vero colori qui ex ſucco viuido & copioſo creatur ac effloreſcit. At non

imponit

imponit diu tamen vterque, & quod in corpore latet vitium vel leui de causa sui dat significationem aliquam indubitatam. Posterius verò haud minus. Quia quæ natura & proprietatibus non sunt eadem, ea etiam consentaneum est gignere sui sensum differentem. Docet Aristoteles nonnullos quos non vera scientia, sed falsa quædam opinio tenet duntaxat, sæpe esse æquè sententiæ tenaces, ac si certissimam scientiam haberent, & in euidentissimis compertissimisque demonstrationibus fundatam. Cuius rei exemplum profert in Heraclito. Idem τὴν δεινότητα & τὴν φρόνησιν à plerisque perperam confundi obseruauit. Ethic. lib. 7. cap. 5. Nec vetat quidquam quin qui δεινὸς est tantùm, aut etiam qui propendet ad τὴν πανουργίαν, quæ in vitio vel maximè ponitur, semetipsum arbitretur esse verè prudentem. Sunt tamen illi habitus haud dubiè natura dissimiles, & dissimilibus inter se atque sibi cuique proprijs veluti characteribus designati. Nec si ὁ δοξάζων pertinax est, nec si callidè perspicit ὁ δεινὸς quid in hoc vel in illo negotio vtile sit & ad finem assequendum conducibile, sequitur verè scientem non esse suæ scientiæ sibi certissimè conscium, verè prudentem suæ prudentiæ notitiam exploratam non habere. Qui opinatur, ille quidem quod semel visum est, mordicus retinere potest. At non habet mentem perfusam cognitione veri, quod luce ipsum sua sibi fidem conciliat, & certum sui sensum generat in intellectu. Qui scit, & veritatem clarè peruidet, & vim demonstrationum persentiscit, & certissimè tenet se non errare. Vt enim in vnoquoque sensu est intelligentia quædam propriorum sensilium, quæ vix ac ne vix quidem fallit, vsqueadeo sunt inter se aptè cōstituta à natura τὸ αἰσθητὸν & τὸ αἰσθητικόν: Sic inter intellectum & veritatem intercedit naturalis quædam seu proportio, seu, vt loquitur Aristoteles, οἰκειότης, quæ non modo scientiam necessariò parit, sed etiam progignit sui sensum aliquem qui non patitur scientem de scientia sua dubitare. Vnde fit vt qui opinatur, sicunde veritas conuenienter se se offerat, & appareat euidentibus rationibus illustrata & communita, vel statim ab opinione depellatur, vel sic in ea permaneat vt ipsi pertinaciæ suæ ratio non cōstet. Persistit obstinatione animi atque adeo etiam perturbatione aliqua adductus: fert enim ægrè se vinci, & putat de sua dignitate & existimatione multum iri detractum, si falli & errare potuisse videatur. Contrà, qui verè scit, non patitur sibi extorqueri ex animo sententiam certis demonstrationibus tanquā firmis radicibus penitus inhærentem. Nam verum non est vero contrarium, falsum autem vero non præualet si paulo altius in mentem hominis penetrauit. At quod non vincitur,

quod non nutat aut vacillat veri persuasio, id non est à mente bruto quodam stupore destinata, vel perturbata passionibus, sed à veri ipsius perspicientia, quod se se adeo penitus in intellectum induit, vt inde nulla possit ratione reuelli. De prudentia res non aliter se habet. Deludit se ὁ δεινὸς, quia quæ pertinent ad finem consequendum & acutè cernit, & subtiliter iudicat, & commodè disponit, & nisi alicunde disturbatio rationum accidat , callidè simul ac feliciter perducit ad exitum. Quæ ita prudentiæ propria esse putat vt nihil videat vlterius. At verè prudens, & de fine rectè iudicat, & eum semper sibi constituit honestum, imbutus scilicet atque institutus à virtute morali, veræ prudentiæ perpetua & indiuulsa comite. Nemo dubitauerit, opinor, Apostolum Paulum & verè credidisse, & fidem suam habuisse apud se compertissimam. Neque huius rei argumenta hausit ex aliqua reuelatione extraordinaria, vt nonnulli arbitrantur, sed ex suæ ipsius fidei ingenio ac natura, quæ & per se & in effectis suis se se noscitandam præbebat. Ait enim & se credidisse, & se scire cuinam crediderit, & vbique commemorat virtutes admirabiles quas traxerat ex Christi cõmunione. Cur non ergo quisque fidelis, postquam se se sedulò explorauerit, idem de semetipso iudicabit? Nam nostra à Pauli fide specie non distat, ideoque sunt illis communes quædam inter se notæ, ijdem penè ductus, eadem, vt ita loquar, oris veluti lineamenta, Quod si aliquanto fuit in tanto & tam eximio Dei seruo fides plenior & vehementior ( fuisse autem proculdubio confitemur vltro ) notas illas præ se quidem tulerit illustriores etiam, nostra obscuriores aliquanto, tales tamen vt si vera sit vera itidem esse certo deprehendatur. Eumne quæso fidei suæ sensus fugit, qui agnoscit in se pristini peccati odium & sincerũ amorem veræ sanctimoniæ? qui magna de salute fiducia conceptâ, vnà coniunctam habet piam quandam, sedulam ac propemodum anxiam sollicitudinem quâ sibi cauet à periculis? qui ingenti lætitia ac consolatione perfusus summa animi demissione comitata, gerit pectus apertum, candidum, alienum à fuco & fallacijs? qui totus in Christum ruit, in cruce pendenti circunfundit se auidè, qui studio gloriæ redemptoris flagrat & proximi caritate? Qui denique, si non vndequaque sibi satisfacit, peccati reliquias in se odit ac detestatur, & gemitu, questu, precibus, fremitibus, ardore quodam pœnitentiæ ad metam perfectionis & beatæ immortalitatis anhelat, quæso quid prohibere potest quominus se in Christo, Christum in se habitare prædicet? Pulsus arteriarum etsi paulo languidior, vitam indicat: actiones cum ratione vt plurimum
con

consentientes, tametsi nonnunquam aberres, mentem compositam arguunt: ἀταξίαι κατ' ἀρετὴν non infrequentes, etsi quædam interdum ingens animi perturbatio te transuersum abripiat, habitum virtuti congruentem ostendunt. Quidni ergo superiora fidei signa veram & genuinam eius indolem præbeant etiam certo ac indubitatè noscitandam? Ex istis patet non vllo Caluiniani dogmatis vitio, sed vel furore quodam animi, vel diaboli tentatione factum esse, vt Petrus ille Ilosuanus, cuius disputator meminit, consilium caperet sui suspendendi abominabile atque nefandum. Nec exempla ista vel ad inuidiā conficta, vel odiosè commemorata nos magis mouere debent, vt de doctrina electionis ac reprobationis, qualis a Caluino tradita fuit, sinistrè iudicemus, quàm Francisci Spieræ horrēdus interitus nos abducit ab ea persuasione, quosdam esse quos impossibile est ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Hunc, vt narrat Ioannes Sleidanus, apostasiæ conscientia diris formidinibus agitatum, præcipitem impulit in desperationis voraginem: illum, si quid tale accidit, propria incredulitas & impœnitentia induxit vt existimaret sibi ad Dei misericordiam aditum esse denegatum: vtrobique Apostolorum doctrinæ sua sanctitas indelibata mansit. Sic refutatis aduersarij argumentis ad doctrinæ Caluini demonstrationem accedamus. Sleid. Com. lib. .21

# CAPVT XII.

## *Caluini doctrinam de dispensatione prædicationis Euangelicæ, niti verbo diuino.*

DIXIMVS initio huius disputationis duo præcipuè in quæstione versari. Vnum, an & quomodo Deus verbi sui prædicationem voluerit esse omnibus hominibus communem. Alterum, vtrum vim illam Spiritus, quæ sola fidem cordibus ingenerat, quibusdam ex hominum numero voluerit esse denegatam. De priore autem hoc statuimus. Deum dedisse quidem Apostolis & reliquis Euangelij ministris in mandatis, vt, quantum id fieri posset, omnibus & singulis hominibus Euangelium annunciarent. Fieri tamen illius arcana prouidentia vt nondum Euan-

gelij cognitio ad omnes nationes peruenerit. Cuius rei rationem ex Caluini sententia dupliciter reddi posse declarauimus. Nempe si populos quibus beneficium istud vsque adhuc indultum non est, in se absolute consideremus, digni fuerunt qui eo priuarentur. Ideoque id factum est à Deo iustè. At si spectentur instituta comparatione cum ijs gentibus quibus Deus eam gratiam largitus est, quia eo omnes indigni sunt ex æquo, discriminis causam ad vnum Dei beneplacitum, qui de suo facit quod vult, referendam esse constituimus. Huius ergo propositionis probationem nunc aggredimur: quod vt perficiatur commodiùs & dilucidiùs, rem existimamus esse paulo altiùs repetendam.

Cùm admisso peccato Deus celeberrimum istud oraculum, *semen mulieris conteret caput Serpentis*, Adami fidei commisisset, vt spem de redemptione paucis illis verbis conceptam, propagaret ad omnem posteritatem, accidit, non Adami forte vitio, sed liberorum ipsius socordia atque negligentia, vt illius memoria propemodum interiret. Certè numinis contemptum latè manasse per vniuersum genus humanum eo tempore, clarè demonstrat historia patientiæ Dei ante diluuium, donec ob incredibilem hominū malitiam & cor pœnitentiæ nescium terram aquarum eluuione vastaret, vnamque Noæ familiam residuam faceret, in qua semē pietatis ac religionis conseruauit. Fœdere cum Noa renouato, renouata fuit eadem opera misericordiæ spes, atque huic alteri generis humani parēti consignata, qui eam per manus ad posteritatem transmitteret. Hoc vidit Caluinus qui & promissionem isti Patriarchæ factam ad eius posteros vsque ad mundi finem pertinere censuit, & arcum illum in nubibus admirabilem Sacramentum ad fidem confirmandam destinatum esse putauit. Sic ille Comment. ad Genes. 9. vers. 7. " Minimè dubium est quin Dei " consilium fuerit (cum nempe Noæ fidem eo signo corroborauit) " omnibus eius posteris consulere. Non ergo priuatum fœdus cum " vna tantum domo sancitum fuit: sed omnibus populis commune, & " quod sæculis omnibus vsque ad finem mundi vigeat. Item, ad vers. 9. " Inde etiam colligimus hoc fuisse proprium Sacramentis ab initio, vt " ad fidei confirmationem valerent. Nam certe in fœdere inclusa est " promissio, cui fides respondere debet. &c. Dubium autem non est quin tantus Patriarcha cuius fidem ac pietatem Apostolus cum insigni elogio commemorauit, fideliter officio suo sit pro virili defunctus, & posteritatem suam ad verum Dei cultum erudire tentarit. Duo tamen sunt in ea œconomia obseruanda. Vnum, quod quid

quid

quid illud erat quod in fœdere cum Noa renouato ſpectabat ad Christum redemptorem, quæ tum erat ratio temporum & Eccleſiæ conditio, traditum eſt verbis vſqueadeo obſcuris, vt vbi Paulus diſputat de Euangelij antiquitate ſupra legem, nuſquam altiùs aſcendat quàm ad Abrahamum: de Noa, deque fœdere cum eo inito in Epiſtolis Apoſtoli perpetuum ſilentium. Quamquam Petrus ſanè in aquarum diluuio, Baptiſmi, in Arca typum aliquem Eccleſiæ animaduertit, & Chriſtum ipſum per Spiritum ſuum homines tum temporis ad pœnitentiam inuitaſſe obſeruauit. Alterum, quod quantacunque fuerit illa reuelationis, cuius Deus Noam cōpotem fecit, claritas vel obſcuritas, non manſit incorrupta diu; conſtat enim pleroſque homines à diuino culu ſtatim ad idololatriam defeciſſe. Adeo vt ne in familia quidem ex qua Abrahamus ortus eſt, religio permanſerit incemerata. Teſtis eſt Ioſua qui id inter beneficia ſingularia Iſraelitico populo concesſa cum primis memorat, quod Abrahamus ſumma Dei miſericordia ſegregatus eſt atque eductus è medio idololatrarū. Abraham igitur vnus excitatus eſt, quicum Deus fœdera cum Adamo contracta primùm, deinde cum Noacho renouata, ſingulari quadam ratione redintegraret. Atque in ea redintegratione duo itidem videntur diligenter expendenda. Prius, quod contra quam actum eſt cum Noacho, promiſſio de futuro Meſſia multo pleniùs atque luculentiùs Abrahamo tradita fuit. Vnde eſt vt non modo, quod iam à me dictum eſt, Paulus Apoſtolus Euangelij originem inde arceſſere ſoleat, ſed etiam vt Dominus noſter pronunciauerit, Abramum vidiſſe diem ſuum, eoque vehementer eſſe gauiſum. Quod omnino non dixiſſet niſi magnus ille fidelium omnium parens, magnam, præ reliquis omnibus qui temporibus vixerant anteactis, de ſalute humani generis notitiam habuiſſet. Enimuerò neque legendum oſcitanter eſt, neque leuiter prætereundum, cùm illud, *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*, tum iſtud etiam, *Abraham Deo credidit, & illi id imputatum eſt ad iuſtitiam*: quæ ſolent ab Apoſtolo diligentiſſimè & præcipuo quodam ſtudio ponderari. Poſterius, quod cùm Deus & Adamo & Noacho verbum ſuum eum in finē conſignaſſet, vt id cum poſteris ſuis omnibus indifferenter communicarent, nec vllam in eo ſignificationem dediſſet cuiuſquam à ſe diſcriminis inter homines eatenus conſtituti, cum Abrahamo ſecus egit. Nam apertè declarauit ſe reliquis terræ familijs neglectis, atque adeò cæteris ipſius Abrahami liberis præteritis, in vno Iſaaco propenſam ſuam voluntatem veluti defixiſſe; vt ille ſolus hæres eſſet, non bonorum paternorum dun-

Ioſ 24. 2.

taxat, sed etiã prærogatiuæ religionis incorruptæ atque illibatæ. Nõ quod vetuerit alios homines ad verum sui numinis cultum solicitari: absit vt id de eo cogitemus: sed quod significare voluit quænam futura esset in posterum benignitatis & misericordiæ suæ erga homines dispensatio. Scilicet palantes, & quemque peruersa sua studia secutos nullo verbi sui vel præconio vel oraculo reuocare decreuerat. Neque id tantùm. Sed cum Isaacus ex eadem vxore duos liberos vno concubitu suscepisset, gratiam illam ad vnum Iacobum restrinxit, spreto Esauo primogenito, in quem familiæ ius pene vniuersum, etiam ipso vtriusque parente iudice, spectare videbatur. Sic vera notitia numinis hæsit in Iacobi familia, ex qua Moses demum exortus est, cuius ministerio Deus religionem in populo Israelitico sanxit. Reliquæ nationes nulla verbi prædicatione dignatæ, nulla voce, quæ auribus insonuerit, ab errore in veritatis viam reductæ, sua quæque figmenta pro vero numine coluerunt. Atque id est quod Psaltes cùm alibi tum vero Psal. 147. tantopere deprædicat. *Deus*, inquit, *reuelauit statuta sua Iacobo, & præcepta sua Israeli, non sic fecit omni nationi.* Perdurauit autem ista dispensatio vsque ad Euangelij tempora. Etsi enim neque Deus prohibuit quominus proselyti ad easdem spes cum Iudæis admitterentur, neque verò Gentes Palæstinæ finitimas ita deseruit quin subinde eas varijs Prophetarum solicitationibus ex alto peccati veterno excitare tentauerit, ista tamen & ad paucos pertinuerunt, & suscepta sunt atque administrata sæpenumero eatenus quoad res Iudæorum cum rebus vicinorum colligatione aliqua conjunctæ erant, ac denique fuerunt veluti præludia vocationis populorum, quam Deus vsque ad Christi tempora distulerat. Vnde est vt Apostolus, nulla rerum istarum habita ratione, vniuersè dixerit sæ-
Act.14. 16. culis quę prædicationem Euangelij antecesserunt, omnes gentes præter vnam Iudaicam, sibi fuisse permissas, vt in vijs suis ambula-
Ephe. 2. 12. rent. Cui consentaneum est quod eas appellat federum diuinorum extorres, spei expertes, à promissionibus, à cognitione Dei & à vera vita prorsus abalienatas. Christo manifestato, & in cælum post gloriosam resurrectionem recepto, duo in primis memorabilia contigerunt. Vnum est quod gens illa quam Deus tot priuilegijs decorauerat, reiecta fuit atque abdicata. Alterum quod isti populi quos Deus tot sæcula prorsus neglexisse videbatur, ad Christi cognitionem vocati sunt atque pertracti. Idque forte fortuna non accidisse constat ex Prophetarum testimonijs, qui rem futuram prædixerunt, & ex Apostolorum disputationibus, qui quod antea prædictũ fuerat, im-
pletum

impletum esse demonstrarunt. Prædictum autem fuit quia sic erat ab ipso Deo consilio constitutum ita sapiente, firmo constante, & diuturno, vt etiamnum illa Iudæorum à cultu veri numinis discessio permaneat, illa Gentilium vocatio sub auspicijs Domini nostri Iesu Christi continuetur. Quæ res sanè si paulo consideretur attentiùs, magnam quandam mirabilitatem habet. Restant duo tamen quæ minus admirabilia neutiquam videri debent. Prius est, quod in dispensatione prædicationis Euangelicæ fuit semper varietas quædam admodum memorabilis. Nam Euangelium Hierosolyma profectum, vt erant Prophetæ tanto ante vaticinati, in Asiam, Africam & Europam latè quidem dimanauit: at non ita tamen quin multa loca prætetita sint ab Apostolis & Euangelistis, in quibus vel omnino lux illa accensa non fuit, vel si fuit aliquādo tandem, diu tamen fuerunt densissimis tenebris occupata, interim dum primi illi nominis Christi præcones, & qui in eorum munus successerunt, Ecclesias alibi colligebant. Quod factum esse diuino consilio nemo dubitare potest qui saltem sciat res omnes prouidentia regi, inprimis verò ad res tantas quanta est Euangelij prędicari, opeculiarem quandam diuinæ mentis procurationem adhiberi. Cùm prætertim ex Apostolorum historia constet, eos nonnunquam a Spiritu Dei fuisse prohibitos ne vel hic vel illic Christi crucem annunciarent. Ad Orientem igitur peruenit Christi nomen non modo Babyloniam vsque, quod ex priore Petri Epistola clarum est, sed etiam, si fides historicis nonnullis, vsque ad Indos, Thoma prædicante. Meridiem versus diffudit se se in Ægyptum & omnem oram Cyrenaicam occupauit. Ac denique per Occidentem penetrauit in Græciam, inde Romam venit, & paulatim ad Septentriones progressum, per Galliam, Britanniā & Germaniam latè se dissipauit. At tantum abest vt per vniuersum orbem terrarum se se sparserit, vt qui paulo diligentiùs in eam rem incubuerunt, subducta ratione diligenter, affirmare ausi sint, mundus si in triginta partes diuidatur, quinque tantùm ex illis à Christianis teneri, sex ab ijs qui Muhāmedis impietatem amplexantur, reliquas nouemdecim ab illis occupari qui vel Christum olim fortasse cognitum è finibus suis eiecerunt, vel ad quos nulla de Christo auditio hactenus permanauit. Quorum sanè numerus permagnus est. Vt si in tabulis illis in quibus orbis terrarum depingi solet, regiones à Christianis habitatas insigni colore distinguas, exiguæ sanè sint illæ, & angustis admodum limitibus definitæ, præ earum amplitudine quas Muhammedismus & Paganismus maculabunt. Posterius est quod

Rom. 11. 24. 25. &c. Apostolus Paulus verbis apertis affirmauit fore vt antequam mundus diem vltimum claudat, repudiata illa Iudæorum natio ad Messiæ cognitionē reuocetur, vt Gentiles & Iudæi in vnum corpus reconciliati coalescant, donec ab eodem redemptore pari misericordia glorificentur. Verum ab eo tempore quo Paulus id prædixit, vsque ad hanc nostram ætatem, iam effluxerunt sæcula sexdecim, nec tamen videmus quidquam istiusmodi hactenus euenisse. Quo temporis spatio, Deus bone, quot Iudæorum myriades, quot Gentilium myriades myriadum vitam cum morte commutarunt? Res autem illa quanti momenti sit, neminem latere potest. Nam testatur quidem Apostolus Deum vsque ab origine mondi suam virtutem æternam, suamque diuinitatem ita mortalibus omnibus ostendisse, vt ignorantiam excusare nequeant. Non negat Deum omnibus sæculis terræ fœcunditate, fertilitate tempestatum & omni genere beneficentiæ sibimetipsi testimonium perhibuisse, vt nemo de eius bonitate &, vt ita dicam, placabilitate dubitaret. Addit, rerum omnium conseruatione & administratione quotidiana, præsertim verò societatis humanæ cura, & vniuscuiusque hominis sustentatione, nutricatione, motione atque viuificatione effecisse, vt nisi obstitisset stupor mentis incredibilis, & callus quem peccandi consuetudo animi sensibus obduxit, palpando, contrectando, sedulò inquirendo ad aliquam eius cognitionem peruenire potuerint. Ait denique Dei benignitate, longanimitate, patientia, omnes non tam inuitari quam deduci ad pœnitentiam, nisi mentem à recta via sponte animi auerterent, & vt quemque libido fert, inconsideratè vagarentur. At quidquid illud est quod extrinsecus oculis & mentibus hominum obijcitur, destitutum est illa vi spiritus quæ sola potest homines abducere à peccato, & ad vitæ spem efficaciter reuocare. Verbum enim vnum est ministerium Spiritus, vnum instrumentum efficax ad depellendam ex corde malitiam, vna denique veluti machina ab ipso Deo comparata ad expugnandam duritiem, & animos ad fidem & pœnitentiam perpellendos. Quocirca omnes eos quibus illa lux Euangelica nondum affulsit, vel iam perijsse, vel nisi ante mortem eo vnico remedio succurratur, si verbo Dei credimus, in æternum perire necesse est. Ad hæc igitur præcipua capita ea de re controuersia redit. Primò, quid causæ fuerit cur Deus populum Israeliticum in paciscendo fœdere suo reliquis omnibus populis anteferret. Secundo, cur Christo manifestato eundem populum repudiauerit, Gentes autem à se olim desertas Iudæis præposuerit. Tertio cur inter gentes Euangelium nonnullis obtulerit, reliquis

Marginal notes: Rom. 1. 19. — Act. 14. 17. — Act. 17. — Rom. 2.

reliquis insuperhabitis in hunc vsque diem. Denique cur Iudæis illis quos Apostolus ad extremū prædixit esse vocandos, Deus hoc beneficium potius tribuerit, quàm ijs qui superioribus temporibus perierunt. Ista breuiter expendere constituimus, atque ad ea reuocare ratiunculas quibus in eo negotio Arminij discipuli vti solent; non vt sparsæ sunt atque diuulsę in eorum disputationibus, sed prout quæque commodiùs se se offeret & ad superiorem istam nostram partitionem congruentiùs pertinebit.

Et ad primum quod attinet, si nihil aliud esset præter verba Dauidis à me supra ex Psalmo 147. producta, ad id sufficerent vt discriminis causam ad vnam Dei voluntatem reuocaremus. *Nunciat verbum suum Iacobo, & decreta sua, & iudicia sua Israeli. Non sic fecit omnibus gentibus: neque manifestauit ijs iudicia sua.* Id enim Propheta commemorat tanquam prærogatiuam indultam singulari beneficio, quamobrem Dei laudes Israeliticus populus supra reliquos omnes celebrare debeat. Nam illis quidē admiranda sua opera suspicienda obiecit; at vnicum illud ad cæcitatē qua laborabant, depellendam, remedium denegauit. Quod ergo ait, *non sic fecit*, emphaticum est, & habet peculiarem benignitatis diuinæ commendationem erga Iudæos. Quod si fuisset aliqua inter eos & reliquos homines inæqualitas, vt illorum benè promeritis captus, horum vero peccatis irritatus, se se totum ad Israelem transtulerit, habuerunt certe causam cur Dei iustitiam agnoscerent quæ cuique reddidit secundum opera sua, at non habuerunt cur peculiarem benignitatem erga se in cælum ferrent solennibus istis laudibus Quid enim est in eo vsqueadeò mirificum si sit ab illo cuique pro suo merito retributum? At Deus ipse apud Mosem præcidit omnem ansam dubitationi. Sic enim loquitur Deut. 7. vers. 6. & 7. & sequentibus. *Populus es tu sanctus Domino Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris præ omnibus populis qui sunt super faciem terræ. Neque ob id vos tam ardenter dilexit ac elegit Dominus, quod plures essetis alijs populis. Nam pauciores eratis omnibus populis. Sed quia dilexit vos & seruare voluit iuramentum quod iurauit patribus vestris, &c.* Et aliquanto disertiùs ac magis emphaticè cap. 9. vers. 6. 7. *Ne in corde tuo sic cogites. Propter iustitiam meam introduxit me Dominus vt possiderem terram hanc. Nam propter impietatem gentium istarum Dominus expellet eas ante te. Non propter iustitiam tuam & propter rectitudinem cordis tui tu venis vt possideas terram earum: sed propter impietatem gentium istarum, vt scilicet verbum quod iurauerat patribus tuis inconcussum seruaret.* Ad ista

quid respondet Arminij schola? Multa sanè congerit, nec sibi satis-facit tamen. Quidam locum è Psalmo 147. isto cauillo eludere conatus est, quod Psaltes dicat, *Non sic* quidem actum esse cum reliquis populis, sed aliter, nempe in opere Naturæ fuisse illis statuta Dei reuelata. Vt discrimen sit non in re sed in modo rei tantùm. At friuolum istud esse doctissimi viri iampridem ostenderunt. Phrasis enim illa, *Non sic*, rem absolutè negat, non rei modum. Vt Lucæ. 22. 26. Psal. 1. 4. 1. Sam. 30. 23. atque alibi. Tum quid clarius est, vt supra diximus, quam celebrari hoc loco beneficium Iudæis singulare, non verò commune cæteris hominibus? Nam si reuelatio illa quæ per opus naturæ facta est, tantundem præstitit quantum reuelatio verbi, quid attinebat prærogatiuam istam laudibus extollere tanquam excellentem? Istud autem, *& non nouerunt ea*, quod egregiè vertitur à nonnullis *propterea non nouerunt ea*, non-ne manifestò indicat in effectus discrimine causæ disparitatem? Nempe alterum instrumentum, Verbi diuini præconium, fuisse inter Iudæos efficax, alterum, quidquid est, quo Deus erga Gentes vsus est, nihil quidquam effecisse? Alij igitur aliò confugiunt, & aiunt, primò Deum peccatis parentum & auorum reliquorum populorum offensum liberos sic puniuisse. Deinde Deum ipsum testari se eijcere Cananæos & reliquas gentes, propter impietates ipsarum. Vt non sit aliunde arcessenda causa punitionis quàm ex ipsis populorum quos deseruit, peccatis. Tum, non fuisse vsqueadeò desertas gentes, quin semper habuerint in Mundi opificio, & gubernatione prouidentiæ, vnde, si vellent, haurirent aliquam Dei cognitionem, quæ possit esse vel per se salutaris, vel certissimus gradus ad salutarem. Item, esse occultissima hominum merita quædam, quæ, etsi nos latent, Deus tamen penitus abdita perspicit, & suo tempore remuneratur. Denique, præpositos esse Iudæos, quia erant ex Abrahamo oriundi, quicum Deus fœdus suum pepigerat, vt ipse testatur locis supra citatis. Ista igitur sigillatim expendamus. Et primum quidem illud vanum est. Nam vt taceamus haud satis decere eos qui aduersus doctrinam de imputatione Adami tam acriter inuehuntur, responsionem illam quæ peccatorum parentum pœnas in liberos deriuat, nonne & Iudæorum proaui ac maiores, si supra Abrahami ætatem ascendas, æquè cùm reliquorum populorum maioribus Deum peccatis suis ad iram incitarunt? Nonne vt memoratū est à me superiùs, Iosua eos omnes idolatriæ accusauit? In pari ergo parentum iniquitate, quid est quod tantam disparitatem in liberorum conditione peperit? Nam si, vt illi ipsi dicunt, peccata

cata parentum plectuntur in liberis vsque ad tertiam aut quartam generationem, Abrahæ autem parentes se se polluerunt idololatria, æquabilis illa Dei iustitia postulauit, vt Abrahamus desereretur à Deo, & vt Abrahami posteritas patris sui vestigia sequeretur. Fuit ergo aliquod Dei beneplacitum, cuius ratio nulla reddi potest, quæ in gratiam populi Iudaici dispensationem illam immutauit. Alterum haud est ad rem. Nam non negamus certè Cananæos & reliquos quos Deus expulit populos peccatorum suorum pœnas in eo luisse. Caluinus vt supra vidimus, agnouit nemini verbi prædicationem denegari, qui non sit ea denegatione dignissimus. Hoc tantùm quærimus, quî factum fuerit vt ea prærogatiua potirentur qui nullatenus erant eâ cæteris digniores. Deus autem eodem ipso loco vbi se Cananæos exterminare profitetur propter ipsorum impietatem, Iudæis vehementer exprobrat cùm duram & præfractam ceruicem, tum omnis iustitiæ pudendam inopiam, & assidua peccata in deserto commissa, iustitiæ sui Numinis acria irritamenta, & eiusmodi alia quæ omnem prærogatiuæ dignitatem procul ab ijs semouent & amoliuntur. Sunt ergo vtrique eadem planè commeriti, vt dubium non sit quin omnia inter se habeant paria, præterquam quod Deus alios odio habuit, alios vero amore prosequi dignatus est. Tertium est pariter ἀπροσδιόνυσον. Nemo enim iuerit inficias nullam tantam esse cuiusquam derelictionem, quin illi semper quandiu viuit, ob oculos obuersentur argumenta diuinæ bonitatis quæ eum & ad pœnitentiam inuitare, & in spem aliquam excitare possint, nisi sponte ad ea cæcutiret. Neque id ignorauit Caluinus aut celatum esse voluit quum sic in Præfatione ad sacra Biblia loquutus est. Tum (nempe post primum peccatum admissum) Deus cœpit hominem odio habere, & vti commeritus erat, abdicare vt ne pro ipsius opere censeretur: deleta enim erat in eo creatoris imago, & gratiæ quibus eum ornauerat, ex illius animo excesserant. Vt autem eum constituerat in quo se se suauiter, quemadmodum pater in carissimo filio, oblectaret, sic etiam tum despexit atque abominatus est, adeò vt quicquid antea in eo placebat, displicuerit, quod delectare solebat, irritauerit, quod benigno ac paterno adspectu intueri consueuerat, detestari & inuitis oculis adspicere inceperit, &c. Attamen misericordiæ Dominus (qui non modò amat, sed est ipsissimus amor atque charitas) voluit adhuc amare id quod indignum erat quod diligeretur, neque omnino dissipauit, perdidit aut pessundedit homines, vt eorum postulabat iniquitas, sed benignitate sua atque patientia sustentauit ac

tolerauit, spatium vltro concedens quo se se ad eum conuerterent, & ad obsequium ipsi se redigerent à quo defecerant initio. Et quamuis dissimularet atque taceret ( haud secus ac si ipsis conspectum suum adimere voluisset ) neque eos retineret quominus animi libidinem & concupiscentiæ appetitum sequerentur, absque vlla lege, absque vlla quæ verbo fieret correptione ac castigatione, satis tamen documentorum dedit, quibus incitari debuerūt ad eum quærendum, palpandum ac reperiendum, vt eum cognoscerent & pro debito colerent ac venerarentur. Nam vbique rerum atque locorum imperij insignia veluti sua in altum ita extulit, ita in aperto collocauit, ita omnium denique intellectui exposuit, vt nemo ignorantiam causari quiuerit quin talem tantumque Dominum agnosceret, qui magnificentiam suam tam splendidè curauerat exaltandam: cùm nempe in omnibus mundi partibus in cælo & in terra, non inscripsit modò, sed propemodum insculpsit gloriam potentiæ, bonitatis, sapientiæ, & æternitatis suæ. Verissimè igitur dixit Paulus Dominum se se nunquam fuisse ἀμάρτυρον, ne quidem inter eos ad quos nullam verbi sui notitiam peruenire voluit; quandoquidem omnes creaturæ, ab ipso firmamento vsque ad terræ centrum, testimonium de ipsius gloria apud omnes homines dicere potuerunt, quo ad ipsum quærendum adducerentur &c. Atque ad eam rem citat illustria loca ex 1. Ioan. 4. 16. Genes. 6. 3, Act. 17. 30. Act. 14. 16. Act. 17. 27. Rom. 1. 20. Act. 14. 17. Psalm. 19. 1. Multo certè breuiora sunt quæ ad Rom. 1. 21. commentatus est: at aliquanto significantiùs demonstrant quid homines ex illa quæ natura rerum facta est reuelatione haurire debuerint. *Non vt Deum glorificauerunt*. Concipi Deus non potest sine sua æternitate, potentia, sapientia, bonitate, veritate, iustitia, misericordia. Æternitas ex eo liquet quod auctor est omnium. Potentia, quod omnia tenet in sua manu, facitque vt in se consistant. Sapientia ex ordinatissima dispositione. Bonitas quia nihil causæ erat cur conderet omnia, neque alia ratione moueri potest vt conseruet quàm ob illā ipsam. Iustititia in administratione: quia sontes punit, innocentes vendicat. Misericordia, quod tanta patientia tolerat hominum peruersitatem. Veritas, ex eo quod immutabilis est. Ex quibus nisi sponte homines cæcutissent, memorabilem quandam Dei notitiam Caluino iudice, consequi potuerunt. At de eo non quæritur, & inanem laborem suscipiunt Arminiani in ea re demonstrāda quam nemo negauerit. Quæritur tantùm cùm verbum vnicum sit, vt iam diximus, instrumentum efficax quod cæcitatem depellere, & mentes

humanas ad pœnitentiam conuertere queat, quæ causa fuerit cur Deus illius opem Iudæis indulserit, Ethnicis verò denegauerit, quandoquidem vtrique æque digni erant apud quos contentus esset eam reuelationem adhibere quæ nihil planè in salutis negotio perficit. Cum enim omnino æquales inter se & sint & statuantur, cur illis tributa fuerunt vsqueadeò inæqualia, vt inter se collata alterum pœnæ veluti, alterum summi cuiusdam beneficij rationem habeat? Nam pœna quidem certè non fuit quod Deus se reliquis nationibus tam luculenter in operibus suis cognoscendum exhibuit; at illud horrendi cuiusdam supplicij vicem obtinet, quod vbi illa sui numinis exhibitio in mentibus hominum, tanta fuit earum peruersitas, nihil præstare potuit, nihil præterea addidit quod peruersitatem illam efficacitate sua corrigeret & emendaret. Quod quarto loco ab ijs dictum est, non iam amplius est extra rem, sed à religione abhorret vt quod maximè. Primum enim cùm Deus ipse tam exerte negauerit Iudæos à se esse electos propter ipsorum iustitiam, quænam esse possunt occulta illa merita quę vel Deus ignorauit, vel si non ignorauit, à se tam callidè dissimulauit esse considerata, vt eorum nullam affirmauerit in eo negotio habitam esse rationem? Siccine illudit mortalibus vt eorum merita remuneretur quidem, at quia occulta sunt, & illis ipsis à quibus profecta sunt penitus ignota, ea astutè obtegat, vt quæ reddit ex debito, ea ex mera misericordia dedisse beneficia putetur? Non ergo valet apud Deum quod apud probum quemque valere dicit Comœdia, *vt nequiquam officinm liberi esse hominis putet, Cum nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi?* Deinde vndenam tandem ista merita profecta sunt? An ex viribus naturalibus liberi arbitrij? An verò ex gratia Spiritus Dei quæ liberum arbitrium præuenerit? Nam ex naturalibus liberi arbitrij viribus ea prouenisse si dicant, quid aliud dicere potest Pelagius, si Pelagianismum suum data opera excoxerit, vt eum reddat magis purum putum quàm vnquam fuit? Si sunt à Spiritu Dei profecta, eodem reuoluimur, quærimus vnde factum sit vt illi consecuti sint gratiam Spiritus quam alij non acceperunt. Sunt enim natura pares. Et quando Deus Spiritum non indulget ex quo quidquam prodire queat quod sit verè bonum, nisi interuentu verbi, vt est à nobis constitutum & postmodum clarius demonstrabitur, qui pote vt Deus verbi sui peculiarem gratiam indulserit ea de causa, quia sic voluit remunerari merita quæ gratiam illam iam indultam indicant? Quod autem vltimo loco ab ijs respondetur, adeò nodum istius difficultatis non expedit, vt magis

inuoluat & adstringat, & reddat inexplicabilem, Primum enim; quæ subinde in hoc argumento recurrit interrogatio, quæremus vnde factum sit vt Abrahamus ille ex quo Iudæi orti sunt, selectus fuerit à Deo è numero reliquorum hominum, vt fœdus cum eo singulariter pacisceretur. Nam si ideo electi Iudæi fuerunt quia sunt ex Abrahamo procreati, Abrahamus autem ideò electus est, quia sic Deo pro liberrima misericordia libuit, vt qui natura à perditissimis & desperatissimis non differet, vtique Iudæi suam electionem liberrimæ Dei misericordiæ debent, non vlli suo merito quo cæteris hominibus præstiterint. Qui autem sunt in illa electione præteriti, iustè quidem præteriti fuerunt si spectentur absolutè; si comparatè cum Iudæis, nulla fuit causa cur vel ipsi Iudęis, vel eorum maiores Abrahamo postponerentur. Deinde & illud interrogabimus, cur hos potius quàm illos ex Abrahamo nasci voluerit, quos faceret sui fœderis compotes. Nam sanè facere Deus potuit vt ille Manasse vel Ephraim, quem Abrahamus per Iacobum genuit, nasceretur ex eorum aliquo quos à consortio & participatione federum suorum repulerat, puta ex Argo vel Abimelecho. Contra vero vt qui ex Abimelecho natus est auctorem sui generis haberet Abrahámum. Quænam igitur ratio Deum impulit vt sic hominum generationes in salutem aut exitium dispensaret? Denique cùm Abrahamus multos liberos procreauerit, vnum ex Sara, alterum ex Agare, reliquos ex Ketura; Isaacus verò duos, Esauum atque Iacobum, benedictionem autem illam Deus vnius Iacobi familiæ addixerit, qui factum vt eam Abrahami posteritatem potius eligeret quæ ab ipso defluxit per Isaacum & Iacobum, quàm quæ per Ismaelem aut Esauum deriuata est? Aut si Isaacum & Iacobum tantopere dilexit, vt eorum liberos cæteris præferre decreuerit, quî factum vt illi potius genuerint Iudam, & Leui, & Simeonem & reliquos Patriarchas, cum ijs qui ex Patriarchis ipsis producti sunt, quam Eliphazum aut Rehuelem, aut reliquos quos Esaavus generauit? Hîc illis certè aquam hęrere necesse est, & agnoscere vnum aliquod decretum eatenus absolutum quatenus nullam illius decernendi rationem reddere potes præter liberrimam & imcomprehensam Dei voluntatem. Esto igitur primum istud ita conclusum; Electum quidem fuisse populum Israeliticum quicum Deus fœdera sua salutifera contraheret, quia eum præ cæteris omnibus populis dilexit. Cur autem præ cæteris dilexerit, vnam extitisse causam in eius liberrima voluntate. Iam ad secundum veniamus.

Quæritur

Quæritur ergo cur Christo manifestato Iudæi ab Euangelij participatione depulsi, Gentes ad eiusdem communionem admissæ sint. Hic sanè Arminij discipuli ad peccata parentum confugere non possunt. Nam si peccatorum paternorum in eo negotio ratio aliqua haberetur, Iudæorum qui Christum reiecerunt, maiores plerique pij fuerunt, Gentilium omnes ad vnum vsque contaminatissimi atque sceleratissimi. Itaque siquid in eo valet auorum & proauorum consideratio, debuit natio Iudaica isto gaudere beneficio in perpetuum, Gentes verò quæ & ipsæ pessimæ & ex pessimis parentibus prognatæ sibi maioribusque suis similes liberos educabant, ex quibus qui nascebantur nepotes parentibus vt plurimum erant deteriores, Euangelio carere debuerunt in æternum. Confugiunt igitur ad illustrem locum qui habetur Act. 13. 47. *Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, reclamantes ac loquentes blasphemias. Tunc sumpta fiducia Paulus ac Barnabas dixerunt, vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei: sed quoniam repellitis illum & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce nos ad Gentes conuertimus.* &c. Ex quibus verbis manifestum esse putant Iudæorum incredulitatem & obstinationem aduersus Euangelium in causa fuisse, cur Apostoli ab illis absisterent, quæ reiectio vsque ad hunc diem iusto Dei iudicio perdurauit. At quis id negat, Iudæos si absolutè & præcisè in se considerentur, commeritos esse per incredulitatem vt horrendo illo iudicio plecterentur? Hoccine Caluinus, cuius sententia, hoc est, ipsissima veritas hîc defenditur, in dubium reuocauit? Verba sunt illius dgnissima quę legantur in commentarijs ad hunc locum. Ostendit Lucas adeò fractos non fuisse seruos Christi hostium contumacia, vt liberius propterea in eos inuehi rursum cœperint: Nam etsi eos iam pupugerant acri stimulo, tamen adhuc illis aliquantum parcebant. Nunc verò cum obstinatè Christum reijci ab illis vident, vicissim excommunicant eos & abdicant à regno Dei. Docemur autem hoc exemplo non esse extrema seueritate vtendum nisi aduersus deploratos. Ex quibus verbis cuiuis perspicuum esse potest, Iudæos non modo eâ de causa fuisse reiectos, quia Euangelium prius ipsi reiecerant, sed ne futurum quidem fuisse vt reijcerentur, nisi ipsi obstinatissimè in contumacia perstitissent. Verum quando Gentes natura sua haud minus quam Iudæi corruptæ erant, atque ideo haud minus contumaciter illas Euangelio obsistere necesse fuit, & quando, vt experientia id docuit, sæuiùs adhuc quàm Iudæi Euangelium Christi persecutę sunt, quæ fuit causa cur Apostoli ho-

rum contumacia frangerentur, illarum autem sæuitia deterriti non fuerint, quominus per saxa, per ignes, vt ille loquitur, pergerent in muneris sui functionibus inter eas constanter obeundis? Neque hîc
Rom. mihi reponat Arminij discipulus aliquis verba Pauli: Propter incre-
11. 20. dulitatem defracti sunt, τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν. Nam id certè non vocatur in controuersiam, vtrum quemadmodum Deus hominum contumacia eò impellitur vt eos Euangelicæ prædicationis beneficio priuet, sic etiam fide adducatur & obsequio vt eam gratiam eorum propriam ac perpetuam esse velit, qui se se non præbent immorigeros, quique Euangelio ad superbiam & licentiam non abutuntur. Si illos qui de ipso ne cogitabant quidem tam benignè ad se vocat, quid futurum ijs putandum est qui Christo per fidem & pœnitentiam constanter adhærescunt? Aut vt Apostoli verbis vtamur, si oleastri surculos succi planè syluestris & amarulentiæ plenos oleæ à se tam diligenter excultæ misericorditer inseruit, hoccine à se impetrare posset vt insitos iam & coalitos, & iam fructus ferentes defringeret & amoliretur? Hoc tantum quæritur, quoniam insitio illa facta non est nisi per vocationem efficacem, vocatio autem illa efficax in duabus rebus consistit, verbi prædicatione & virtute Spiritus intrinsecus operante, quâ re Deus impulsus fuerit vt in Gentibus vim illam Spiritus exeruerit, quæ cessauit in Iudæorum animis, quâ re item inductus vt verbi prædicatione Gentes dignatus sit, quum eas oportuerit, si in natura sua considerentur, Euangelium obstinatè reijcere æquè atque Iudæos, à quibus ob incredulitatem Euangelium longissimè remouit. Nam in æquali omnium naturæ sorte, cur sortiti sunt vsqueadeò inæqualia? Quæ fuit discriminis istius dispensationis ratio quæ ex hominibus ipsis peti possit? Sanè aliquam huius rei rationem reddit Apostolus quam supra vidimus ex capite 11. Epist. ad Rom.. *Deus omnia conclusit sub peccatum vt omnium misereretur.* At tantum abest vt causa illa quam Apostolus assignat, Gentibus aliquid tribuat supra Iudęos, quamobrem illis sint à Deo antepositæ, vt doceat potius omnium hominum tam Gentilium quàm Iudæorum vnam eandemque conditionem esse peccato obnoxiam, vitijs indiuulso nexu adhærescentem, & ad incredulitatem non propendentem tantùm, sed vehementissimè & pertinacissimè determinatam. De omnibus scilicet ex æquo actum esset, ni eum omnium pariter commiseresceret. Quod igitur inter eos discrimen est, ab vno Deo esse palam est, qui æqualibus tribuit inæqualia pro arbitratu suo. Hac depulsi ad aliam defensionem se se conuertunt. Aiunt ergo eorum nonnulli, & qui

cum

cum ijs idem ſentiunt Ieſuitæ, præuiſum fuiſſe a Deo fore vt Gentes Christum amplecterentur, quem Iudæi reſpuerunt; ideoque vocatas fuiſſe Gentes, Iudæos vero deſertos. At ne hac quidem via defenſio ſuccedet. Quæro enim qua ratione id Deus præuiderit: an quia efficere ipſe voluit vt prædicatio Euangelij eſſet in Gentibus efficax, id autem noluerit in Iudæis præſtare? An verò in Iudæis atque Gentibus vnam, eandem, & vndique æquabilem virtutem exeruerit cùm in prædicatione externa, tum in interna efficientia Spiritus, diſcrimen verò, quod tantum inter eos interceſſit, vt hæ crederent, illi Christum aſpernarentur, ex ipſis hominibus ſi exortum? Alterutrum enim verum eſſe oportet, neque datur tertio locus. Si prius dicitur, eadem quæſtio recurrit, cur Deus voluerit in Gentibus vim efficacem exerere, quam Iudæis non itidem conceſſit, quandoquidem erant conditione pares. Et erit proculdubio vel in vna Dei voluntate conſiſtendum, quod nos volumus, id autem Arminij cauſam iugulat: vel res abibit in infinitum, vt interrogandi & reſpondendi nullus ſit terminus; quam diſputandi rationem nemo ſanus adhibuerit. Si poſterius, quod Gentes crediderunt, id habent à ſe: id, inquam, quo differunt à Iudæis ( illud autem, Deus bone, quantum eſt, in Christum crediдиſſ... ) ex illis ipſis extitit, non ex Dei gratia. Itaque nihil cauſæ eſt c..r idcirco Deo gratias agant. Quod neſcio an cuiquam os ſit tam durum, tamque ferreum pectus vt exertè pronunciare auſit. Neque hic mihi quiſquam dicat, quod illi nobis oggerere ſolent, grauem Arminij diſcipulis fieri iniuriam, quaſi laudem fidei ſuę aliò quam in Deum tranſcriberent, quia docent, ſcilicet, homines nihil quidquam ſine Dei gratia præſtare potuiſſe. Nam eſto, id doceant; quamquam id ſi faciunt, non videntur eorum placita ſatis aptè inter ſe cohærere. Etenim ſi abſque Dei gratia nihil boni facere poſſunt, abſque Dei gratia foret, iniecta illis eſſet peccandi neceſſitas prorſus ineuitabilis. Peccandi autem neceſſitas ineuitabilis, ex eorum hypotheſi, excuſat, vt id ſupra vidimus à diſputatore noſtro penè ad rauim vſque fuiſſe ingeminatum. Quippe peccandi neceſſitas, ſi ijs credimus, tollit libertatem: peccatum autem non liberè admiſſum, peccatum amplius non eſt. Itaque vel abſque Dei gratia aliquid boni facere potuimus, quod ne Pelagius quidem aſſeruit, vel ſi nullam Deus gratiam indulſiſſet, omnino non peccauiſſemus. Porrò qui non peccat, non debet damnari. Quamobrem vel imprudenter admodum, vel vt illi intrepidè in alio argumento pronunciare ſolent, tyrannicè & ſupra modum crudeliter nobiſcum eg.. Deus, qui

gratiam nobis obtulit. Nam si nullam obtulisset, nullum impendisset à peccato periculum, quando aut nullum futurum peccatum erat, aut futurum erat excusatione dignum. Oblata autem gratia in periculum incidimus, tam graue primum illud, vt si gratia respuatur, causam condemnandi pariat iustam ac vehementem, & quam horribile sequitur exitium: & præterea tam anceps atque lubricum, vt ne à multesima quidem hominum parte deuitetur. Quanto ergo nobis melius fuisset si de indulgenda illa perniciosa gratia nunquam cogitasset! Verum, inquam, esto; istud ex animo dicant, nihil à se præstari potuisse absque Dei gratia. Attamen gratia illa, quæcunque tandem est, nihil quidquam in ijs ex se præstiterit quod non præstiterit etiam in Iudæis incredulis & contumacibus. Nam quod commune est & æquabile, paria efficacitatis momenta habet. Quod ergo discrimen est in euentu, omnino aliunde quàm à causa illa communi esse debet. Habuerũt igitur omnes, ex eorum sententia, posse credere si vellent, ipsum velle credere, quod ijs demum credere est, in ea comparatione habebunt à semetipsis & à voluntaria arbitrij sui determinatione. Iam autem in eo quod potes credere si vis, pene nulla laus est: ô credere in laude vnum ponitur. Tum salui futuri non sumus ideo quod credere potuimus, sed ideo quod credidimus actu. Laudi ergo & fidei præstitæ, & salutis per fidem impetratæ homines sibi debent. Quod dogma si vnum esset in Arminij schola reprehendendum, vsqueadeò gloriæ Dei inimicũ est, vsqueadeò ab ipso conscientiæ sensu alienum atque abhorrens, vt animus vera pietate vel mediocriter tinctus id refugere debeat & non sine aliquo horrore auersari. Hic autem non repetam quod iam alibi obseruatũ est, ne concipi quidem animo posse quomodo Deus præuidere potuerit futurum fuisse vt Gentes crederent, Euangelium verò à Iudæis recusaretur, quoniam id cùm natura sua, ex hypothesibus Arminianis, incertum esset atque contingens, non potuit verè cognosci nisi incertè & contingenter. Illud vnum addam quod non est leuiter prætereundum, eo tempore quo Christus in terram venit, Gentes eas quæ ad ipsius communionem vocatæ & admissæ sunt, melius non fuisse comparatas ad verbi diuini susceptionem, quàm fuerant earum maiores qui vixerant multis ante sæculis. Quid enim vnquam fuit fœdius atque corruptius eo sæculo, quid ad omne genus vitiorum magis proiectum & effrænatum? Potuit ergo Deus etiam præuidere fore vt illi verbum suum admitterent & amplexarentur, id si curaret ijs annuntiandum. Quænam ergo causa fuit quamobrem

eos

eos sit passus per tot sæcula à scopo aberrare? Et quænam est illa in Deo varietas, vt voluerit Christum tam sedulo tantaque diligentia atque instantia Iudæis offerri à quibus eum certò prospiciebat iri contemptum: Gentium verò mentes tam commodè constitutas voluerit ea vocatione destitui, cui præuidere potuit eas esse haud dubiè parituras? Quasi iussisset solem suum super cæcos exoriri, eos vero qui oculis aliquantulum à natura valent, consenescere in locis abditis atque subterraneis, in quibus nulla lux alia fulget quàm quę per rimas exiguas malignè delapsa caliginem dispellere non potest. Quod si quis eorum hic dicat, quod Arminius nonnunquam, & post eum *Arnoldus* facere cogitur, non omnium rerum rationem reddi posse, *multa latere in arcanis diuini consilij* quæ nobis euoluere & introspicere non licet; Christum ipsum testari Tyri & Sidonis incolas, quos tamen Deus aliter quàm naturæ voce non compellauit, credituros fuisse si eius miracula vidissent, quæ tamen à Capernaitis, in quorum conspectu patrata sunt, pro nihilo ducebantur, pessimè sanè isti causę patrocinabitur. Primum enim si multa sunt in diuino consilio abstrusa atque recondita, de quibus ratio neque reddi potest neque verò inquiri debet, cur Caluinum reprehendunt quia causam istius varietatis in dispensatione diuina ex vna Dei voluntate petendam esse docuit? Cùm nulla causa discriminis in hominibus appareat, cùm denique Scriptura Sacra tam apertè clamet nullam esse alibi quam in liberrima Dei misericordia quærendam? At illud postea latiùs. Deinde qui sic loquetur Christi mentem haud intellexerit, qui noluit quidquam Tyrijs & Sidonijs in eo negotio tribuere, sed vsitata & familiari hyperbole plusquam saxeam illam Iudæorum duritiem exaggerare. Sic enim loqui solemus cùm animi rigorem placabilitatis nescium alicui exprobrare volumus; Tot precibus, tot lacrymis Scytharum truculentiam & immanitatem inflexissem; tu verò haud aliter manes immotus

*Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.*

Sic discipulorum indiligentiam atque tarditatem castigare solent. Non equus, non mulus, non asinus, non stipes, non denique paries ipse est æque indocilis & ineptus ad disciplinas percipiendas. Quibus verbis siquis aut equis aut stipitibus docilitatem aliquam tribui putat, næ ipse stipes est & quouis caudice hebetior. Rem illam Caluinus in disputatione de libero arbitrio, sic eleganter expressit. Va- »
leant, inquit, ineptæ illæ cauillationes: cùm euidenter constet non »
aliud voluisse Christum tali loquendi genere, quàm siquis hodie sic »

„ loquatur: neminem esse Turcam tam durum rebellemque Deo, aut „ tam à pietate auersum, qui non iam olim fractus fuisset, si ea legisset, „ audiuisset, vidisset, quibus tamen non potuit corrigi Pighius. Et eo- „ dem modo Chrysostomus τὰ Σόδομα αὐτοῖς οὐχ' ἁπλῶς προτίθησιν, ἀλλ' αὔξων τὴν κατηγορίαν. καὶ γὰρ μεγίστη κακίας ἀπόδειξις, ὅταν μὴ τῶν ὄντων, ἀλλὰ καὶ τῶν πώποτε γενομένων πονηρῶν φαίνωνται χείρους ἐκεῖνοι. Atque ad eam rem affert præter alia exempla, ista verba Ezechielis, *Iustificasti sorores tuas peccatis tuis*. Verum quid opus est tot verbis vbi litem Apostolus tam apertè decidit? Gentium omne genus appellat oleastrum: Ecclesiam Iudaicam quicum Deus fœdera pepigerat, oleam. Iudæos a communione fœderis propter incredulitatem eiectos, ramis ex olea defractis comparat; Gentiles ad cognitionem Christi vocatos confert cum surculis oleastri oleæ insitis. Illorum defractionem & excisionem seueritati Dei tribuit: horum insitionem lenitati. Illos habere contendit quod sibi imputent; nempe commeriti sunt vt exscinderentur: hos vnde glorientur habere negat. Potuitne ergo dicere disertiùs reiectos quidem fuisse Iudæos iusto consilio: Gentiles tamen vocationis suæ nullam aliam causam agnoscere debere præter vnam Dei benignitatem? Nam id si vel ob arcana merita vel ob fidei obsequium præuisum, vel ob istiusmodi quidquam accidit, cur non illis gloriari liceret? Et cùm gloriatio illa quam Apostolus tam seuerè interdicit, nihil aliud sit quam opinio alicuius excellentiæ ob quam Gentes Deus Iudæis antetulerit, cur eos Apostolus gloriari vetat, siquid boni in ijs fuit præuisum, quod supra Iudæos excelleret & emineret? Nonne illis licuit & sentire & dicere quod verum erat, scilicet, successisse se in excisorum locum, quia vel sic promeritæ erant occultis quibusdam rationibus, vel Deus præcognouit fore, quæ erat in illis ad fidem dispositio, vt statim truncum comprehenderent & succum libenter ducerent ex olea vitalem? Alterum ergo illud pariter concludimus, causam discriminis quod eatenus fuit inter Iudæos atque Gentiles, in vna Dei voluntate liberrima ponendam esse. Iam tertium expendamus.

Chrysost. In Math. 11. 24.

Quæritur de Gentibus, cùm eas Deus ad Christi communionem Euangelica prædicatione vocare decreuerit, certumque sit & ab initio multas esse præteritas, & etiamnum quamplurimas de Christo nihil vnquam fando quidquam audiuisse, quæ sit huius itidem ratio & vnde petenda discriminis? Id autem accidisse diuino consilio probatione non eget apud Christianos. Nam si ne passerculum quidem in terram inconsultò decidere patitur, tantamne rem permitteret arbitrio

arbitrio fortunæ? *Si*, vt inquit Psaltes, *flumina vertit in desertum & venas aquarum in loca siticulosa, & terram frugiferam in sterile solum*, &c. non peculiari quadam cura ea quæ pertinent ad Euangelij prædicationem & illuminationem populorum administrabit? Neque sanè quod memorat Lucas Actorum 16, Paulum & Silam peragrata Phrygia & Galatica regione, prohibitos fuisse à Spiritu Dei ne in Asia Euangelium prædicarent, ac rursus Bithyniam cogitantes Spiritus ductu atque imperio in Mysiam primum atque Troadem, deinde in Macedoniam descendisse, eò tantùm pertinet vt ne quid omitteretur quod esset in historia memorabile. Res illa aliò respexit, & significauit missos quidem esse Euangelij præcones, vt quantum in ipsis situm est, omnes omnino mortales inuitent ad Christi participationem. At negotium tamen geri diuino consilio, quo omnes seruorum suorum motus & conatus Deus sapientissimè gubernat & moderatur. Neque id Arminij asseclę apertè negare audent, ratiunculas tantùm obtendunt quibus efficere nituntur id nihil pertinere ad doctrinam de absoluto decreto confirmandam. Atque hîc præter illas quæ iam à nobis supra refutatæ sunt, duæ inprimis venditantur. Aiunt ergo primò quod nondum omnes populi Christi vocem audiuerunt, non tam esse ad absolutam Dei voluntatem referendum, quàm ad hominum ac præcipuè ministrorum Euangelij culpam, qui si zelo gloriæ Christi arderent prout decet, non paterentur nationes ab eo alienas tamdiu in tenebris ignorantiæ iacere sepultas atque neglectas. Deinde addunt, tametsi hominum Christianorum socordia multi mortales intereant, quos verbi diuini salutari præconio excitare, & ab interitu, quoad eius id ab illis fieri potuit, liberare debuerunt, tantam esse Dei benignitatem vt neminem absolutè deserat, quin illi explicet ob oculos admirabilem mundi librum, in quo si non maiusculis, saltem non ita obscuris, perplexis & fugientibus characteribus summam suam benignitatem expressit, vt non possit ipse se se, si velit, ab ignorantia vindicare. Atque hîc vsqueadeò magnificè se se iactant, vt pene triumphare videantur. Non est tamen cur ideo tantopere glorientur tanquam de re benè gesta. Nam ad prius illud quod attinet, non, opinor, Paulo & Silæ vitio dauri sunt quod Euangelium in Asia certo quodam tempore non prædicauère. Id enim non fecerunt vlla socordia, vllaue muneris & officij sui neglectu, sed quia sic eis à Spiritu Dei, cui obtemperare oportuit fuerat interdictum. Id ergo ad Dei voluntatem referendum fuit, non ad culpam hominum. Tum, ni fallor, etsi neque ora-

Ps. 107

culo id Spiritus interdixiſſet, neque Apoſtolos arcano quodam motu vel retinuiſſet vel impuliſſet, ſed rem omnem eorum permiſiſſet arbitrio, duodecim homines paucis quibuſdam Euãgeliſtis comitati, orbem terrarum tanta celeritate peragrare non potuerunt, quin illis neceſſe fuerit infinita prope loca atque adeo nationes integras, & regiones latiſſimè patentes omittere, ad quas momento temporis peruenire non potuerunt. Cum præſertim & eſſent in fundandis Eccleſijs occupati, & varijs difficultatibus impediti, & ſubinde vinculis detenti, perſecutionibus coerciti, ac diſcidijs quibus Eccleſia in ipſis veluti cunabulis exercita fuit, auocati atque diſtricti, quominus Chriſti nomen tam latè per orbem terrarum diſſeminarent. Quæ impedimenta ſanè quia ipſi non quęſiuêre, ſed obiecta illis fuêre per Dei prouidentiã, aut inuitis ijs ab hominibus Chriſti hoſtibus extiterunt, viris ſanctiſſimis citra grauem iniuriam vitio verti non poſſunt. Huc accedit (quod mihi videtur obſeruatu digniſſimum) immane quanta differentia quæ inter munus Apoſtolicum & reliquorum Paſtorum intereſt. Nam illi certè nulli loco adſtricti fuerunt, & quà patet vniuerſus orbis, eò munus Apoſtolorũ pertinebat. Atque ad eam tantã legationem cum fructu obeundam donis extraordinaris inſtructi erant; vt eſt vis patrandorum miraculorum, facultas loquendi quaſuis linguas expeditè, & ſiqua ſunt alia iſtiuſmodi, quorum admirabilitate viam ad omnes nationes ſibi muniebant & aperiebant. Nos & ordo Eccleſiæ, cuius ipſe Chriſtus auctor eſt, glebæ cuidam affixit quã pro viribus excolamus, & donorũ præ illis exiguitas agello contentos eſſe iuſſit, quia latifundijs illis nomine Chriſti conferendis pares eſſe nequimus. Id autem ſanè non exiſtimo mihi laudi futurum eſſe ſi Spartam quam nactus ſum, quamque exornare pro virili debeo, omittam, vt excurram in longinquas terrarum oras, functurus pro animi libidine Apoſtolorum illa vaga & indefinita vocatione. Cùm præſertim hîc apud meos aliquam operam Eccleſiæ nauare queam fortaſſe non inutilem, nihil autem neque facere neque dicere poſſim inter Indos & Garamantas. Denique, etſi nolumus Chriſtianos hac in parte penitus excuſare, neque negamus & eos qui ſeſe Theologiæ peculiari ſtudio addixerunt, debuiſſe aliquanto maiore zelo feruere, & Principes, penes quos eſt rerum humanarum poteſtas, in culpa ideo eſſe aliqua quod auctoritatem ſuam ad eam rem non adhibuerunt, vt Theologis ad nationes barbaras aditus aliquis pateret, non diffitebuntur tamen Arminij diſcipuli Dei prouidentiam hic interueniſſe. Vnde enim ille zeli ardor niſi à Deo? Vndè ille Principibus

cipibus animus nisi ab eius instinctu? Reuertetur ergo semper eadem interrogatio, quî factum sit vt hactenus istam mentem hominibus non indiderit, cur isto denique potius quam illo tempore studio propagandæ veritatis & salutis hominum procurandæ Principum & Theologorum animos sit inflammaturus. Et cum hinc Lusitani, inde Batauì commercij causa longas nauigationes ad vtrosque Indos postremis hisce sæculis susceperint, illi autem vel nullum omnino religionis christianæ semen inter istos populos sparserint, vel multo eoque pestifero lollio permistum; hi puro Christianismo hominum animos imbuere tentauerint; quid causæ fuit cur non multo ante nouus orbis innotesceret, aut cur potius ad hanc quàm ad illam oram appellerent quibus sincerum aliquod studium fuit nominis Christi in illis regionibus notificandi? Quando igitur eius rei causa in nationibus istis ab omni vera Dei notitia & cultu humanitatis alienis reperire non est, quid restat quam vt in eo summā Dei libertatē agnoscamus? Alterum quod ab ipsis dicitur nolumus ipsi per nos refellere, Caluinum ipsum qui respondeat, vt supra fecimus, introducamus. Sic enim præter ea quæ supra vidimus, loquitur in Act. 14. 17. 18. *Non tamen sine testimonio.* Tollunt hîc Paulus & Barnabas Gentibus ignorantiæ prætextum. Quantumuis enim sibi in proprijs figmentis placeant homines, tandem erroris conuicti ad hoc asylum confugiunt, nullam sibi debere culpam imputari, sed Deum potius fuisse crudelem, qui ne sibilo quidem reuocare dignatus sit quos perire cernebat. Hanc friuolam obiectionem Paulus & Barnabas anticipant, cùm admonent Deum ita latuisse vt testimonium interea sibi ac suę diuinitati redderet. Videndum tamen quomodo hæc duo inter se conueniant; nam si de se testatus est Deus, non passus est quantum in se erat, mundum errare. Respondeo genus hoc testiminij, cuius fit mentio, tale fuisse quod homines excusatione privaret, non autem sufficeret in salutem. Verum enim est istud Apostoli, Fide intelligi aptata fuisse verbo Dei sæcula. Atqui fides non ex nudo & cæli & terræ intuitu concipitur, sed ex verbi auditu. Vnde sequitur non posse nisi verbi Dei directione ad saluificam Dei notitiam homines adduci. Neque tamen hoc obstat quominus etiam absque verbo reddantur inexcusabiles, qui tametsi naturaliter luce priuati, propria tamen malitia cæcutiant, quemadmodū docet Paulus primo ad Rom. capite. Et in Cōment. ad cap. 17. 27. *Vt quærerent Deum, si forte palpent eum & inueniant* &c. Duo sunt huius sententiæ membra: nempe quod hominis officium sit Deum quærere: deinde quod Deus

„ ipſe obuiam prodeat, & ſe tam manifeſtis ſignis conſpicuum reddat,
„ vt nulla ſit nobis ignorantię excuſatio. Meminerimus ergo vita hac
„ perperam abuti, & terræ habitatione indignos eſſe quicunque ad
„ Deum quærendum ſtudia ſua non applicant; ac ſi ſingulę brutorum
„ animalium ſpecies ab inclinatione ſibi naturaliter indita deſciſcerent:
„ quod merito monſtruoſum duceretur. Et certè nihil abſurdius eſt
„ quàm vt auctorem ſuum ignorent qui in hunc maximè vſum intelli-
„ gentia donati ſunt. Præcipuè verò notanda eſt Dei bonitas, quòd
„ tam familiariter ſe inſinuat, vt palpari à cęcis quoque poſſit. Quò
„ magis pudenda eſt & minus tolerabilis hominum cæcitas, qui in tam
„ clara & perſpicua manifeſtatione, nullo præſentiæ Dei ſenſu tan-
„ guntur. Quocunque vertant oculos ſurſum ac deorſum neceſſe eſt
„ vt in viuas & quidem innumerabiles diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bo-
„ nitatis imagines incurrant. Neque enim obſcurè ſuam gloriam a-
„ dumbrauit Deus in Mundi opificio: ſed tam illuſtres notas vbique
„ inſculpſit, vt à cæcis quoque palpando agnoſci poſſent. Vnde colli-
„ gimus homines non cæcos modò eſſe, ſed ſtupidos, quando tam præ-
„ claris documentis adiuti nihil proficiunt. Hic tamen ſuboritur quæ-
„ ſtio, nunquid naturaliter ad veram & liquidam Dei notitiam perue-
„ nire queant homines. Innuit enim Paulus nonniſi per eorum igna-
„ uiam ſtare, quominus ſentiant Deum præſentem: quia vt oculos
„ claudant, ipſe tamen ſit quaſi palpabilis. Reſpondeo talem eorum
„ ignorantiæ ac ſtupori prauitatem mixtam eſſe, vt recti iudicij exper-
„ tes, ſine vero ſenſu prætereant quæcunque in cælo & terra gloriæ
„ Dei ſigna palam refulgent. Immo cùm vera Dei cognitio ſingulare
„ ſit ipſius donum, & fides qua ſola ritè cognoſcitur, nonniſi ex Spiri-
„ tus illuminatione procedat, ſequitur ſola natura duce non poſſe il-
„ luc penetrare mentes noſtras. Nec ſane Paulus de hominum facul-
„ tate hîc diſſerit: ſed tantùm admonet eſſe inexcuſabiles, dum in
„ tam clara luce cęcutiunt: ſicuti loquitur primo ad Romanos capite.
„ Quamuis ergo in Deo inueſtigando deficiant hominum ſenſus, nul-
„ lum tamen culpæ prætextum habent, quòd cùm ſe attrectandum prę-
„ beat, manent tamen attoniti. Ac denique in Commentario ad 1. Cor.
1. 21 *Quoniam enim in Sapientia Dei* &c. ſic loquitur. Sapientiam
„ Dei appellat totius Mundi opificium, quod illuſtre ſpecimen eſt ac
„ luculenta demonſtratio ſapientiæ eius. Deus ergo in creaturis præ-
„ clarum admirabilis ſuæ ſapientiæ ſpeculum nobis profert, vt quicun-
„ que mundum & reliqua Dei opera intuetur, neceſſe habeat ſi vel
„ ſcintillam vnam ſani iudicij habet, in eius admirationem prorumpe-
re;

re. Si ab operum Dei intuitu homines ad veram eius notitiam dirigerentur, sapienter Deum agnoscerent, vel naturali & proprio sapiendi modo; sed quia toti mundo nihil ad eruditionem profuit, quod Deus sapientiam suam exeruerat in creaturis, alia via deinde aggressus est ad homines docendos. Sic vitio nostro imputandum est quod saluificam Dei notitiam non ante consequimur, quàm proprio sensu exinaniti. Pulcherrimus locus vnde patet quanta sit humanæ mentis cæcitas, quæ in media luce nihil cernit. Verum est enim hunc mundum theatri instar esse, in quo nobis Dominus conspicuam gloriæ suæ figuram exhibet, nos tamen quum tale spectaculum nobis ante oculos pateat, cæcutimus: non quia obscura sit reuelatio, sed quia nos mente alienati sumus: nec voluntas tantùm, sed facultas etiam ad eam rem deficit. Nam vtcunque Deus palam appareat, non alio tamẽ quã fidei oculo ipsum possumus adspicere: nisi quod tenuẽ diuinitatis gustum concipimus, qui nos reddit inexcusabiles. Omnibus ergo locis omnibus hominibus, ex Caluini sententia, Deus illustrissima suæ bonitatis documenta dedit, atque adeò illius bonitatis, & quæ homines in peccatum lapsos debuit ad Deum reuocare, quæque ideò misericordia appellatur, vt supra vidimus ex Præfatione ad Biblia, & Commentario ad caput primum Epistolæ ad Romanos: & quæ ad legitimum Dei cultum atque reuerentiam deducere debuit, vt ex eodem loco clarum est: & quæ in fiduciam erigit expectandæ misericordiæ, vt supra vidimus ex Commentario ad Romanos, 2. 4. At illa reuelatio tamen non potest esse saluifica, nisi præterea quę per verbum fit, doctrina accesserit: vt quæ sola inuictam eam quæ à natura nobis insidet animi malitiam & pertinaciam vi Spiritus vincere atque perrumpere valet. Quamvis sanè Caluinus non existimauerit homines Naturæ magisterio ad salutem deduci non posse, si eo vterentur, vt loquitur Clarissimus Molinæus alicubi, *quo vsque possunt*, hoc est, quo vsque penetraret recta ratio insitis nequitiæ impedimentis euoluta. Cùm enim *hæc sit vita æterna* atque ipsissima salus, *cognoscere patrem vnum Deum, & eum quem misit, Iesum Christum*, quod notitiam istam post se necessariò trahit, dubium non est quin saluificum dici possit. Quamobrem si minus est in ea reuelatione lucis quã vt siquis illa optime vteretur, eum ad salutem rectâ & sine circuitione perducere queat, citiùs, vt loquitur Caluinus alicubi de Eunucho reginæ Candaces, Angelus è cœlo descenderet, qui eum impertiret luce copiosiore, quàm vt clementissimus & indulgentissimus Pater eum vel in condemnatione mortis, vel etiam

Mol. Anat. cap. 36. § 2.

Ioan. 17. 3.

Comment. in Act. 8. 31.

in æternæ vitæ vestibulo hærere pateretur. Cupidum vberioris cognitionis, & ad meliora sedulò annitentem, benignè subleuaret, & quo quo modo pro ineffabili sua misericordia in certissimam veritatis & immortalitatis viam introduceret. Vt enim iam aliquoties dictum est, qui refractarios & tam patienter tolerat, & tam assiduè sollicitat atque impellit, isne vel frustraret animum lucis cælestis auidum, vel ad salutem sponte sua currentem non adiuuaret & incitaret? Extiterunt ergo semper in operibus diuinis & in eâ patientia ac lenitate qua genus humanum ab initio vsque adhuc pertulit, admodum illustria diuinæ bonitatis argumenta, quæ homines ad pœnitentiam prouocare, & in spem aliquam erigere debuerunt. Quibus argumentis si Gentes olim permotæ essent, atque adeò etiamnum si permouerentur, vti par est, ij quos nondū dignatus est verbi sui præconio, vt est eius sapientia πολυποίκιλος & bonitas planè inenarrabilis, illis ita consuleret vt non haberent cur suam pietatem frustra fuisse iure merito conquererentur. At de eo inter nos & Arminij discipulos non disputatur. Istud tantum quæritur, quum mortalium nemo ijs vnquam rebus eo adductus sit vt verum Deum vero ac sincero cultu coleret, veræque sanctimoniæ ex animo daret operam, quum nemo vnquam aut ipsa re conuersus fuerit, aut vero, quæ est mortalium cæcitas atque pertinacia, conuerti potuerit, quem Deus verbo suo, quocunque tandem illud modo factum sit, non sit alloquutus, quæ causa fuit quamobrem ex hominibus præ alijs alios in eo beneficio conferendo postputarit? Nam salus est ex fide, fides autem ex verbo Dei, quod vnum Spiritus sanctificationis virtus & efficacia comitatur. Maneat ergo tertium illud ita conclusum, huius rei rationem in hominibus inter se comparatis haudquaquam esse quærendam.

Restat quartum. Quandoquidem igitur futurū est vt Israel Euangelij prædicatione ad Christi cognitionem tandem aliquando conuertatur, res autem illa nondum contigit, postquam ab eo tempore quo Israel reiectus est, sexdecim sæcula iam effluxerunt, quæ causa fuit cur eam gratiam huc vsque distulerit, ijsque reseruauerit qui illam sunt olim consecuturi? Nam si hic peccatorum parentum habeatur ratio, quotidie moles illa intolerabilis augescit, nec vnquam Iudæi fuerunt Domino nostro Iesu quàm hoc sæculo infensiores. Si homines propter peccata propria puniri debent, nihil est prorsus quamobrem horum qui nunc viuunt, liberos, nepotes, pronepotes, quàm aliorum meliores fore speremus. Eadem est omnibus natura; idem in omnibus animi rigor, eadem in malo contumacia, quæ odio

atque

atque contemptu quo natio illa premitur per vniuersum orbem terrarum, intenditur atque exaggeratur: nullus denique eorum à gentis vniuersæ ingenio declinauit. Respondent Arminij discipuli duo. Vnum, quod mirum videri non debet si Deus Iudæorum pertinaciam ea ratione vlciscitur. Quando enim Christum non modo reijciunt, sed etiam omni genere calumniarum onerant, & quantum possunt horrendis blasphemijs insectantur, quid iustius esse potest quam vt in eos Deus Spiritum vertiginis effundat? Alterum est quod neque hæc postrema ratio, neque omnes illæ quæ supra productæ atque refutatæ sunt, ab ijs afferuntur quasi ijs se se putarent vel suo vel aliorum ingenio prorsus satisfacere posse. Partiales illæ sunt, inquiunt, causæ duntaxat, non negamus esse posse alias reconditas in Dei consilio, quæ & nos latent & perpetuo latebunt. Hoc tantùm volumus, neminem vnquam absoluto decreto ita desertum à Deo fuisse, quin ei semper ea suppedita sint ad salutis spem media, quibus si benè vsus esset, Deus illos pietatis conatus nunquam auxilio suo destituisset. Vt igitur à priore illa ordiamur, semper ad eundem lapidem eorum offendit oratio. Iustè sic Iudæos puniri quis negat? At quęnam est illa causa cur Iudæorum nepotes aut pronepotes pariter non punientur? Etenim si Deus eos natiuæ cordis duritiei permittit, quis dubitare potest quin lucem Euangelicam refugiāt, & pari odio in Christum incitentur? At Deus franget eorum contumaciam, alioqui vaticinium Pauli vanum esset, & rebelles animos domitos atque subactos trahet in Christi obsequium: nullum erit impedimentum, nulla repugnantia, quanta quanta sit, quam benignitate sua non superet, & quam prædicationis Euangelicæ efficacitate non perrumpat. Aut igitur illi causam aliquam istius tanti discriminis plausibilem saltem atque verisimilem edant, aut pręter eam quæ in liberrima Dei voluntate sita est, nullam esse fateantur. Posterius quod ab illis respondetur nequeo satis mirari. Si fatentur semper aliquid esse in eo negotio quod omnem ingenij humani comprehensionem excedit, quid se se fatigant inutiliter in conquirendis & comminiscendis illis ratiunculis, quæ neque eorum animis neque nostris satisfacere, neque vero cuiusquam vnquam mortalium, cui pietas cordi sit, animum explere poterunt? Cur non iudicia Dei nobiscum adorare malunt, quam inuestigare ea quæ sunt imperuestigabilia, & attingere atque attrectare quæ Deus voluit esse abscondita & ab hominum oculis longissimè remota? Nam si illud vnum quęrunt, neminem perire nisi sua culpa, omnibus obiecta fuisse ea diuinæ bonitatis argumenta

quæ eos in viam reuocare debuerunt, quæque omnem excusationis prætextum tollunt, id sanè habeant, vltro largiente Caluino, nobis verò lubenter consentientibus. Quod vltra petunt, nullum esse decretum absolutum, concedi certè nequit, neque vt sibi concedatur, postulare debent. Absolutum enim nobis consilium est, quod cùm nulla nitatur conditione, nulla re quę ab hominibus aut præstita sit, aut præstari possit, sed ab vna Dei voluntate pendeat, tale est vt neque vllam eius rationem reddere queas, & planè sit fixum atque immotum, donec euentum infallibiliter consecutum sit. Tale autem illud esse consilium de quo nunc agitur, partim experientia, partim ipsius Apostoli Pauli verba disertissima docent. Experientia primum. Etenim quia Deus populum suum abdicauit, neque ad pœnitentiam reuocare decreuit, nisi postquam Gentium plenitudo erit ingressa, Iudæorum animos nulla res hactenus emollire potuit. Semper rigidi, semper præfracti, semper saxei, post tot elapsa sæcula magis ac magis in dies obdurescunt. Nec vlla gens est vsqueadeò barbara atque inculta aut impietate efferata, in qua prędicatio Euangelij, si obtingat alicunde, non plus obtineat obsequij atque reuerentiæ, quàm inter homines illos, tot Dei eloquijs, tot prophetarum vaticinijs, tot incomparabilibus prærogatis olim ornatos & etiam num insolescentes. Vt nemini iam ignotum esse queat, quid sit esse à Deo derelictum & induratum. Apostoli verba etiam. Sic enim ille ad eam rem
Rom. 11.33. exclamat. *O profunditatem diuitiarum & sapientiæ, & cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius! quis enim cognouit mentem Domini?* Frustra, si tanta futura erat vel in Arminio vel in alio quouis homine sapientia, vt huius dispensationis rationem ex arcano eruere, & in oculis mortalium explicare valeret. Nunc ad alia se se conferat disputatio nostra.

CAPVT



# CAPVT XIII.

## *Caluini doctrinam de dispensatione Spiritus, niti verbo diuino. Ac primum Spiritus sancti gratiam non fuisse ijs indultam quibus verbum reuelatum non fuit, ideoque non esse vniuersalem.*

AD alterum iam deuenimus, quod diximus præcipuè in quæstione versari, vtrum vim illam Spiritus quæ sola fidem cordibus ingenerat, Deus voluerit vel omnibus aliquatenus indultam vel nonnullis esse absolutè denegatam. Potest autem illa quæstio in duas partes iterum dispertiri. Cum enim ex populis quos Deus per vniuersum orbem terrarum disseminauit, alios verbi sui præconio dignatus sit, alios vero, vt supra demonstrauimus, pro liberrimo suo beneplacito, vno Naturæ rerum magisterio voluerit esse contentos, de vtrisque disceptatur inter nos & Arminij discipulos, an & quatenus Gratia Spiritus sit illis vel concessa vel denegata. Et de reliquis quidem alius erit disputandi locus: nunc explicandum est quid sit de Ethnicis existimandum, quos Deus verbi sui reuelatione priuauit. Nam Arminij sanè opinio, quamuis in eo negotio sit paulo perplexior & obscurior, sic tamen solet ab eius discipulis explicari. Primùm aiunt etsi forte Deus Gratiam illam Spiritus Ethnicis non indulgeat, quæ per se & immediatè ad fidem in Christum aut deducat, aut deducere queat, non denegare tamen aliquem gratiæ illius vel gradum vel mensuram, qua si rectè vterentur, fieri non posset quin vberiorem eius copiam acciperent, iuxta illud, *Habenti dabitur.* Deinde nequis eos putet esse de alieno liberaliores æquo, gratiæ distributioni moderantur, nec audent affirmare illud, quidquid est, esse in hominum animis habituale; volunt tantùm Deum Spiritus sui efficacia adesse omnibus mortalibus eo momento quo aliquid agunt, aut agendum suscipiunt, vt eorum voluntates liberet ab inuicta necessitate peccandi. Non quidem vt credere possint si velint, sed saltem vt si velint possint ea gratia ita vti, vt ni-

Arnold adu. Molin. cap. 38.

si ea abuterentur, proueherentur vlterius, & copiosore gratia locupletarentur. Atque hic modestiam suam non retinent, scribunt enim Deum TENERI saltem eo pacto voluntates hominum afficere, ni velit incurrere in crimen aut diræ cuiusdam immanitatis, aut saltem fucatæ & simulatæ misericordiæ. Sic volunt gratiam illam quæ non modo extrinsecus inuitat, sed etiam intrinsecus illuminat & impellit ad salutem, esse vniuersalem. Caluinus autem eiusmodi gratiam vniuersalem nullam agnoscit; Cuius sententia si vera est, quin sit aliquod Dei decretum reprobationis absolutum, ambigere nemo potest.

Antequam autem ad rei ipsius accuratiorem explicationem accedamus, si nihil aliud est cur gratiam vniuersalem internam in religionem inuehant, quam quod verentur ne vel alioqui Deus accusari possit alicuius truculentiæ, vel minus seria sit illa bonitatis reuelatio per quam Apostolus fieri ait vt ne Deus dici possit inter barbaras nationes ἀμάρτυρος, inutilem laborem suscipiunt, & quod illis nimis solenne est, se & alios frustra fatigant. Quid enim? Non licuit Deo non redimere genus humanum si crudelitatis crimen effugere vellet? Grandem illi dicam homines scripsissent, scilicet, & feræ cuiusdam diritatis conuicissent, ni dedisset operam vt illis liceret vel salutis esse compotes, vel in exitio suo manere pro arbitrij sui libertate. Cur ergo Christus Patris sui in eo φιλανθρωπίαν tantopere deprędicat? Cur Paulus in eo summam quandam atque incomparabilem charitatem agnoscit? Solemusne id postulare, vt in ijs clementiæ & misericordiæ laus nobis tribuatur, quæ nequiuerunt à nobis omitti citra barbariem? Quod si Deo licuit genus humanum non redimere, potuit etiam haud dubiè, vt superius argumentati sumus, & redemptionem illam, & redemptionis manifestationem, & vim spiritus quæ redemptionem sola applicat, quibuslibet pro arbitrio denegare. Dei sinceritatem, supra ni fallor, ab illis criminationibus sufficienter absoluimus. Quæcunque tandem illa sit inuitatio quæ in oculos hominum incurrit, æque seria esse potest atque sincera, cum ea quæ ferit aures hominum in verbi prædicatione, tametsi Deus nihil quidquam præterea concedat. Eadem enim est illa mens humana quę in verbis auribus corporeis insonantibus obiecta intelligibilia apprehendere ac diiudicare debet, & quæ potest, si eo se se conuenienter appelleret, τὰ μὴ βλεπόμενα in aspectabilibus contemplari; eadem est illa voluntas quam ductum intellectus sequi libenter oportet in persecutione boni, quęcunque sint obiecta in quibus repræsentatur. Quandiu

dia autem manent eæ facultates in homine, quidni seriò illis Deus vel amplectenda proponeret, vel credenda aut facienda imperaret? Si truncos aut stipites alloqueretur, aut si pecudibus opus Naturæ ac Prouidentiæ conspiciendum exhiberet, ex quo documenta haurirent ad virtutem & pietatem, rem non ageret seriò, nisi, quod Christus olim fecit cùm maledixit arbori, vellet in brutis animantibus creaturas ratione præditas erudire. Nam & id nonnunquam ipsi facimus. Veluti cùm Tarquinius summa papauerum capita decutiens, Periander spicas eminentiores vellens, admonuit hic Thrasybulum, *ille filium* quid facto opus existimaret vt summa rerum inter ciues potirentur. Nempe sic Christus discipulos edocere voluit, eos maledictum iri qui fructus non ferrent Euangelio conuenientes. At cùm illi quibus admirabilis mundi machina tanta sapientia, bonitate, patientia ac benignitate gubernata contemplanda proponitur, ijs facultatibus præditi sint à natura quibus in ea disciplina proficere & debeant & reuera possint, nisi mala mens & malus animus prohiberet, quidni dici queant ad eius considerationem atque admirationem seriò inuitari? Nam certè vti lapides eò non possunt seriò inuitari, sic etiam inuitationibus non parentes non peccant. At homines etsi omni virtute Spiritus Dei destituantur, Naturæ ac Prouidentiæ voci non auscultantes grauissimè peccant, & in iustissimam maledictionem incurrunt. Quamobrem afferri nulla ratio potest, cur id quod illis obijcitur, quodcunque est, eis vel maxime seriò offerri non dicatur. Verùm rem propiùs intueamur, ac videamus primùm quænam foret corruptionis humanæ vis & quàm latè patens, nisi eam Dei prouidentia regeret ac moderaretur. Deinde quibus modis Dei prouidentia eam vel cohibeat, vel minuat, vel impediat quominus aut latius serpat, aut effrænatiùs efferatur. Denique vtrum efficacitas illa prouidentiæ Dei quæ citra vllam verbi reuelationem corruptioni hominum modum aliquem statuit, pertineat ad eam Spiritus gratiam quæ per Euangelium indulgetur, quæque vel fidem generat, vel aliquid quod sit eiusdem cum fide speciei, vel, vt volunt Arminij discipuli, vindicat ab ineuitabili peccandi necessitate.

Arist. Polit. lib 3. cap 9.

Et ad primum illud quod attinet, labem eam originalem quam à primo nostro parente hausimus & expressimus, in omnes omnino homines peruagatam esse, & supra ostendimus, & ij quibuscum nobis res est non audent apertè diffiteri. Quænam autem foret illius vis, si Deus habenas prouidentiæ suæ remitteret, satis patet cùm ex Scriptura sacra tum ex rei ipsius experientia. Testatur enim ipse Deus ini-

Geneſ. tio Geneſeos *malitiam hominum eſſe valde magnam , & omne figmen-*
6. 5. & *tum cogitationis cordis humani duntaxat malum eſſe*, idque *ab ipſa ado-*
8. 21. *leſcentia* , atque adeò *omni tempore.* In libro Iobi homo deſcribitur
Ierem. vſqueadeò corruptus & contaminatus, vt ab eo nihil quidquam pro
17. 9. ficiſci queat quod non ſit pariter ſordidum & inquinatum. Ieremias
cor dicit Iudæorum & quorumvis hominum *eſſe peruerſum ac frau-*
Rom. 8 *dulentum ſupra omnia,* Paulus non modò docet *carnem ſe ſe legi Dei*
Gal. 5. *ſubmittere non poſſe, ſed etiam opera carnis eſſe manifeſta, adulterium, ſcortationem , immunditiam, laſciuiam , idololatriam , veneficia , inimitias, lites, æmulationes, iras, concertationes, ſeditiones, hæreſes, cædes, ebrietates ,comeſſationes & ſimilia* Vt nemo dubitare poſſit quin omnes animi facultates infecerit. Nam idololatria atque hæreſis eſt ἐν τῷ λογικῷ τῆς ψυχῆς μέρει. Inimicitiæ lites, cõcertationes & ſimilia, ἐν τῷ θυμικῷ Adulteriũ, ſcortatio, heluatio, & cætera iſtiuſmodi ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, ad quæ duo affectus vniuerſi reuocantur. Detrahe ergo carni laſciuienti Prouidentiæ frænum, & ſtatim videbis in omnibus illis vitijs inſolenter ferocientem & exultantem. Nec vlla penè res eſt quam Apoſtolus docuerit diſertiùs. Nam capite primo Epiſtolæ ad Romanos, ex eo quod Deus Gentiliũ idololatria offenſus eos cupiditatibus tradidit, eueniſſe affirmat vt effræni quadam atque incredibili licentia ruerent in omne genus ſcelerum vſqueadeò tætrorum atque horribilium, vt vix ac ne vix quidem eorum deſcriptio & enumeratio legi queat, quin penitus animus commoueatur & cohorreſcat. Nec ignotum eſt qua ratione Dauid ſceleroſos ſui temporis homines depinxerit. Cæterè memorabilia ſunt illa loca quæ Apoſtolus collegit & in vnum compoſuit ſcribens ad Romanos capite tertio. *Non eſt iuſtus, ne vnus quidem : non eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum. Sepulcrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum vſi ſunt , & venenum aſpidum ſub labijs eorum : Quorum os excratione & amarulentia plenum eſt. Veloces pedes illorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & calamitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. Non eſt timor Dei coram oculis eorum.* Quæ ſi in Pſalmis ipſis leguntur, videbuntur adhuc aliquanto magis atrocia. Quid autem verbis opus eſt? Hic præteribo barbaras illas gentes quas omnis pietatis atque humanitatis neglectus ita efferauit, vt cyclopibus atque adeò feris ipſis truculétiores, quæ in ſyluis & cauernis horrentibus luſtra ſua condiderunt, inuicem ſe ſe lanient, ora ſua humano ſanguine fœdè cruentent, & hominum artubus penè ſpirantibus ſaginentur. Non Scythas, non Maſſagetas, non denique Canibalos ipſos commemorabo. In media

dia Græcia, humanitatis domicilio, in Italia, quæ Iustitiæ ſacrarium videri voluit, in ipſa Iudæa denique, in qua ſola verus Dei cultus veraque pietas florebat, prô Dei atque hominum fidem! quæ portenta ſcelerum extiterunt? Vt non minus verè quàm ingenioſè ac eleganter poëta neſcio quis dixerit, ſiquis daret intueri *Abdita cæcū penetrale mentis, Cerneres miris variata formis Monſtra, non magno ſtabulare in antro Plura quàm terris ferat in remotis Nilus & Ganges, Libyaque ſæuis Fœta portentis, latebriſque nigris Caucaſus horrens.* Nam iniurioſus certe fuit in ſexum muliebrem Simonides, qui fœminas alias è cœno, alias è vulpe, alias è cane, alias e procelloſo mari fictas, formatas & eductas cecinit. At iniuria in eo poſita fuit, quod mulieribus peculiarem eſſe voluerit rem omnibus mortalibus communem. Vt nihil ſit in rerum natura tam tætrum quod moribus non referant. Neque hîc quiſquam ſibi blandiatur quaſi monſtra illa tam numero rara forent quam aſpectu horrenda, in reliquis verò mortalibus corruptio illa multo mitior eſſet, & emendatu facilior, ſiquis paulo diligentius animum ad meliorem partem applicet. Nam ſcimus quidem multorum vitam etiam inter Ethnicos excuſabiliorem fuiſſe quàm vt iſtiuſmodi portentis accenſeri debeant. At quod in eorum moribus viſum eſt melius atque tolerabilius, id ab efficacitate aliqua Prouidentiæ diuinæ fuit, vitium quod à natura nobis inſidet, æquabiliter futurum erat in omnibus malorum ferax ſi Deus naturam humanam ſibi ab omni parte permiſiſſet. Quod etſi alibi à me euidenter demonſtratum eſt, cauſa eſt idonea cur hîc iterum confirmetur. Ac primum quidem pondus proculdubio magnum habet, quod nulla ratio reddi poteſt quamobrem vlla ſit inter homines eâ in re ab ipſa natura diſparitas. Nam ſi peccatum originale ideo in quemque influit quia primum peccatum actuale primi hominis debet omnibus eius poſteris imputari, imputatur autem quia in eius lumbis eramus cùm peccauit, cùm omnes ex æquo in eius lumbis fuerimus, neceſſe fuit vt pariter in omnes ex æquo peccatum originale propagaretur. Ex æquo, inquam, non tantùm quia nemo ab eo immunis eſt, ſed etiam quia non eſt in hoc maius in illo verò minus à natura. Si autem nulla alia eſt propagandi peccati ratio quàm quæ ſupra à nobis ex Caluino commemorata eſt, nimirum quod ex radice putrida nonniſi putridi ſurculi enaſci ac ſuccreſcere potuerunt, ſepone Prouidentiæ Dei efficacitatem, Adamus liberos gignere non potuit ſeipſo meliores, nec minus corrupti ab illis progeniti fuerint, neque ex illis nepotibus pronepotes incontaminatiores procreari potuerūt. Quod

Buchan Baptiſt.

Simonides apud Stob.

ſiquis dicat conſentaneum eſſe vt qui à fidelibus generati ſunt, cæteris ſint aliquanto puriores, vt non repetam quod ſupra Caluinus ex Auguſtino docuit aduerſus Pelagium, non gigni liberos à fidelibus ab ea parte quâ fideles ſunt, ſed quâ ex Adami ſanguine ſunt creati, id erit extra rem. Diſputamus enim de eo quod natura fieret, ſi nulla Dei actio in eo negotio interueniret. Iam autẽ ſanctificatio fidelium opus eſt prouidentiæ Dei eximium & ſingulare. At Paulum Apoſtolum audiamus. Ille igitur eo loco in quo Gentilium effuſam atque profligatam ad omne genus horrendorum ſcelerum nequitiam deſcribit, ait id ita eueniſſe vt ad malum effrenatiſſimè ruerent, quia Deus eos tradidit cupiditatibus cordis ſui & in mentem reprobam dedidit. Quod eorum vita antequam ita deſererentur aliquanto tolerabilior fuit, efficientiæ alicui prouidentiæ tribuendum eſt, quia ſimul atque ſe remiſit, haud ſecus ac rupto aggere aqua ſeſe dat præcipitem in decliuia, ſic obice remoto natiua malitia ad omnẽ nequitiam ſoluta eſt. Seiunge ergo animi cogitationem ab ea prouidentia quæ vitium illud naturale cohibet, & nullam planè videbis inter homines hac in parte differentiam. Idem Apoſtolus vbi loquitur de Iudæis, poſtquam loca illa Dauidis contexuit quæ ſupra à me allata ſunt, hęc verba pronuntiat. *Scimus autem quod quæcunque lex dicit, his dicit qui in lege ſunt, vt omne os obturetur.* Certè multi fuerunt pij inter Iſraelitas, multi item qui ſi verè pij non fuerunt vitam tamen agere videbantur in quam illa deſcriptio non vſquequaque competebat. Aut igitur Apoſtolus videtur eſſe non admodum conſideratè locutus, qui tremenda iſta fulmina in vniuerſam nationem Iudaicam iaculatus eſt, aut id voluit à lectoribus intelligi, cunctos eſſe natura ſua procliues ad omne nefas, cunctos futuros fuiſſe tales quales ijs locis depinguntur, niſi vis aliqua prouidentiæ Dei naturæ impetum vel repreſſiſſet vel etiam ſanctificaſſet. Et quia Paulus vniuerſum genus humanum ſolet in duas veluti claſſes diſpeſcere, Iudæos atque Gentiles, poſtquam vtroſque ſic ornauit ex ſuis virtutibus, nemini dubium reliquit quin idem de omnibus hominibus eatenus exiſtimaret. At vt ne vmbram quidem iuſtæ dubitationis reſiduã faceret, initio capitis ſecundi eiuſdem Epiſtolæ ita loquutus eſt. *Quapropter inexcuſabilis es ô homo, quiſquis es qui iudicas. Nam hoc ipſo quod iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim facis tu qui iudicas.* Quæ verba diuersè quidem accipiuntur; at quomodocunque accipiantur, ad argumentationis noſtræ vim nihil intereſt. Nam ſi per illud, πᾶς ὁ κρίνων intelligas eos penes quos eſt ſumma rerum poteſtas, vt Oecumenius fecit, & Chryſoſtomus & alij, non impera-

Rom. 3. 19.

tores tantùm, qui Apostoli tempore sanè hominum fuerunt perditissimi, sed & grauissimus & amplissimus ille Senatus vrbis Romæ, & Catones atque Africani, & Metelli & Nasicæ, qui flos ipse virtutis atque nobilitatis putabātur, in eodem censu cum profligatissimis nebulonibus hîc ponuntur ab Apostolo. Non enim hic Romam considerat solùm postquàm Respublica in vnius potestatem concesserat, sed etiam qualis erat cùm publico consilio gerebatur. Si vero intelligas Philosophos, & viros virtutis existimatione præstantes, tam Græcos quàm Romanos, quæ fuit Bezæ & aliorum interpretatio, neque Plato neque Cicero, neque alij qui Curios simulabant, vitare poterunt quin vixisse Bacchanalia cum cæteris ab Apostolo iudicentur. Sin potius cum Luthero, Toleto & alijs existimes in his verbis Apostolũ orationem suam ab Ethnicis ad Iudæos conuertere, atque ostendere quidquid sit discriminis à Deo inter eos per verbi sui reuelationem constituti, parem tamen omnium esse propensionem ad flagitia quæ ab ipso capite præcedente commemorata sunt, obtineo quod volo; Iudæorum omnium natura per se ac seorsim considerata exæquatur cum natura Gentilium, quam peccato funditus occupatam ac penitus contaminatam esse euicimus. Si denique, vt Caluini opinio fert, in vtroqne genere tam Gentiliũ quam Iudæorum χρήστοι appellantur ij qui virtutis opinione præstabant, vt inter Ethnicos Philosophi & qui Philosophis dabant operam; inter Iudæos Pharisæi, & qui iustificationem ex lege per opera sectabantur, potestne Apostolus clarius dixisse nullam esse inter homines à natura differentiam, quidquid illud est quo inter se discrepant, vel esse inanem hypocriseos laruam, vel ab vna Dei seu gratia seu prouidentia promanasse? Nec sane mediocrem emphasim ad eam rem habent illa verba quibus vniuersam de Iustificatione disputationem auspicatus est. *Reuelatur ira Dei è cœlo in omnem impietatem & iniustitiam hominum veritatẽ in iniustitia detinentium*. Nam in eo esse hypallagen, vt ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν ἀνθρώπων, positum sit pro ἐπ' ἀσέβειαν πάντων ἀνθρώπων, & viri docti obseruauerunt, & res manifestò indicat. Vt erat Apostolo consilium vniuersalem hanc disputationis suæ conclusionem efficere, omnibus hominibus, nemine excepto, incumbere maledictionem ineuitabilem, nisi confugiant ad salutem quam Christus morte sua peperit, atque idcirco vnam obtinendæ iustificationis viam apertam esse in Christi fide; sic necesse habuit constituere pro disputationis fundamento, neminem esse mortalium qui maledictionem illam non sit commeritus. Quandò igitur cunctos esse maledictionem comme-

ritos eo argumento demonstrat, quod vbi Deus naturę humanæ impetum non cohibuit, effudit se ad omne genus obcœnitatis, furoris, atque petulantiæ, nonne dicit apertè omnibus idem esse à natura vitium, eandem libidinem, audaciam, cupiditatem ęque indomitam atque effrænatam? Rem paucissimis sed significantissimis verbis conclusit Ieremias, quæ supra sunt à me relata. עקב הלב מכל ואנוש הוא *Cor fraudulentum est supra omnia, atque insanabile & distortum* &c. Vel enim Propheta de Iudęis loquitur, vel quæ sit cõmunis omnium hominum natura, tradit. Posterius autem illud id ipsum quod intendo, confirmat: Et prius aliquanto luculentiùs. Nam si de Iudęis inter quos vnos Deus veram pietatem veramque virtutem incomparabilibus institutis sanxit, ea prophetæ sententia est, quodnam eius de reliquis hominibus iudicium fuisse putandum est? His ita constitutis videndum est quibus potissimum rationibus Deus ebullientem illam & exundantem ἐπιθυμίαν rexerit atque continuerit, ne licentiùs euagaretur. Nam ni prouidentię suæ aggerem opposuisset, haud secus atque eluuio aliqua orbem terrarum ita prorsus inundasset, vt ne inferorum quidem facies tætrior futura fuerit atque horribilior. Illius igitur efficacia pependit ex rerum duplici genere, externarum scilicet & internarum. Et internæ quidem possunt ad duo capita reuocari. Vel enim consistunt in ijs rebus quibus ipsa hominum in vtero conformatio & corporis temperatio gubernatur: vel in ijs quæ geruntur in eorum animis vbi adolescunt, & vim intelligentiæ, quæ nobis à natura insidet, explicare incipiunt. Et prius illud quidem quantum momentum habeat ad mores hominum instituendos, nemo est qui ignoret. Nam ij in quibus succus sanguineus abundat, solent ad libidinem esse procliuiores; bilis iracundos efficit, pituita lentos atque somnolentos & patientiores iniuriarum; at melancholicus humor si subito non inardescit, flammam conceptam retinet diutiùs, & vbi paulo vehementiùs efferbuit, reddit homines in inimicitijs pertinaces ac truculentos. Quæ Galenus suo more fusiùs ac diligentiùs libro ad eam rem peculiariter destinato executus est. Duo sunt igitur in eo negotio in quibus Prouidentiæ diuinæ efficacitas præcipuè sese exerit. Prius est quod in humorum mixtura atque temperamento eam procurationem adhibet, vt in hoc sanguis, in isto bilis, in illo verò tertio vel phlegma vel melancholia cæteris præualeat; quo fit vt quæ cum tẽperamento suo consentiunt libentiùs amplectatur ijsque firmiùs adhæreseat. Et virtutũ quidem ea est natura vt sibi mutuas veluti tradant operas ad nascendum, & augescendum, &

agendum conuenienter, prout cuique suum est ingenium. At vitia contra inter se pugnant, nec se se inuicem possunt in eodem subiecto sæpenumero tolerare. Vix enim est vt vnus idemque sit prodigus & parcus nimiùm, nec solent ingenia plus æquo austera atque tristia mollescere delicijs & corporeis voluptatibus diffluere. Quod si duo vitia haud satis inter se natura congruentia vnum enundemque hominem occupent atque in eo dominentur, quasi dæmones inter se colluderent, & cedunt & redeunt per vices, vt seruiant suis quodque temporibus imperturbata. Quod veteres obseruarunt in Demetrio illo qui Poliorcetes nominatus est, quo in bellis gerendis nemo acrior, in rebus aduersis nemo excitatior ac vigilantior, vt eum ambitio stimulabat: qui tamen in rebus secundis luxu perditus omnes alios insolentia, petulantia, & fœdis libidinibus superauit. Nec sanè vel vitæ nostræ conditio vel rerum humanarum natura patitur vt vnus idemque homo sit ad omnia vitia pariter & ex æquo deditus ac intentus. Deus igitur cui societatis humanæ conseruandæ cura est, horrendam illam malorum lernam ita moderatur, ut quisque ijs rebus se se præcipuè dedat ad quas naturæ sponte, & temperamenti quadam inclinatione vergit. Alterum illud est, quod non modò Deus, vt prudens & peritus aquilex, luis illius fontem in varios riuos pro sapientia sua diduxit, sed inditis quibusdam virtutum moralium seminibus miscuit ita atque temperauit, vt in nonnullis & repressus sit cupiditatis impetus, & animus ipse ad præclara facinora erectus atque excitatus. Inde illa εὐφυΐα πρὸς τὴν ἀρετὴν de qua mentio est apud Aristotelem, & quam Solon in Pisistrato egregiam agnouit, auctore Plutarcho; inde igniculi virtutum ab ipsa natura insiti, vt est apud Ciceronem: inde illa incredibilis ad grauitatem & constantiam animi propensio quam Catoni à natura tributã esse idẽ Cicero dixit; inde lutum illud melius ex quo præcordia quibusdam esse à Titane ficta poeta prædicauit; inde denique omnes illi generosi motus & ardor quidam ad pulcherrima quæque in eo genere capessenda, qui in pluribus Ethnicis ab ipso ortu emicuit, & penè ad mirabilitatem vsque inclaruit augescendo. Et quæ fuit in hominibus sic diuersimodè formandis, eadem in ijs adolescentibus regendis, flectendis, ac moderandis Prouidentiæ diuinæ cura extitit. Vis enim ea diuinæ mentis cuius arbitrio omnia subiecta sunt, se se præcipuè exeruit in mentibus humanis occultis quidem & quæ captum nostrum superant, sed certissimis rationibus afficiendis, vt non aliò se se admouerent quàm quo eius motione impellerentur. Triti sunt atque triuiales illi Ho-

meri verſus,

> Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
> Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Nec dici quidquam commodius potuit quam quod legitur alicubi apud Plutarchum, ſubitas & inopinatas vel Mineruæ vel aliorum Deorum apparitiones, quibus hîc Achilles illic Agamemnon ira incitati, & ſæuius atque atrocius aliquid meditantes, ad ſaniora conſilia rediguntur, eſſe veluti Prouidentiæ emblemata, quæ meliores cogitationes hominum animis inijcit, quam quæ ab inſito vitio ſuggeruntur. Vt patiatur quidem nonnunquam illa mentes humanas violentis perturbationib⁹ efferri at retineat ſemper tamẽ imperiũ quod in homines obtinet, cuius efficientia vel languentes incitat, vel mitigat ardentes, vel exultantes comprimit, vel refrænat ferocientes, vel horſum ſponte ſua propendentes aliorſum inflectit, vel denique laſciuientes & huc illuc temerè abreptos in gyrum rationis cogit atque compellit. Atque ad id acceſſit rerum externarum ſapientiſſima diſpenſatio. Sic enim ſumus à natura comparati, vt non bruto & ſui neſcio impetu impellamur ad agendũ, quomodo grauia, vt ſupra diximus, motu naturali ad centrum rapiuntur, aut veluti pecora quib⁹ motuum & appetituum ſuorum nulla ratio conſtat. Facultas intelligendi, quo præſtantiſſimo munere à Prouidentia tributo, cæteris omnib⁹ naturis antecellimus, & mouetur ab vtili, vel iucundo, vel honeſto, & rebus illis commota reliquas facultates & appetitus animi proinde ciet, vt ipſa cepit agendi impetum ab obiectorum impulſione. Deus igitur, quæ eſt ipſius infinita potentia pariter ac ſapientia, res ita ſemper adminiſtrauit, vt in his argumenta ducta ab vtili, in illis obiecta quæ iucunda videbantur, in alijs denique res quæ ſpeciem aliquam honeſti præ ſe ferebant, & retuderint atque coërcuerint peccandi libidinem, & igniculos magis ac magis exſuſcitarint quibus ad aliquod virtutis ſtudium à natura incendebantur. Nam verum quidem eſt quod à pluribus exiſtimatur, eorum pleroſque qui inter Ethnicos virtuti operam dare videri voluerunt, reliqua ſua vitia compreſſiſſe ac præfocaſſe, vt vni cuipiam liberiùs indulgerent. Nec quidquam aut fuit olim aut etiam nunc eſt frequentius, quam vt ſub ſpecie vel pietatis vel virtutis homines inani gloriæ inſeruiant, & auram popularis approbationis aucupentur. Quibus ſi detraheretur perſona, res ipſa oculis exhiberetur, videres animi cupiditates non à virtute vel pietate domitas, ſed vni cuipiam præpotenti vitio parentes tantùm, donec aliqua data porta ruant, & remoto vel excuſſo

cusso iugo in patentem ac liberum peccandi campum effundantur. Verum est itidem quod alicubi Augustinus tradidit, Gentilium præclaras illas virtutes, quæ in scriptis veterum tam magnificè deprædicantur, fuisse peccata honesti quadam externa specie veluti incrustata, quæ si paulo penitiùs excutias, vitium pro virtute facile dilucebit. Nam nulla sane vera virtus est quam vera Dei cognitio non peperit, quæque non tota tendit ad eius gloriam illustrandam: quarum rerum in vita Gentilium nulla vestigia. Vix tamē in animum induxerim omnes Ethnicos in virtutis studio nullam planè recti ac honesti rationem habuisse, sed soli gloriæ sui nominis esse velificatos. Quantacunque fuerit illa, quæ sanè longe maxima fuit, vitæ & opinionum corruptio quæ Gentes verbi Dei notitia destitutas peruagata est, manifestum est tamen lucem aliquam effulsisse in densissimis earum tenebris, in ijs rebus præsertim quę ad morum institutionem atque informationem pertinebant. Vt si vnicum è tot illustribus veterum monumentis volumen Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum, vnà cum tribus Ciceronis de Officijs libris superesset, ambigere nemo debeat quin Deus nonnullorum Philosophorum mentes ad ipsius Naturæ fontes veluti manu duxerit, vnde haurirent egregia documenta quæ ad virtutis etiam per se spectatæ amorem incitare debuerunt. Quum igitur Numinis prouidentia factum sit vt hinc tale obiectum, etsi multa caligine circumfusum, hominum animis extrinsecus proponeretur, inde verò animos ipsos nonnulla sui efficacitate intrinsecus afficeret, quid vetat quominus existimemus virtutis ideam in eos paulo altius admissam aliquem sui sensum ingenerasse? Certè cùm Plato dixit virtutis speciem esse vsqueadeò admirabilem vt si nuda conspiceretur, miros sui amores in hominum animis excitaret, satis apertè significauit sibi partem saltem aliquam tantæ pulchritudinis affulsisse, quam si minus pro dignitate sua deperiret, amaret tamen tantum quantum eam cognosse contigerat. Nec satis verbis exprimi potest quanta sit vis virtutis vbi species eius ipsius numinis operatione signata paulo constantiùs adhęrescit. Atque ad eam rem mirum quantum conferebat diligens educatio & assuefactio à teneris, quam tanti facit Aristoteles in eo negotio vt ἐν τῷ οὕτως ἢ οὕτως ἐκ νέων ἐθίζεσθαι οὐ μικρὸν, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν constituerit. Vt nihil dicam de exemplis, de consuetudine ac familiaritate cum viris præstantibus, de laude, de præmijs, deque alijs rebus istiusmodi, quæ virtutem non infeliciter insitam ac lætius adolescentem confirmare & corroborare valuerunt. Si quando igitur,

Ethic. lib. 2. cap. 1.

vt ſimili vtar quod ad eam rem Hippocrates & Ariſtoteles adhibuerunt, terra rectè à natura, hoc eſt, à Dei prouidentia conſtituta, talem ſementem ſemel complexa, ac deinde nacta cultores idoneos ac diligentes, ſedulo exculta, tempeſtiuis imbribus irrigata, ac denique ſalubri cælo, & proſpero ſiderum influxu, hoc eſt, diuinæ potentiæ efficacitate aliqua, quæ ſola in omnibus dat incrementum, fœcundata eſt, mirum videri non debet ſi ex ea fructus nati ſunt in quibus virtutis moralis indoles non omnino obſcura apparebat. Quod vel maximè pertinet ad Dei gloriam illuſtrandam, vt pote ad quem non veræ pietatis veræque ſanctimoniæ tantummodò, ſed etiam mutilæ atque imperfectæ virtutis quæ in hominibus Ethnicis extitit, laus ſit vnicè & in ſolidum referenda. Quod ab ipſo Socrate laudabiliter factum quidni fieret ab hominibus Chriſtianis? Sic enim ille loquitur apud Platonem in Menone. Θεία μοίρα ἡμῖν φαίνεται παραγιγνομένη ἡ ἀρετὴ οἷς παραγίγνεται. Vſque adeò vt negare videatur ſtudium atque laborem quidquam conferre ad virtutis acquiſitionem. Ἀρετὴ ἂν εἴη, inquit, οὔτε φύσει, οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη ἄνευ νοῦ οἷς ἂν παραγίγνηται. Quibus conſentanea ſunt quæ in alio veteri dialogo eidem Socrati tribuuntur. Τοπάζω μὲν δὴ θεῖόν τι μάλιστα εἶναι τὸ κτῆμα, καὶ γίγνεσθαι τοὺς ἀγαθοὺς ὥσπερ οἱ θεῖοι τῶν μάντεων καὶ χρησμολόγοι. Et quæ ſequuntur. Non forte quod exiſtimauerit ſtudium in eo genere nihil prodeſſe, & virtutem eodem pacto hominibus afflari quo vim illam qua fundunt oracula. Cur enim ipſe Socrates in Dialogis Platonicis, tot hortationibus & admonitionibus homines, præſertim adoleſcentes, ad virtutem incitaret? Nam nemo certe quidem quemquam hortationibus impulerit vt vaticinari conſueſcat. Verum quia omnem operam quæ in eo ponitur, inutilem eſſe putauit, niſi Deus ipſe adſpirauerit, rem tantam τῇ τοῦ θεοῦ ἐπιπνοίᾳ, vt ibi loquitur, potiùs quam humanæ commentationi cenſuit eſſe tribuendam. Equidē neminem eſſe puto qui ingeniorum hominum delectum agat paulo diligentiùs, atque intueatur in Alexandro Magno ſtupendam animi magnitudinē ad omnia diſcrimina imperterritè ſubeunda promptam atque paratam; in Iulio Cæſare vigorem incomparabilem & ſublimitatem ingenij rerum omnium capacem; in vtroque Catone patriæ caritatem eximiam & omnis veræ laudis incredibile ſtudium; in Regulo & Ariſtide fidem ac iuſtitiam incorruptam; in Socrate illo, quem ſupra commemorauimus, honeſtæ vitæ inſtitutum per omnia æquabile, & mentem vel in ipſa media morte admirabiliter pacatam; in Ariſtotele immenſam ingenij copiam, ac iudicij

vim

vim acerrimam ad omnia perspicacem, & in eorum ac similium vno quoque animi ad singularia quædam instituta destinationem inuictam & prorsus irreuocabilem, quin statim confiteatur nihil istorum esse factum nisi Deo rebus magnis atque inusitatis moliendis magna & inusitata instrumenta aptè ac congruenter accommodante. Vt mihi verissimè dictum esse videatur ab auctore Dialogi περὶ ἀρετῆς, qui sub nomine Platonis circumfertur. Ὅταν, inquit, βούληται θεὸς εὖ πρᾶξαι πόλιν, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐνεποίησεν. Ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πράξειν πόλις, ἐξεῖλε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ὁ θεός. Nec in Socrate ἀλαζονεία fuit, à qua describitur admodum alienus, sed vel admirabilis μεγαλοψυχία, vel instinctus quidam diuinæ mentis & heroici motus conscientia, quod se apud Platonem in Apologia à Deo Athenis suscitatum esse prædicat, qui singulos exsuscitaret, & moneret, & obiurgaret, ac veluti subditis aculeis dormitantes expergefaceret ad philosophandum, haud secus atque sessor aliquis adhibetur equo magno ac generoso, sed quē corporis moles ac otium pigriorem reddidit & calcarium stimulis indigentem. Certe ista verba mihi semper mira visa sunt. Facile »
animaduertere potestis me talem esse, nempe ciuitati vestræ veluti »
diuino munere tributum. Nam humanum certè non esse videtur »
quod ego meis omnibus neglectis, ac re familiari tam perseueranter »
per tot annos contempta, vestro bono sum perpetuo intentus, nec »
desisto, tanquam pater aut frater natu maior, singulos hortari, sua- »
dens vt virtutis curam suscipere velit. At ista multo mirabiliora cer- »
tè. Si mihi dicatis, Anyto non credimus, teque sententijs nostris ab »
soluimus, ea lege tamen atque conditione vt in posterum tempus ni- »
hil istiusmodi philosopheris; quod si facias, mors tibi erit obeunda; »
vtique respondebo vobis, Athenienses. Ὅτι ἐγὼ ὑμᾶς ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, »
πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν. Quę qui ficta omnia & ab inani gloriolæ desiderio profecta esse autumant, næ haud satis concipiunt quanta sit vis honesti in pectore generoso, vt ne Platonem quidem ista recitare potuisse existimem, quin flammis qualiscunque illius virtutis quæ in Socrate ardebat, ipse reminiscendo corriperetur. Quod si reputamus animo quanta sit ea lues peccati quam à primo nostro parente duximus, & quàm effrænis atque proiecta in multo maxima hominum parte peccandi licentia, facile comprehendemus quanta futura fuerit rerum omnium inter Gentiles conturbatio, nisi ruentes atque effusos in vitium animos obiectis talibus exemplis Deus ipse sufflaminasset. Verum illud quidquid est, hactenus nihil ad pietatem. Itaque de Religione Gentilium nobis est aliquid dicendum. Non fuis-

ſe inter eos extinctum omne ſtudium religionis ex eorum templis, delubris, aupicijs, ſacrificijs, ſupplicationibus, myſterijs & omnis generis ſacris, ac cæremonijs clarum eſt. At quibus animi motibus impulſi fuerint, vt religionem colerent, non eſt vſqueadeò clarum. Putarunt nonnulli quorundam vafricie religionem inter Ethnicos eſſe repertam, vt iniecta numinis reuerentia, plebe alioqui feroce & indomita obſequentiore vterentur. Quod commentum Caluinus hoc argumento egregiè refutauit, quod id *nuſquam obtinuiſſet niſi iam prius imbutæ fuiſſent hominum mentes iſta perſuaſione, Deum eſſe, ex quo velut ſemine emergit ad religionem propenſio.* Enimuero quando mentes humanę peccati ſibi conſciæ à Dei cogitatione quantum poſſunt abhorrent, nec quidquam facerent lubentius quam ſi valerent omnem numinis reuerentiam ac timorem excutere, magnam quandam eſſe vim neceſſe eſt quæ inuitas ac renitentes adigit ad religionem. Statius propius ad verum acceſſit quum dixit *timorem in orbe primum Deos* effeciſſe. Nam Deus ingentem quidem bonitatem erga genus humanum omni tempore exhibuit, quæ & ad pœnitentiam inuitare, & in ſpem aliquam erigere debuit. At duo ſunt tamen quæ ſenſum illius bonitatis in omnibus obliterarunt. Vnum eſt quod homo eſt natura ingratus, qui ne multeſimam quidem partem agnouit diuinæ beneficentiæ, & quod agnoſcere coactus eſt, fœdis opinionibus corrupit, vt memorauit Apoſtolus cap. 1. Epiſtolę ad Romanos. Alterum eſt quod Deus bonitatis ſuæ diſpenſationem varijs iuſtitiæ ſuæ declarationibus ita temperauit, vt planè diuinitus ab eodem Apoſtolo dictum ſit, iram Dei è cœlo in impietatem & iniuſtitiam hominum reuelari. Vnde illa profano ſanè animo prolata, ſed ex communi hominum ſenſu deprompta Lucretij verba.

Inſt. lib. de cap. 3. §. 2.

*Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret,*
*In terris oppreſſa graui ſub relligione:*
*Quæ caput à cœli regionibus oſtendebat,*
*Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans.*

Nam quoquò homines oculos conuerterent, apparebant argumenta quædam iræ Numinis, quod cùm in cælo habitare putaretur, haud aliter perterrebat animos quam ſi diducto cœlo truces oculos & ora flammas ſpirantia retexiſſet. Acceſſit autem ad eam rem peccati conſcientia, quæ ſolet omnia in deteriorem partem accipere atque interpretari. Animus enim ſibi male conſcius iudices & carnifices perpetuo cogitat, & ad leuiſſimum quemque ſtrepitum terretur ac trepidat, & vncum ſibi impingi arbitratur. Itaque mirũ eſſet ni horri-
biles

biles formidines, si quando paulo clariùs atque terribiliùs ira Dei se se reuelauerat, hominum animos excruciassent. Atque id Apostolus aliquatenus significasse videtur, quum dixit Gentes ostendisse τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Quū enim lex duo præcipuè præstet, vnū vt officij notitiā ex hominū animis propemodum deletam, singulari quadam ratione renouet; alterum, vt mentes hominum officij neglecti sibi conscias vindictæ denuntiatione perterreat, non potuerunt Gentes opus legis scriptum in cordibus suis ostendere, quin vtriusque illius rei altè impressa animis vestigia haberent. Vnde illa quæ sequuntur, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. Nam accusatio illa conscientiæ non potuit esse sine metu aliquo iudicij, quandocunque & quomocunque excerceri deberet. Et sane non in alia re magis laborauit Epicurus, quam vt hanc curam hominibus vel minueret vel penitus adimeret. Lucret. lib. 3.

*Cerberus & Furiæ iam verò, & lucis egenus*
*Tartarus horriferros eructans faucibus æstus,*
*Hæc neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.*
*Sed metus ita pœnarum pro malefactis*
*Est insignibus insignis, scelerisque luela,*
*Carcer & horribilis de saxo iactu, deorsum,*
*Verbera, carnifices, robur, pix, lamina tædæ:*
*Quæ tamen etsi absunt; at mens sibi conscia facti*
*Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis.*

Inquit Lucretius. Verum id frustra ab eo tentatum est. Altiùs enim animis insederat, & acriùs sub pectore versabat aculeos Iustitię diuinæ sensus, quàm vt insanientis illius sapientia σοφὸν φάρμακον eum vel penitus expellere, vel memorabilē in modū sedare aut mitigare posset. Potuit fortasse ad breuę tempus stuporem aliquem in conscientiam inducere, qui morsus vermis illius hebetaret. At non potuit stupor esse diuturnus, neque prohibere quominus Dei prouidentia excitatus vermis subinde recurreret, & nouis modis animum foderet ac cruentaret. Hinc ille Caligulæ pauor vbi intonuerat, & alia eiusmodi exempla quorum pleni sunt veterum commentarij. Metus ergo homines ad aliquam religionem vel retinendam vel constituendam propemodum inuitos pertraxisse videtur. At vetat tamen aliquid quominus vnum metum rem tantam præstitisse putemus. Ea est enim malarum mentium indoles, vt à quo sibi vehementer metuunt, eum acerrimo odio prosequantur. *Quem metuit, perisse cupit,* inquit

ille. Itaque si nihil aliud Gentilium animos occupasset præter vnum timorem, omnem de colendo numine cogitationem abiecissent. Offendit te aliquis malo animo? Tolle ei omnem veniæ spem, & eadem opera omnem amorem aduersus te sustuleris. Colit te aliquis sui gratia? Præcide illi occasionem omnem sperandi remunerationem, & statim eum tui colendi impetum & ardorem represseris omnino ac restinxeris. Vsqueadeò vt Apostolus in vera religione, quæ in obiecto suo præstantius aliquid quam remunerandi propositum intueri videtur, id tamen ad fidem ingenerandam tam necessarium existimauerit, vt nullam sine spe præmij religionem existere posse putarit. *Oportet*, inquit, *eum qui ad Deum accedit*, (accessus autem ad Deum ex Hebræorum loquendi consuetudine, vt rectè obseruauit doctissimus Grotius, religio est) *credere Deum esse, atque adeò ijs qui ipsũ quærunt esse remuneratorẽ.* Fuit igitur proculdubio aliquid quod primum timorem illum imminuit, ne homines impelleret in desperationem, quo nihil à religione magis absterret, deinde in spem aliquã erigeret ferendi præmium ob pietatem. Et de metu quidem scio hoc dici posse, innatam esse omnibus hominibus propensionẽ ad numinis contemptum, cui siquando prouidentiæ permissu ab hominibus liberiùs indultum est, mirum quousque proruperit audaciæ. Neque negauerim sapientissimæ Dei gubernationi tribuendum esse, quod quemadmodum & è cœlo iram suam manifestauit, & intus terrorem mentibus hominum incussit, ne religionis contemptus ad extremum inualesceret, sic isti terrori moderatus est, ne diræ conscientiæ formidines ac veluti Furiæ, admotis carnificibus illis ignibus atque flagellis quibus malefactorum conscientia torret, mundus vniuersus horrendis desperationis voraginibus summergeretur. At Caluinus in eo existimauit esse aliquid amplius. Sic enim loquitur loco à me

Heb. 11. 6.

„ supra citato ex Comment. ad Ezech. 18. 23. Confirmat Propheta
„ Deum nihil magis cupere quàm vt quicunque peribant & ruebant in
„ mortem, redeant in viam salutis. Et hac etiam de causa non modò
„ hodie Euangelium promulgatur in mundo, sed omnibus sæculis vo-
„ luit Deus testatum esse quàm propensus sit ad misericordiam. Nam
„ prophani quamuis lege & Prophetis carerent, tamen semper gustu
„ aliquo huius doctrinæ fuerunt prædicti. Verum quidem est suffoca-
„ tam esse multis erroribus, sed reperiemus semper arcano impulsu
„ fuisse adductos ad petendam veniam. hic sensus quodammodo inge-
„ nitus illis erat, Deum esse omnibus qui ipsum quærunt, placabilem.

Egregia sanè mihi videntur illa vel eximij Iuuenis Nicolai Vignerij, vel

vel Clarissimi viri Andreæ Riueti qui ea excudenda curauit, verba. Disputat. de satisfactione Christi Thesi IX. Hoc ipsum ( nempe Deum esse natura sua iustum peccati vindicem ) euincit manifestissimè illa πρόληψις, quam immutabilem hominum mentibus natura indidit, iustum esse Deum, & pacem illius satisfactione exposcendam. Hinc tot Gentiũ sacrificia ἱλαστικὰ & ἀποτρόπαια, tot horrendæ hominum & populorum februationes, tot ludicræ peccatorum expiationes. Videbant enim peccatis offendi numen, itaque quoquomodo conciliandum & offensas satisfactione redimendas. Vt satisfaciendi quidẽ affectus qui inter notiones illas accensendus est, quas mentiri nescius hominum animis impressit Deus, indicium sit agnitæ per ipsos veritatis, admixta autem impietas, illius per iniustitiam detentæ aduersus eos præbeat testimonium. Certè non potuit illa πρόληψις, Dei pacem satisfactione esse exposcendam, eò inducere homines vt sic Dei pacem exposcere instituerent, quin pariter hanc persuasionem indiderit non frustra exposci siquis ad eam rem afferat & animum satisfaciendi cupidum, & idoneam satisfactionem. Et si, vt loquitur Cæsar, ea fuit Druidum opinio, *pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari,* quandoquidem pro victimis homines immolarunt, ea ratione numen Deorum placari posse credidisse necesse est. At in re clara & quæ tot sæculorum, tot nationum testimonio comprobata est, pluribus sanè non est opus argumentis. Quænam enim fuit vnquam inter gentes vel maximè barbaras constituta religio, quæ hoc veluti fundamento non niteretur, Deum quidem iratum esse hominum malefactis, iram tamen illam non esse implacabilem, sed pœnitentia & expiatione aliqua reduci posse ad misericordiam? Porrò communes illæ & naturales notiones quomodo mentibus hominum à natura inditæ sint, disquiri potest. Vel enim nulla extrinsecus obiecta re ex qua homines colligere potuerint apud Deum esse peccato veniam, vis quædam interna Prouidentiæ id hominum animis ab ipso vtero insculpsit. Vel nihil quidem intus egit numinis Prouidentia, at extrinsecus ea obtulit ex quibus mens humana per se notitiam illam hausit atque expressit. Vel denique & aliqua clementiæ ac placabilitatis suæ argumenta extrinsecus proposuit, & pariter aliquid operata est intrinsecus quo argumenta illa ex obiectis incurrentia in facultatem admitterentur. Primum illud nescio an aliqui dixerint : ego quidem certè non dico. Aristoteli facile assentior qui arbitratus est afferri ab vtero animum similem puræ atque rasæ tabulæ, in qua nihil dum descriptum est; at

Com. de Bel. gal. lib. 6.

poſtquam infantiæ vinculis ſe ſe expediuit, & in rerum contemplatione verſari cœpit, ex obiectis per ſe claris atque euidentibus eas propoſitiones colligere, quæ quia ſunt apud omnes homines eædem, cõmunes, & quia aliter concipi non potuerunt, naturales atque immutabiles ſunt appellatæ. Vt ne quidem homines aliter à Natura didiciſſe putem, duo & duo facere quatuor, quam quod inito ſæpe plurium ſingularum rerum numero, mens perpetuo animaduertit vnum & vnum efficere binariun, binarium autem repetitum ad quatuor euadere. Quam rem poſtquam attentiùs conſiderauit, non modo ita ſe habere vidit, ſed etiam aliter ſe habere non poſſe certiſſimè perſpexit. Secundum haud affirmauerim libentiùs. Nam in ijs rebus quæ neque ad virtutem moralem aſſequendam, neque ad numinis religionem admittendam pertinent, mens humana per ſe quidem valere & aliquid præſtare poteſt, citra vllam diuinæ prouidentiæ vim præter eam quæ ad rerum omnium conſeruationem atque ſuſtentationem communiter ſubminiſtratur. In alijs quæ boni rationem habent, nihil planè poſſe verius eſſe duco, niſi Deo efficacitatem aliquam ad eam rem adhibente. Cuius rei ratio eſt in promptu. Vbi verſamur circa obiecta merè phyſica, quia operatio intellectus tum merè phyſica eſt, & conſiſtit tantùm in apprehenſione atque dijudicatione rei, ſi ſit etiam phyſicè rectè conſtitutus, & nullum eſt phyſicum vitium in organi temperamento, nihil prohibet quominus vim ſuam exerat naturæ congruenter. At cùm accedimus ad ea obiecta quę rationem boni moralis habent, impedimenta moralia, hoc eſt in impietate atque nequitia poſita, quib⁹ ſumus à natura deuincti, vſqueadeò laſciuiunt, & turbant, & tumultuantur, vt niſi vel purgentur, vel cohibeantur ſaltē & reprimantur aliquatenus, nihil planè

Rom. mentem in eo præſtare ſinant. Nam quod Apoſtolus ait gentes φύσει
2. 4. τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν, facile eſt. Φύσις enim eo loco diſpenſationem vniuerſalem denotat reuelatione verbi carentem, oppoſitam diſpenſationi qua Deus vſus erat inter Iudæos, quibus ſtatuta ſua reuelauerat, non verò naturam ipſam hominum, omni efficacitate Prouidentiæ diuinæ ſecluſa. Quod ex inſpectione loci cuiuis manifeſtum eſſe poteſt. Itaque in tertio conſiſtendum eſt. Vt in ijs rebus quæ hominum omnium oculis obuerſantur, argumenta quædam ſint diuinæ clementiæ, quæ prohibere debent quominus de venia malefactorum impetranda deſperent : in ijs autem à quibus argumenta illa animaduertuntur, prouidentiam intrinſecus aliquid operari, abſque quo foret, vt vel ea prorſus incognita prætermitterent,

vel

vel leuiter animaduerſa aut vindictæ metu obrui, aut innata impietate omnino præfocari paterentur. De ſpe remunerationis vix quidquam dicendum habeo præterquam id quod omnibus ex ipſa experientia compertũ eſt. Notum eſt quid de campis Elyſijs Poëtæ fabulati ſint, à quo placita philoſophorum non videntur admodum abhorrere. Socrates qui πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων in eo genere ſẽper exiſtimatus eſt, ſic morti proximus loquitur apud Platonem, interprete Cicerone. Magna me ſpes tenet, iudices, bene mihi euenire quod mittar ad mortem. Neceſſe eſt enim vt ſit alterum de duobus, vt aut ſenſus omnino mors omnes auferat, aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem ſiue ſenſus extinguitur, morſque ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam etiam ſine viſis ſomniorum, placatiſſimam quietem affert, dij boni, quid lucri eſt emori? aut quàm multi dies reperiri poſſunt, qui tali nocti anteponantur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis temporis? quis me beatior? Sin vera ſunt quę dicuntur, migrationem eſſe mortem, in eas oras quas qui è vita exceſſerunt, incolunt: id multo iam beatius eſt, te, cum ab ijs qui ſe iudicum numero haberi volunt, euaſeris, ad eos venire, qui verè iudices appellentur, Minoem, Rhadamantum, Aeacum, Triptolemum; conuenireque eos qui iuſtè & cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri poteſt? Vt vero colloqui cum Orpheo, Muſæo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſępe mori fieri poſſet, vellem, vt ea quæ dico mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem afficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquorum circumuentos conuenirem! Tentarem etiam ſummi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, & Vlyſſis Siſyphique prudentiam: nec ob eam rem, cum hæc exquirerem, ſicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem, iudices, ij qui me abſoluiſtis, mortem timueritis, nec enim cuiquam bono mali quidquam euenire poteſt, nec viuo, nec mortuo: nec vnquam eius res à dijs immortalibus negligentur. Nec mihi ipſi hoc accidit fortuito; nec vero ijs à quibus accuſatus ſum, aut à quibus condemnatus, habeo quod ſuccenſeam, niſi quod mihi nocere ſe crediderunt. Quod ſiquis dicat Socratem loqui dubitanter, neque de animæ ſuæ immortalitate quidquam certum & exploratum habere, reſpondebit ipſe Cicero, retineri ab eo ſuum diſputandi morem qui nihil firmiter aſſeuerare ſolebat. Cæterũ dubium non eſſe quin vir ille quauis laude dignus in eam partem propenderet, quæ hominum animos cum corporibus extingui poſſe negat. Certè quæque

fuerit Socratis ea de re sententia, inter omnes populos omni tempore semper inualuit, vt anima humana immortalis ac sempiterna putaretur. Quæ πρόληψις vna cum aliquo religionis sensu coniuncta, spem aliquam necessario conceptam habet fore vt in ijs locis in quæ morte migrandum est, melioribus ac sanctioribus animis remuneratio aliqua reposita sit. Id autem vnde illi hauserint, non est explicatu difficile, nec id quisquam Caluino melius facere posset. Ille enim Institutionis libro I. cap. V. vbi docet, *Dei notitiam in Mundi fabrica & continua eius gubernatione lucere*, hoc primum iacit pro fundamento, Apostolum rem paucis verbis luculenter enarrauisse, cùm dixit, patefactum esse hominibus quod de Deo cognosci operæ prætium erat, quia inuisibilia eius, ad æternam vsque eius virtutem & diuinitatem à creatione mundi intellecta, omnes ad vnum conspiciunt. Deinde vbi ad considerationem Prouidentiæ Dei propiùs accessit hæc habet. In administranda hominum societate ita prouidentiam temperat, vt cùm sit erga omnes inumeris modis benignus ac beneficus, apertis tamen ac quotidianis indicijs suam pijs clementiam, improbis ac sceleratis seueritatem declaret. Non enim dubiæ sunt quas de flagitijs sumit vltiones: quemadmodum non obscurè tutorem ac etiam vindicem se innocentiæ esse demonstrat, dum bonorum vitam sua benedictione prosperat, necessitati opitulatur, dolores lenit ac solatur, calamitates subleuat, saluti per omnia consulit. Neque verò perpetuam iustitiæ eius regulam obscurare debet, quod improbos & sontes ad tempus impunitos sæpiusculè exultare sinit: probos autem & immerentes multis rebus aduersis iactari, impiorum etiam malitia & iniquitate premi sustinet. Quin potius longè diuersa cogitatio subire mentem debet: quando in flagitium vnum manifesto iræ indicio animaduertit, omnia ipsum odisse: quando multa inulta prætermittit, aliud fore iudicium quo punienda differuntur. Similiter misericordiæ suæ considerandæ quantam materiam nobis suppeditat, & dum sæpius miseros peccatores indefessa tamen benignitate prosequitur, donec eorum prauitatem benefaciendo fregerit, plusquàm paterna indulgentia ad se reuocando? Ac demum eo vsque prouehitur. Eiusmodi notitia, inquit, non modo ad Dei cultum excitare nos debet, sed ad spem quoque futuræ vitæ nos expergefacere & erigere. Quum enim animaduertamus quæ Dominus tum clementiæ, tum seueritatis suæ specimina edit, inchoata duntaxat & semiplena esse; haud dubiè ad maiora sic ipsum præludere reputemus oportet, quorum manifestatio plenaque exhibitio in aliam vitam

vitam differetur. E conuerſo, pios ab impijs quum videamus afflictionibus grauari, iniurijs concuti, contumelijs probriſque lacerari, ſceleſtos contra florere, proſperari, quietem cum dignitate obtinere, idque impunè, protinus colligendum eſt alteram fore vitam, in qua & ſuæ iniquitati vindicta, & merces iuſtitiæ repoſita ſit. Fatendum eſt igitur in ſingulis Dei operibus, præſertim autem in ipſorum vniuerſitate, non ſecus atque in tabulis, depictas eſſe Dei virtutes, quibus in eius agnitionem, & ab ipſa in veram plenamque felicitatem inuitatur atque illicitur vniuerſum hominum genus. Ergo, Caluino iudice, *Deus omnibus* hominibus ea poſuit ante oculos ex quibus recta ratio *ac mens* benè conſtituta certo colligere potuit, ſpem aliquam eſſe penes eum reconditam, qua remuneraturus eſt eos quibus veræ pietatis veræque virtutis ardens aliquod atque ſincerum ſtudium eſt. Quum igitur tāta ſit cordis hominum cæcitas atque peruerſitas vt per ſe ſpei indicia vel obſeruare nequeant, vel obſeruata non apprehendant, vel leuiter apprenſa & animo concepta non retineant, ſed protinus euelli ſibi ex intellectu patiantur, experientia autem tot ſæculorum compertum ſit non potuiſſe illa ita radicitus euelli quin ſemper mortales ad aliquē numinis cultum impulerint, omnino neceſſe eſt vt vis aliqua diuinæ prouidentiæ ſe ſe in eo exeruerit, cuius opera factum eſt vt mens penè omnium hominum argumenta benè ſperandi, quantumuis imperfectè ac perturbatè, tenaciter tamen complecteretur. In his rebus, tanquam in ſuis fundamentis collocata fuit vniuerſa Gentiliū pietas, ſi pietas appellari debet ſenſus religionis quo plerique omnes ſemper imbuti fuerunt. Nunc, vt initio propoſuimus, videndum eſt an vis illa prouidentiæ Dei quæ hominum animos eatenus affecit, vniuerſalis Gratia, ut Arminius voluit, haberi & appellari poſſit.

Ac primum quidem iſti diſpenſationi quodcunque nomen indideris, ſeu Gratiæ ſeu quoduis aliud (illud enim nondum agimus) certè vniuerſalis non eſt. Etenim etſi Prouidentia Dei omnium hominum corruptioni gubernandæ vniuerſè præſidet, pauci tamen ſunt in quibus eam efficacitatem exerat quæ ſtudium virtutis aliquod ardens in animis accendit, & vix totidem quot, inquit ille, *Thebarum portæ, aut diuitis oſtia Nili*. Multo plures ſunt in quibus vel pœnæ metus peccandi licentiam coërcet, vel præpotens aliqua perturbatio reliquis dominatur. Ac denique magnus eſt eorum numerus quorum vita indubitato argumento eſſe poteſt, nihil quidquam in eorum animis operatam eſſe Dei prouidentiam, quo fierent minus mali quàm

naturę fert impetus, vsqueadeò vitijs scatet & flagitijs horrendis contaminata est. Itaque gratia illa ad paucos pertineret. At ne gratia quidem nominari debet. Quamuis enim id omne quod habet aliquam rationem boni, à Deo hominibus gratis indultum, gratia forsitan eatenus aliquo pacto dicit possit, vis autem illa Prouidentiæ quæ virtutis amorem paucorum animis indidit, si cum reliquorum vita fœdè, turpiter, ac flagitiosè acta comparetur, debeat inter bona censeri, ex vsu tamen Scripturæ Sacræ Gratiæ vocabulum rem significat maximè diuersam. Quod vt euadat manifestius, age, ἐνέργειαν illam Prouidentiæ cum Gratia Spiritus quæ prædicationem Euangelij comitatur, paulo diligentiùs conferamus.

Comparatio autem illa præcipuè in quatuor institui debet. Videndum est enim I. qui sit Dei animus in vtraque subministranda. II. Quæ natura rei ipsius subministratæ. III. Quæ ratio operandi. IV. Quis effectus ex vtriusque operatione procedat. Et prius illud quidem per se manifestum est. Nam in ea gratia Spiritus indulgenda quæ per Verbum suppeditatur, Dei finis est salus eorum qui illam accipiunt: causa vero impulsiua, est incomprehensa quædam atque inenarrabilis misericordia, quæ intra eos fines non consistit vt velit homines saluos esse, modò salutem oblatam non aspernentur, sed vsque eò procedit vt nolit omnino quidquam in electis superesse, quo fiat vt salutem extrinsecus propositam spernant. Ideoque id appel-
Exod. llatur gręcè ἔλεος & οἰκτιρμὸς, hebraicè חן & רחמים. Quæ verba non signifi-
33. 19. cant leuem aliquem affectũ ex quo manet itidé munus aliquod leui-
Rom. dense, sed quidquid est in affectibus tenerrimum simul atque vehe-
9. 15. mentissimum, & cuius vehementia viscera ipsa incalescunt & commouentur. Eum autem in finem gratiam istam indulgeri vt ne inuitationes ad salutem quæ extrinsecus adhibentur, irritæ fiant, satis
Ephes. docet Apostolus in illis verbis, *Det vobis Deus oculos mentis vestræ il-*
1. 18. *luminatos, vt possitis perspicere atque agnoscere quænam sit spes illa vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.* Nempe quamlibet ea spes quæ in Euangelio proponitur, magnifica sit atque gloriosa, ignoratur tamen ab ijs quibus gratia oculos non aperuit. Aperiuntur ergo vi Spiritus vt agnoscatur: agnita autem sui admirationem & incredibile desiderium excitat. Iam verò quod Ethnicis verbi prędicatione destitutis concessum est, neque fluxit ab eodé principio, nec est in eumdem finem à Prouidentia tributum. Nam sanè si tantus esset in Deo ardor salutis Ethnicorum procurandæ, vt illis ad eam rem vim Spiritus illuminantis & sanctificantis aliquam tribueret,

buerer, verbi prædicationem concederet itidem, cuius donum, si per se spectetur, non est cum altero isto dignitate & vtilitate comparandum. Quod si in eum finem tributum esset, aliquid in negotio salutis inter Ethnicos memorabile præstitisset. Nunc autem contra est, vt experientia testificatur. Absurdum autem est, vt iam sæpe diximus, vt Deus finem aliquem sibi proposuerit impulsus affectu vehementi & qui volendi facultatem vniuersam occupat, non potuerit autem ad eum peruenire. Hoc igitur sibi Deus in ea dispensatione voluit. Nisi τῆς ἐπιθυμίας ἢ τῆς κακίας humanæ impetũ aliquo pacto inhibuisset, societas humana funditus interijsset, quam tamen idoneis de causis conseruare decreuit. Ne, inquam, mundus planè syluesceret, noluit omnes homines innati vitij magnitudine prorsus ἐκθηριῶσαι. Cuius rei nescio an præcipua causa sit, quod cùm statuisset Ecclesiam suam in plenitudine temporum colligere potissimùm è Gentibus, propositum illud non esset assecutus, si homines in feras, vrbes verò in spelæa cõmutari siuisset. Sanè si rem accurato iudicio perpendamus, deprehendemus Gratiam esse veluti Naturæ inædificatam. Idcirco Apostolus Euangeliũ apud Athenienses prædicare incipiens, exordium ducit ab ijs rebus quas Natura omnes homines edocuit, vt sic per gradus ad sublimiora fidei mysteria proueheretur. Fac ergo naturales illas προλήψεις, quibus Apostolus Euangelium superstruit, ex hominum animis funditus esse deletas (quod absque illa Prouidentiæ operatione foret, non potuit non euenire) non reperisset Euangelium in quo pedem poneret atque inniteretur. Scitè ergo à Tertulliano dictum, & à doctissimo Beza prudenter obseruatum est, *Præmissam esse à Deo Naturam magistram, cui Prophetia postea summitteretur: vt qui Prophetiæ crediturus est, eum Naturæ discipulum esse oporteat.* Ad secundum veniamus. Supra à nobis constitutum est, quod res ipsa indicat, vim Spiritus quam Gratiæ nomine solemus indigetare, eò comparatam esse, vt facultatem reddat idoneam quæ obiectum extrinsecus oblatum amplectatur, vt ex obiecti ad facultatem ita constitutam appulsu exoriatur fides, & quæ per fidem in animo virtutes Christianæ generantur. Est autẽ obiectum, vt loquitur Apostolus, *veritas quæ est secundũ pietatẽ:* h. e. res quæ primò in intellectum influit, & per intellectum mouet affectus in quibus pietas, & quæ pietatẽ necessariò sequitur, vera sanctimonia sedem habent. Agit ergo Spiritus qui per verbũ indulgetur in intellectũ. Vnde illa Pauli verba ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας πεφωτισμένους, & μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν: Et similia sexcenta. Intellectu autem illuminato, reliquæ facultates necessariò trahuntur in

Tit. 1. 1.

Eph. 1. Rom. 12. 2.

obſequium. Vnde eſt vt in ea hortatione quam iam attigi, Paulus nihil aliud poſtulet quam vt tanta fiat in intellectu mutatio vt poſſimus δοκιμάζειν τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, ratus re ſatis perſpectâ & explorata, nihil defore nobis eorum in quibus Chriſtianorum officium poſitum eſt. Eſt autem illa Spiritus in intellectum humanum actio talis, vt planè ſuperet omnem Naturæ modum. Nam neque ad eam rem adhibentur cauſæ naturales atque ordinariæ, neque quomodo cau illa ſupernaturalis intellectum liberet à natiuis quibus occupatur tenebris, mens humana comprehendit. Effectum ſummo Dei beneficio perſentiſcimus, rationem operationis non tenemus. At in illa Prouidentiæ ἐνεργείᾳ res aliter ſe habet. Scilicet pars eius memorabilis, vt ſupra diximus, poſita eſt in efficientia quæ corpus hoc vel illo modo ab ipſo ortu temperat, quo fit vt cupiditates habeant motus maximè varios, tardiores aut celeriores, vehementiores aut remiſſiores, pertinaciores aut facilè mutabiles, in hanc potius quam in illam partem propenſos & inclinatos. Id autem ad intellectus illuminationem haudquaquam pertinet; totum poſitum eſt in eis animæ partibus quas natura ipſa corpori inſeruit, & ab intellectus ac rationis participatione ſeiunxit. Tum quodcunque eſt, vix magis ad Spiritus ſancti efficaciam referendum eſt, quam quod leones iracundos & generoſos, vulpeculas aſtutas atque callidas, ceruos meticuloſos, & reliquas animantes vi temperamenti ſui & aliqua humorum compoſitione ſuis quamque veluti ſtudijs deditas eſſe videmus. Alteram quandam non contemnendam partem iſtius rei poſitam eſſe diximus in educatione & conſuefactione à teneris. Quæ res mirum quantum valeat ad id vt mores hominum ad aliquam honeſti ſpeciem externam illam & in oculos incurrentem inſtituantur. Verum id nihil prorſus ad vim Spiritus quæ mentem ipſam mutat in melius: nam & feroces beſtiæ tractatione atque exercitatione manſueſcunt, & feræ ipſæ nonnunquam vſu atque conſuetudine cicurantur. Quibus tantum abeſt vt intellectus aliqua veri luce perfundatur, vt ne intellectus quidem ſit illis a natura conceſſus. Denique neque mirabiles illæ ſeu virtutes ſeu virtutum vmbræ atque imagines ob quas Socrates, & Ariſtides, & Epanimondas & reliqui huiuſcemodi laudibus in cælum feruntur, ex vlla vera intellectus illuminatione manarunt. Illi enim in virturis ſtudio de Deo aut ferè nihil, aut nihil omnino cogitarunt. Vſqueadeo vt in libris illis quos tanti faciendos eſſe ſupra diximus, Ariſtotelis ad Nicomachum, & Marci Tullij de officijs, de religione deque pietate aduerſus Deum, quod mirum

ſanè

sanè videri debet, nihil plane traditum sit & constitutum. Quod si virtutis ipsius species, vt à pietate seiungi potest, mentis eorum oculis affulsit, (quod negandum non esse iam confessi sumus) id quidem ἐνεργείᾳ quadam diuina contigit, quæ vim intelligendi veri & honesti perspiciendi tum indidit, & ab ea parte caliginem aliquatenus dispulit qua mentes nostræ naturaliter circumfusæ sunt & occupatæ. At tantum abest vt ista vera sit mentis illuminatio quæ natiuam corruptionem purget, & intellectum diuinâ Gratiæ luce collustret, vt quanto clariùs in vna re aliqua honesti speciem peruiderunt, tanto fuerint cæciores vbi in alijs rebus noscenda atque dijudicanda fuit. Vt non sit discussa ac funditus expulsa illa nox quam peccatum mentibus nostris offudit, sed ab vna animæ parte leuiter depulsa in aliam, quę iam suapte sponte obtenebrata eo tenebricosior euasit. Nolim equidem ijs temerè fidem adhibere quæ de Socrate dicuntur à nonnullis, placuisse illi adolescentum consuetudinem vitij potius quam virtutis & philosophiæ docendæ causa. Quamquam dialogus de amore apud Platonem, haud satis decere videtur cultorem temperantiæ tam seuerum tamque constantem. At illa foeda γυναικῶν κοινωνία quam in Rempublicam suam introducere voluit, nonne perspicuè demonstrat, diuinam illam, vt habita est à Græcis, & virtutis admiratricem vnicam mentem, fuisse mirum in modum διεφθαρμένην & inquinatam? Tertium nunc suo loco considerandum venit. Tale est obiectum in rerum natura propositum, vt nihil quidquam ex eo mens humana, quoquo modo constituta, elicere potuerit nisi ratiocinando, commentando, progrediendo à notioribus ad ignotiora, qua via homines in inuestigatione ac perceptione disciplinarum procedere solent. Quamobrem prouidentiæ vis quę se se in Ethnicis exeruit, siquando mentem ipsam affecit, in eo præcipuè operata est, vt facultatem veri disceptatricem in ijs corroboraret, vt obiectum qualecunque erat, & clariùs videret, & retineret arctiùs atque complecteretur. At vis ea Spiritus quæ Gratiæ nomen obtinet, etsi ita mentem afficit, vt Promissionis diuinæ veritatem perspiciat, ea tamen perspectâ, recumbit in Promissionem tanquam in testimonium, atque in ea citra vllam vlteriorem ratiocinationem summa certitudine acquiescit. Vnde fit vt nonnunquam qui cæteris antecellunt eâ facultate quæ quid sit in obiectis ad contemplandum propositis verum aut falsum disceptat & inquirit, Euangelio minus credant: Illi vero in quibus vis illa ratiocinandi minor est, fidem Euangelij Spiritus illuminatione susceptam, constantiùs retineant ac tueantur. Quæ causa

1. Cor 1 21. forte fuit quamobrem Apostolus γνῶσιν non autem fidem appellauerit, id quod mens humana consequi debuit ex contemplatione operum diuinorum *Postquam*, inquit, *in Sapientia Dei mundus non cognouit Deum per sapientiam.* Non potuit enim certe nisi per attentissimam contemplationem & assiduam animi meditationem cognitio Dei per eius opera comparari. At actum illum intellectus per quem Euangelium amplectimur, in Scriptura Sacra passim *credere* est, quod vt plurimum nititur vna loquentis auctoritate. Scio equidem & fidem ab Apostolo Paulo γνῶσιν nonnunquam appellari, & notitiam quæ ab incorrupta mente ex operum diuinorum contemplatione acquiri debuit, à Caluino vocari *fidem*. Sic enim loquitur Instit. lib. 1 cap. 2. § 1. vbi loquitur de *cognitione Dei Creatoris*,
,, hoc est qualem se se in operibus suis patefecit. En quid sit pura ger-
,, manaque religio, nempe fides cum serio Dei timore coniuncta: vt
,, timor & voluntariam reuerentiam in se contineat, & secum trahat legitimum cultum qualis in lege præscribitur. Nempe & in fide est certissima perspicientia veritatis illius, Deum esse qui in Euangelio loquitur. Et in ista notitia, si qua talis per operum diuinorum contemplationem existeret, esset fiducia per quam pia mens in Deum recumberet. Tum fidei obiectum describitur sæpenumero tanquam scibile quid atque intelligibile, ideoque nuncupatur ipsa *scientia, intelligentia, sapientia*. Notitiæ vero quæ ex mundi opificio haberi debuit, obiectum proponitur tanquam testimonium aliquod. Ait Apostolus Deum nunquam se se reliquisse ἀμάρτυρον. Psaltes autem vocem aliquam cælo ipsi tribuit, cui omnes homines auscultare tenentur. Cui si auscultauissent, habita esset illa ausculatio, iudice Caluino, pro re aliqua fidei propemodum æquipollente. Sic enim scripsit in illa Apostoli verba. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Sed dico, Nunquid non audiuerunt? Quinimo in omnem terram exiuit*
,, *sonus eorum, & in fines orbis verba eorum* Quandoquidem ex præ-
,, dicatione imbuuntur hominum mentes Dei notitia, quę eiusdem Dei
,, inuocationem ex se generat, restabat hoc quærendum, an Gentibus
,, non esset annunciata Dei veritas. Nam quod repente se ad Gentes
,, contulerat Paulus, in ea nouitate non leuis erat offensio. Quærit er-
,, go an Deus nunquam ante ad Gentes vocem suā direxerit, & docto-
,, ris officio functus sit erga totum mundum. Porro vt communiter
,, scholam omnibus apertam esse doceat, in quam vndique discipulos
,, Deus sibi colligeret, Prophetæ testimonium adducit ex Psal. 19. 5.
,, Accipio igitur eius citationem in germano & proprio prophetæ sensu,

si, vt tale sit argumentum. Deus iam ab initio mundi suam Gentibus diuinitatem manifestauit, etsi non hominum prædicatione, creaturarum tamen suarum testimonio. Nam etsi Euangelium tunc inter ipsas silebat, totum nihilominus cæli & terræ opificium loquebatur, ac præconio suo auctorem celebrabat. Sic etiam in commentario ad Psalmum ex quo locus ille desumptus est, ait cælos apud omnes populos sine discrimine promiscuè *concionari*, & vbique terrarum ad celebrandam Dei gloriam propositos esse *testes*. Item, longè lateque Dei gloriam *prædicare*. Et repetit scholæ similitudinem, quam Gentibus *apertam* fuisse dicit, in qua *pietatem & Dei cultum discerent*. Et addit Pauli verba Dauidis citantis consilium non esse ambiguum; dicere enim voluit, inquit, iam anteactis sæculis Deum patefecisse Gentibus suam gloriam, atque hoc amplioris doctrinæ fuisse præludium. Nam etsi ad tempus separata fuit electi populi conditio à Gentibus, mirum tamen videri non debuit quod vtrisque tandem Deus promiscuè se patefecit, quos pridem communiter ad se inuitauerat. Habuerunt ergo Gentes & suum præconium & suum testimonium quod admittere debuerunt. At μαρτυρία creaturarum nonnisi figuratè sic appellatur, quia menti præbet argumentum acquiescendi. Metaphoricè, inquit Caluinus eodem loco, cælestis machinæ splendorem Dauid hîc instar doctoris de gloria Dei concionantem inducit. Euangelium verò propriè μαρτυρία est, cuius postquàm auctor semel est agnitus, mens, vt iam dixi, sistitur in eius auctoritate. Hoc igitur propriè fidem generat, illud minimè. Hoc certã quandam mentis constitutionem requirit ab altero diuersam. Et quod consentaneum est, hoc Spiritus operationem postulat à simplicis Prouidentiæ efficacitate longissimè secretam. Quartum per se ipsum se se expedit. Nam sanè si eodem animo Deus eandem gratiam eadem efficacitate præditam omnibus indidisset, consentaneum proculdubio fuisset vt ferret fructus in omnibus consimiles. Id autem sic contigisse nemo dixerit, experientia ipsa tam apertè reclamante. Effectus gratiæ Spiritus duo præcipui sunt; pietas erga Deum & vera morum sanctimonia. Ac de posteriore quidem iam vidimus quid sit existimandum. Cum enim Ethnicorum genera tria videri possint, vnum quod eos complectitur quorùm vita proiecta fuit ad omne scelus, alterum eorum quorum vitium fuit aliquatenus cohibitum, ne in nefarias actiones erumperet, qui tamen nullo vero virtutis studio tangebantur, tertium eos complectitur in quibus virtutis amor aliquis enituit; omnes illi quid esset vera sanctimonia penitus

ignoratum. Et de reliquis quidem res per se clara est. In tertio autem genere nemo vnquam fuit, cuius vitam labes aliqua non foedauerit ita vt etiam apud impertissimos laudem sanctitatis ei iure merito detrahat. Hunc horrenda παιδεραστία, illum adulterij vel stupri consuetudo, alium animi ferox quædam atrocitas quæ eum ad ἀυθχειρίαν impulit, omnes gloriæ Dei neglectus tenuit & contemptio, vna veræ virtutis pestis atque pernicies. De pietate autem, qui potuisset illa consistere cum horribili idolomania & turpibus erroribus quibus omnes Ethnicorum religiones tam inter Græcos, quam inter Latinos funditus corruptæ sunt atque deprauatæ? Certè quidquid sit illud de quo opera diuina inter homines testimonium perhibent, mirum quibus rebus vbique fuerit obrutum ac inuolutum. Neque hic loquor tantummodo de portentis opinionum quæ vulgo receptæ in publico cultu numinis inualuerunt. Philosophos ipsos quæ in eo genere lues inuasit? Quam impura vbique dogmata polluerunt? Legatur sanè liber primus de Natura Deorum, in quo Cicero colluuiem sententiarum philosophicarum de eo argumento studiosè collegit: legatur Plutarchi libellus de eorum placitis: legantur quæ Diogenes Laërtius & Eunapius de eorum vitis in commentaria retulerunt; legatur ipse Plato quem diuinum solent appellare, in ijs quæ Socrati, Philosophorum omnium parenti, tribuit, Deus bone quę Lerna? quod stabulum Augię? quod monstrum ex omni exitialium errorum genere conflatum? Qui ergo fieri potuit vt illa hæreseon & idololatriarũ hydra comitem haberet vim spiritus, eamque ministerio suo mentibus hominum suppeditaret? Nam illi sanè vel ipsi prodigia ista in mundum inuexerunt, vel acceperunt iam ab alijs inuecta. Qui inuexerunt, quis Spiritu Dei præditos esse dixerit qui non insaniat? Qui acceperunt, quomodo potuerunt spiritum accipere eadẽ opera? Indulgeturne ille vt tartareorum mendaciorum nos capaces efficiat, non autem cælestis ac diuinæ veritatis? Dedisset ne Deus mentis oculos illuminatos eum in finem, vt nihil nisi opinionum monstra cernerent, ex quorum adspectu ipsi homines in monstra vitiorum transformarentur? Adde quod eam Deus semper in dispensatione Gratiæ rationem tenuit, vt quanto euidentiùs spei salutis obiectum hominibus propositum est, tanto etiam proportione vberiorem Spiritus copiam largiretur. Atque inde factum est vt quamuis vsque ab Ecclesiæ primordijs Deus electos suos ea Gratia donauerit quæ sola fidem & sanctimonium in ijs generare potuit, tum demum tamen Prophetæ spiritum indultum iri prædixerint, Apostoli reapse indultum esse

prædicauerint,

prædicauerint, cùm Euangelium post ascensum Christi in cælum in apertissima luce collocatum est. Vt enim externa reuelatio temporibus anteactis adeò obscura fuit, præ euidentia prædicationis Apostolorum, vt Euangelium μυστήριον ἀπ' αἰώνων ἀποκεκρυμμένον esse dicatur. Sic Ephes. 3. 9. præ liberali copia spiritus quæ in Ecclesiã Christianã effusa est, Scriptura ita loquitur ac si superioribus tẽporibus fuisset omnino denegatus. Quãdo ergo Arminij discipuli fatentur, lucem quæ in Prouidẽtia fulget, esse adeò exiguam vt ad fidem per se atque immediatè deducere nequeat, experientia autem omnium sæculorum docet contaminatam eam fuisse atque obrutam fœda errorum caligine, quænam potuit esse vis internæ gratiæ quæ lucem illam comitaretur? Lux illa sanè vitio hominum tantis tenebris circumfusa fuit, vt planè nihil fuerit nisi mera nox. Cur igitur Deus oculos mentis illuminatos dedisset qui nihil planè cernerent nisi meram noctem? Quod si illa via gratiam spiritus suppeditauit, vel eam admensus est admodum exigua mensura, &, pro solita sua agendi ratione, obscuritati obiecti proportione respondentem: vel tantam & tam efficacem vt caliginem illam dispellere, & verum à falso, purum ab impuro, secernere ac segregare valeret. Si prius locum habet, quid in eo res tam exigua atq; imbecillis præstare potuit? Citiùs sanè palatus obtusus atque hebes aquam fluuialem in mari perciperet & discerneret ab amara, postquam se se in profundum immersit, quàm mens sic affecta veritatem deprehenderet in tanta mendaciorum multitudine latentem. Si posterius, vbinam illi sunt inter Ethnicos quos Deus tam admirabiliter afflauit? Vbi illi Prophetæ qui gentes errantes reduxerunt in viam & inter eas verum Dei cultum instituerunt? Res enim tantæ molis fuit vt perfici nequiuerit nisi ab eo qui non ordinaria illa qua nos Deus dignatur Spiritus gratia præditus esset, sed qui Prophetas ipsos ac propemodum Apostolos magnitudine & excellentia reuelationum exæquaret.

Verùm id noluit Arminius. Voluit tantum gratiam aliquam adstitisse Gentilibus quæ eos in actionibus ipsis à peccandi necessitate liberaret. Id igitur paucis refellamus. Ac primum quidem iam sæpè à nobis demonstratum est, nihil necesse fuisse vt Deus homines liberaret à peccandi necessitate, quandoquidem necessitas illa cum ratione peccati non pugnat. Quod si pugnaret, & id etiam ostendimus, Deum inclementer admodum nobiscum egisse, cum gratiam istam nobis concessit. In eo enim statu eramus scilicet, vt peccare omnino nequiremus; nos autem in eam conditionem traduxit vt sublata eâ

De Nat Deor. lib. 3.

necessitate possimus peccare & pœnam commereri. Aiebat olim aliquis apud Ciceronem, vt vinum ægrotis, quia prodest rarò, nocet sæpissime, melius est non adhibere omninò, sic etiam satius fuisse vt nemini ratio concederetur quæ hominibus plus affert malorũ quàm bonorum. Quę sanè querimonia iniusta est. Nam nisi ratio nobis donata fuisset, belluis eramus futuri prorsus similes. At si gratia illa quâ tam multi abutuntur, tam pauci ad fidem & salutem referunt, non fuisset oblata, de humanitate nostra nihil detractum esset, vna abfuisset peccandi libertas quæ genus humanum vniuersum pessundedit. Tum & illud à nobis supra fuit animaduersum, peccandi necessitatem, ex Arminij sententia, non tolli nisi per voluntatis ἰσοῤῥοπίαν, ἰσοῤῥοπίαν autem natura sua malum esse atque peccatum. Pugnant igitur esse ἰσόῤῥοπον, & liberatum esse à necessitate peccandi. Nam qui ἰσόῤῥοπος est is necessario peccat. Ac denique rebus & rationibus necessarijs addiximus voluntatem ad ἰσοῤῥοπίαν deduci non posse, nisi primùm expedita sit à peruersis habitibus quibus à natura tenetur irretita. Expeditio autem illa non fit citra sanctificationem. Quamobrem necesse esset omnes Ethnicos esse à Deo sanctificatos. Quod homini sano in mentem venire non potest. Hoc additum volumus. Voluntas non perducitur ad æquilibrium, nisi per intellectus illuminationem, Arminio fatente. Illuminatio autem intellectus quid est? Illuminare enim vox est metaphorica, ad propriam, nisi sponte errare volumus, reducenda. Scilicet vel illa illuminatio intellectus in Ethnicis similis est illustrationi oculorum, cum lux extrinsecus exoriens in eos incurrit & admittitur actu: vel est similis oculorum illustrationi cùm liberantur ab insito vitio, & ita constituuntur vt idonei sint obiecta admittere sicunde offerantur & incurrant. Prius dici non potest. Vel enim nullum illis obuersatur obiectum aptum ad voluntatem à malo liberandam; vel si obuersatur aliquod, non admittitur; vel si admittitur, vnà admittuntur tot praua & corrupta obiecta quæ voluntatem peccati nodis arctius adhuc adstringunt, vt planè nullam exercere queat efficacitatem in intellectu. Nam si, vt vera Theologia veraque philosophia docent, voluntatis determinatio iudicium intellectus necessariò sequitur, quodnam potest esse iudicium intellectus in quem nullum verum obiectum influit nisi sexcentis falsis obiectis circumdatum, similitudine, vti quidem videtur, indiscreta? Potestne vnum bonum remedium prodesse dilutum atque confusum cum tam multis tamque acribus ac pręsentibus venenis? Si vero, vt volunt isti homines, nihil aliud in eo præstat intellectus nisi vt volun-

tati

tati monstret quod sequatur, quænam est illa monstratio quæ verum tot mendacijs inuolutum ostendit, vt plane agnosci non possit? In tanta multitudine specierum haud secus ac indiuidua Democriti corpuscula inter se temere concursantium, quâ forte fortuna eueniet vt voluntas in verum & bonum incidat? Posterius verò multo minus. Cùm enim illuminatio illa nihil aliud sit quam præparatio facultatis ad obiectum admittendum, obiectum autem illud tale sit quale supra à nobis descriptum est, sic Deus Spiritus sui gratiam eum in finem indulserit, vt homo idoneus esset qui admitteret omne genus perniciosorum mendaciorum in religione. Quod vt falsissimum est & omnem absurditatem superat, sic voluntatem in æquilibrio inter bonum ac malum constituere nequit. At enim, inquiet aliquis, conceditur illa gratia vt bona obiecta à sequioribus discernat, quomodo, vt tradunt viri præstantes, multi fideles patrum nostrorum memoriâ, in captiuitate Babylonica, antequam daretur libertas exeundi, secreuerunt doctrinas Euangelicas à corruptelis in Christianismum introductis, edocti ab eo spiritu cuius vnctio reddit oculos in obiectorum dijudicatione exercitatos. Quæ duo immane quantum discrepent. Habebant enim illi qui ante restitutam Ecclesiæ libertatem vixerunt in captiuitate Babylonica, Dei verbum præ manibus; rem certam atque definitam, & à corruptelis aut omnino intactam, aut admodũ leuiter immutatam, ad cuius amussim reliqua exigerent quæ in publico vel fiebant vel prædicabantur. Itaque siquibus Dei Spiritus indultus est, vt sanè non negamus multis indultum esse, aut non fuit operosum, aut non omnino fuit impossibile, vt ex illa rerum diuersarum & pugnantium collatione inter se, earum discrepantiam animaduerterent. Quamquam dubium non est quin multa eos fugerint, quæ sunt eis à Deo pro summa sua misericordia benignè condonata. At inter Ethnicos nihil quidquam tale fuit. Confusa fuerunt omnia & perturbata, & quæ veri speciem aliquam præ se ferebant, vsqueadeo apparuerunt incerta, perplexa & implicata cum falsis, vt cùm nullam sui iudicij certam regulam haberent, facilius ijs fuerit salsedinem à mari, vt supra dixi, quam hominum figmenta à veris naturæ documentis separare. Vno verbo, si fuit aliqua gratia omnibus hominibus vniuersaliter indulta, quæ eorum voluntates vocarit ad æquilibrium & à peccandi necessitate vindicarit, quæso quodnam fuit discrimen inter eos quibus Euangelium annunciatum est & ad quos nulla verbi diuini fama permanauit? Nam per Euangelij prædicationem nihil quidquam vlterius effici statuunt quàm vt cuius-

libet voluntas poſſit credere vel non credere pro arbitrio. Quod ipſis iudicibus nihil aliud eſt quàm ἰσόρροπον eſſe. Sanè duo ſalutem nobis conficiunt; argumenta ſperandi extrinſecus oblata, & vis illa argumenta apprehendendi, quæ ſufficitur intrinſecus. De argumentis externis ſtatuunt Arminij diſcipuli, *Licet multæ nationes ordinario Euangelij præconio deſtituantur, tales tamen à gratia ipſa Euangelij non eſſe præcisè excluſas, ſed ſemper bona quæ Euangelio offeruntur illis æquè manere expoſita, atque cæteris qui prædicationis priuilegio fruuntur, modo ſcilicet conditionis fœderis præſtent.* Conditio autem fœderis proculdubio fides eſt. De vi interna docent eam omnes perſentiſcere talem quæ voluntatem conſtituat in poteſtate pręſtandi vel non pręſtandi conditionem. Vt nullum planè ſit inter Ethnicos & nos Chriſtianos memorabile diſcrimen, niſi quod nos Dei gratia benè vtimur ſcilicet, illi minus. Quid ergo ſibi voluit Apoſtolus in illis verbis, εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι &c.? Quænam eſt illa derelictio populorum? Quid item in illis, τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ θεὸς τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν? Quænam eſt illa deſpicientia, qui neglectus miſerè palantium, ſi nihil intereſt inter eos & verbi prædicatione dignatos? Iure equidem meritiſſimo Clariſſimus Molinæus ad hæc portenta nouæ ſapientiæ exclamauit & implorauit Dei atque hominum fidem. Vt enim taceam Euangelij præconium præ luce quæ Gentilibus affulſit, eſſe veluti ſolem ætherium cum nocte caliginoſa comparatum, in illa nocte, in qua ſiquid lucis erat, tam obſcura fuit vt vel oculatis negotium faceſſere potuerit, nihil planè fuit, quod natiuæ cæcitati ſubueniret. Cùm in tanta Luce Euangelij quæ vel mortuos ipſos recreare debuerit, ſpiritus vim ſuam exerat quæ natiuam cæcitatem depellit ab oculis, & vt loquitur Apoſtolus λάμψαι ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Quando igitur nulla cauſa eſt cur Deus nobis potius quàm Gẽtilibus inæſtimabilẽ iſtam pręrogatiuam concederet, nullam eſſe talem gratiam vniuerſalem concludimus, & gentes eatenus abſoluto decreto reprobatas fuiſſe, ſufficienter demonſtratum eſſe putamus. Quod vt eſt in Scriptura ſacra perſpicuè traditum, & ab Eccleſiæ Dei hoc noſtro ſæculo clarè definitum, ſic etiam animo noſtro Chriſti beneficio penitus inſedit. Reliqua quæ hoc præcipuè capite continentur, etſi cum vero exiſtimamus eſſe conſentanea, non ita pręfractè tamen affirmamus quin vel Eccleſiæ aliter conſtituenti, vel cuiuis bono meliora docenti lubenti animo pareamus.

Arnoldus.

Act. 1. 30.

CAPVT



# CAPVT XIIII.

## *Caluinum rectè docuisse gratiam Spiritus non indulgeri omnibus ijs quibus Euangelium annunciatur.*



SPIRITVS gratiam quæ homines efficaciter conuertit, non modò ijs esse denegatam qui de Euangelio nihil audiuerunt, sed ne communem quidem esse omnibus ijs quibus annunciatur, Caluini fuit constantissima sententia. Arminius, & qui Arminium secuti sunt aliter existimauere. Verba sunt Arnoldi aduersus Clarissimum Molinæum. *Vtramque vocationem,* (internam, scilicet, & externam) *dicimus coniunctam ex prima Dei intentione, de eadem intentione alteram ab altera esse separatam, negamus omnes. Ideoque dicimus neminem vocari externa Dei voce quem Spiritus intus non afficiat, ac quem nisi ipsius malitia obstet, conuersum non velit. Ad quam primam intentionem Arminius respiciens dixit*, Verbum semper sibi coniunctum habere spiritus operationem. *Quando verò ibidem dixit*, ista duo penè semper esse coniuncta, *non est inde quod ea in re hæsitaret, sed quod statueret internum spiritus auxilium communiter & ordinariè ijs contingere qui primò vocantur, donec sua rebellione & contumacia isto auxilio se non reddunt indignos, aut non merentur vt spiritus in illis operari desinat.* Ergo, ex eorum hypothesi, nemò primò vocatur externa prædicatione, quem spiritus eadem opera non afficiat. Si qui sint qui internæ spiritus vocationi resistant, in ijs operationem istam non negant tandem aliquando cessare, tametsi verbi externa prædicatio non cesset. In ea re posita est lis, in cuius dijudicatione quia versati sumus ante aliquot annos non omnino indiligenter in libro vernaculo sermone conscripto aduersus D. Milletetium, nihil nobis fere nunc faciendum est, quàm vt quæ sunt eo loco dicta, hic in latinum sermonem conuertamus, sepositis ijs tamen quæ pertinent ad refutationem eorum in quibus ille ab Arminianis dissidet. Docuit enim multa à se pro animi libidine excogitata, quæ, (at scio, Arminij schola nunquam probabit. Sic igitur disputationem instituimus vt argumenta quibus præstantissimus Molinæus in primis, Caluini, hoc est, Ecclesiarum nostrarum doctrinam in eo argumento

tutatus est, ab Arnoldi cauillationibus vindicaremus. Ea autem duplicis sunt generis: alia enim experientia ipsa suppeditat, alia sunt è verbo diuino desumpta. Ab ipsa experientia suppeditata tria præcipua sunt. Vnum, quòd multi sunt qui Euangelium audiunt quidem & intelligunt, at nihilo magis eo tanguntur quàm si surdorum aures feriret. Alterum quod non modo eo non tanguntur nonnulli, sed illud irrident & sannis excipiunt tanquam rem absurdam & ab vsu rationis abhorrentem. Tertium quod tantus est in nonnullis stupor vt auditum non intelligant, & profiteantur seriò audito concionatore se discernere non potuisse vtrùm gallicè an verò latinè locutus sit. Istis Arnoldus quid opponit? Ait ad primum, si qui sint quos verbi prædicatio nullo modo afficiat, id euenire eorum culpa, non verbi vitio aut inefficacia. Quæ sanè mira responsio est. Nam quis id negat? Aut id quid pertinet ad argumenti vim debilitandam? Certè Spiritus sancti in electis operationes duæ sunt inprimis distinctæ. Vna quæ primò nos conuertit atque introducit in Christi communionem.

Ioan 6. De ea autem loquitur ipse Christus cùm dicit, *Nemo venit ad me, nisi quem Pater ipse meus traxerit.* Altera quæ credentes consolatur, sanctificat & magis ac magis promouet atque provehit ad perfectionis metam, quamque persentiscimus ex Christi communione.

Ioan. 7. 38. Et de ea loquitur idem Christus in illis verbis. *Qui credit in me, ex eius ventre flumina aquæ viuentis fluent.* Nam venire ad Christum, credere est: flumina autem illa de spiritu quem credentes accipere debuerunt, Ioannes ipse interpretatur. Et de posteriore quidem operatione certum est, hominum culpa euenisse si minus eius efficacitatem senserunt. Nam si credidissent, reapse præstitisset Christus quod spondet eo loco. Per eos autem stetit, vt supra vidimus, quominus crederent. Priorem si non senserunt, non æquè quidem eorum culpa factum est; eam enim gratiam Deus largitur solis electis pro liberrimo suo arbitrio: at non ideo minus alij sunt in culpa si verbi prædicatione non afficiuntur.

Grã cõtra Tale enim est obiectum, tam verum, tam pulchrum, tam natura sua necessarium atque incundum vt homines intellectu ac voluntate præditos non leuiter mouere tantum sed efficacissimè permouere debuerit. Cæterum, quod neque permouit efficaciter, neque verò leuiter mouit etiam, magno argumento est non fuisse tum apud eos spiritus gratia comitatum. Nam ea si comitatum fuisset, illi sane intacti atque immoti non mansissent. Quod autem Arnoldus adijcit, verbum quidem tum spiritum comitem habere, at eius vim ab hominibus non

ſentiri propter ſtuporem & attentionis defectum, ridiculum eſt atque ioculare. Sic aliquis affirmabat ſolem eadē via quâ tendit in Occidentem interdiu, noctu veſtigia ſua relegentem in Orientem regredi: at non videri tamen ab hominibus, quia nox eſt. Vti ſol, ſi ſic regrederetur, noctis obſcuritatem pelleret, & diem efficeret, ita ſpiritus ſi adeſſet ſtuporem illum di cuteret, & redderet animos attentiſſimos. Haud multo minus indignum eſt viro docto, quod addidit, negari non poſſe multos eſſe, qui affecti verbi ſenſu eo vſque vt id rectè percipiant atque intelligant, tamen ei non conſentiunt. Intelligere autem non potuiſſe niſi interuentu alicuius efficacitatis ſpiritus de quo loquimur. Etenim in fidei negotio intellectus humani duplex eſt actus. Vnus merè naturalis, qui non progreditur vlterius quàm vt cōprehendamus τὸ λεγόμενον, vt loquuntur. Et reſpectu actus illius dicimur non fideles vel infideles, boni vel mali, ſed vel acuti atque ingenioſi, vel tardi atque hebetes Alter eſt omnino ſupra eam naturā quâ nunc corrupta vtimur, qui eo vſque procedit vt ἐν τῷ λεγομένῳ videamus τὸ ἀληθὲς καὶ τἀγαθὸν, idque accuratè perſpectum animis ſumma cum voluptate penitus imbibamus. Cui actui contraria eſt atque oppoſita auerſio & aſſenſus cohibitio ex eo orta, quod ſpecies illa ἰνδαλμα καὶ τοῦ ἀληθοῦς intellectui non affulſit. Hic actus per quem Euangelium pro vero & bono apprehendimus atque in eo acquieſcimus ex animo, à Spiritu Dei eſt, ab vlla alia cauſa, quæ eſt ingenij humani peruerſitas neutiquam eſſe poteſt. Is enim eſt ſolus qui κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, mentis oculos φωτίζει, & voluntatem trahit in obſequium mentis ita πεφωτισμένης. Alter non producitur quidem citra concurſum communem virtutis diuinæ qua omnia ſuſtentantur: neque adeò citra vim aliquam prouidentiæ quæ intenta per omnia nihil non adminiſtrat atque gubernat. At nihil eſt in eo præterea. Apoſtolo Athenis prædicante, Athenienſes haud minus vi quadam intellectus naturali comprehenderūt quid ſibi vellet cùm dixit Chriſtum reuixiſſe, quam intellexiſſent aliquem Iudæum eum reuixiſſe pertinaciter negantem. Mens humana ad vtramlibet duarum iſtarum contradicentium apprehendendam pariter appellere ſe ſe potuit. Et vt propoſitio quæ negat Chriſtum reſurrexiſſe, dum aſſenſus ſuſtinetur, percipitur citra vim vllam ſpiritus qui regenerat; ſic propoſitio quæ idem affirmat, donec credatur eſſe vera, percipitur ab vnâ vi intelligendi quæ nobis omnibus ingenita eſt. At rem ita ſe habere vti Paulus prædicabat, neque Damaris, neque Dionyſius firmiter credere ac penitus in animum recondere potuit, niſi adiutus, &

impulſus, & funditus à gratia Spiritus innouatus. Ad alterum argumentum Arnoldus duo reſpondet. Repetit enim primò nihil à quoquam irrideri quod non ſit priùs ab eo intellectum. Intelligi autem non poſſe Euangelium niſi ope ſpiritus. Deinde reſponſionem eo argumento confirmat, quod qui Euangelio reſiſtunt, Spiritui ſancto reſiſtere dicuntur. Act. 7. 51. Prius iſtud iam refutatum eſt. Qui Euangelium irrident habent illud pro fabula. Auditur ergo atque intelligitur ab ijs eodem modo quo nænias anicularum & poëtarum τερατείας audimus atque intelligimus. Eſtne igitur nobis opus *Spiritus* Dei gratia vt intelligamus quid dicat Euripides vbi narrat *Herculis* virtute Alceſtin fuiſſe ab inferis reuocatam? De loco ex Actis citato mirum eſt homines qui ſibi videntur acuti, in re clara tam turpiter ceſpitare. Cùm enim Euangelij reuelatio ſit ab vno Spiritu Dei, quid procliuius fuit quàm vt illi intelligerentur reſiſtere Spiritui qui Euangelio reſiſtunt? Et cum operatio ſpiritus conſpicua ſit vel in intellectus illuminatione, vel in emollitione cordis, vel in vtroque (nam de eo nunc diligètius non inquirimus) cur illi à Stephano σκληροτράχηλοι, καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν eodem loco nominantur, ſi quid in ijs Spiritus efficacia præſtitit? At rem conſtituit extra omnem diſputationis aleam idem Spiritus de quo nunc quęritur, vbi negat ſuperiore capite Iudæos *reſiſtere potuiſſe Sapientiæ & Spiritui per quem Stephanus loquebatur*. Nempe id non poteſt accipi de vocatione interna. Nam vt taceamus Arminium exiſtimaſſe nullam eſſe internam vim ſpiritus tantam cui arbitrium humanum reſiſtere nequeat, ita vt eius conatum reddat irritum, (quod dogma mirum quantum infinitæ Dei potentiæ ſit iniurioſum) res ipſa clamat agi de veritatis euidentia quæ in prædicatione Stephani tanquam in obiecto externo fulgebat. Reſtiterunt ergo Spiritui quia verbum ex eius reuelatione à Stephano prædicatum reſpuerunt & aſſenſionem fidei ad id non accommodarunt ſuam. Reſiſtere tamen nequibant, quia tanta erat Sapientiæ cæleſtis ac veritatis in ea prædicatione ἐνάργεια, vt tametſi deliberata contumacia reſiſtere decreuiſſent, inuitis tamen atque frendentibus ſeſe offerret & inuiſo fulgore eorum oculos perſtringeret. Atque id confirmant ſequentia. *Reſiſtitis vt patres veſtri fecerunt. Nam quem Prophetarum non ſunt perſecuti?* Nempe in Prophetis erat Spiritus Dei, inquit Petrus, & Apoſtoli atque Euangeliſtæ in Spiritu Dei miſſo è cælo euangelizauerunt, eodem auctore. 1. Petr. 1. 11. 12. Ad tertium argumentum reſpondent adhibita duplici diſtinctione. Primum enim diſtinguunt prædicationem & verbum, & aiunt accidere ſæpenumerò

mero vt concionatores vel acuminis atque ſubtilitatis, vel eloquentiæ gloriam aucupantes, conciones ſuas in ijs rebus conſumant quas ipſi non intelligunt, tantum abeſt vt ad vulgi captum accommodentur; aut ſi intelligunt, ſunt illæ tamen ab Euangelij natura tam alienæ atque abhorrentes, vt nihil plane trahant de ſalutari doctrina. Deinde aiunt etſi res illæ ab Euangelio non omnino diſcrepant, multum interesse inter verbum quale ab Apoſtolis prædicatum fuit, & concionatorum declamationes quales hodie à pleriſque inſtitui conſueuerunt. Et ad prius illud quod attinet, non eſt inſolens inter Pontificios vt habeantur conciones ad populum in quibus vix obtinet ipſe *Chriſtus* vt ſemel nominetur. In Eccleſijs reformatis neſcio an *Arminij* diſcipuli aliquem viderint cui tanta ineſſet vecordia vt tale quidpiam deſignaret. Ego quidem non commemini vidiſſe. Quod ſi aliquis vſqueadeò deſipiat, argumentum ex eiuſmodi concionibus deſumptum non eſt: contendimus tantùm ne ſapientiſſimè quidem & ad naturam Euangelij maximè congruenter inſtitutas conciones ſemper apud omnes eâ ſpiritus efficacitate de qua loquimur eſſe comitatas. In poſteriore diſtinctione nihil dicunt. Fatemur enim in Apoſtolorum prædicatione virtutem crucis Chriſti fuiſſe viuidiorem, ſiue illa ſalutis repræſentationem euidentiorem habuerit, ſiue Deus ſic voluerit eorum miniſterium extra ordinem magnificare. Verum quid tum poſtea? Saltem ſi Arminij ſententia vera eſt, pro eo ac hodierna prædicatio Chriſtum euidenter exhibet, adiunctam habebit aliquam Spiritus ſancti copiam. Cùm igitur experientia doceat in vna eademque prædicatione hunc vehementiſſimè commoueri, illum manere haud minus quam ſtipitem aliquem immotum atque rigentem, quid ſupereſt quam vt ſpiritum illic vim memorabilem, hic plane nullã exeruiſſe iudicemus? Iuxta illa Chriſti verba, πνεῦμα ὅπυ θέλει πνεῖ, vt neque motum neque rationem ſpirationis illius liberrimę intelligamus. Argumenta è Scriptura deſumpta & vehementius vrgent, & magis decent homines Theologos. Sic igitur Chriſtus loquitur Ioan. 6. 45. *Quicunque audiuit ex Patre, atque didicit, ad me venit.* Venire ad Chriſtum, credere eſt. Quid ergo eſt diſcere ex Patre? Nam id ipſum quod credere eſſe non poteſt. Multa hic turbat Arnoldus, vt ferè dicas butubata Nauij. Eius reſponſiones huc redite videntur. Audire atque diſcere ex Patre, &, quod idem eſt eo loco, trahi, ſignificare poſſe qualemcunque Dei communem inuitationem, cui omnes obtemperare debent. Vt illud *venit ad me*, nihil aliud ſit quàm ad me venire debet. Deinde tractionem denotari poſſe quæ fit per legis

ministerium. Tertio & attractionem illam intelligi posse quæ dispositionem aliquam ingenerat in attracto. Vt attractum esse nihil aliud sit quam intelligentem & obedientem fieri. Denique quocunque modo accipiatur, ex eo quidem loco confici, nemine venire qui non trahatur, at non inde sequi non omnes trahi, aut, quod eodem redit, omnes qui trahuntur venire. Nihil est sophistis magis solenne quam vt multa dicant inter se non cohærentia, quibus animos disputantium impediant, nihil certi aut habeant aut definiant in quo consistere possit is qui paulo acrius instat atque incumbit ad veritatem inuestigandam. Cur non dicit apertè quid sentiat? Cur istis circuitionibus nos circumducit? Cur adhibet responsiones tam varias, tãque inter se dissidentes, cum alterum fieri profectò queat vt earum nulla, alterum certe non possit vt plus vna vera sit? Age tamen, eas omnes expendamus. Et prima quidem satis ostendit Arnoldum pensi nihil habere quid dicat. Tantamne esse in hominibus eludendæ Scripturæ licentiam! *Nemo*, inquit Christus, *potest venire ad me*, hoc est, in me credere, nisi Deus eum communi quadam inuitatione allexerit. *Scriptum est in Prophetis, erunt omnes edocti à Deo:* hoc est, omnes indiscriminatim communi inuitatione vocabuntur. *Ergo omnis qui audiuit à Patre atque didicit*, hoc est, qui communiter vocatus atque inuitatus est, *venit ad me*, hoc est, ad me venire debet. Quid frigidius? Quid sapientia Christi indignius? Quid ad eius scopum minus accommodatum? Nam quid illud est, Ne murmurate inter vos, nemo enim potest in me credere nisi Deus eum inuitauerit? Et illa, πάντες ἔσονται διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, nihil ne spondent quod non sit commune futurum? Altera non est minus absurda. Nam primò tractio, significat actionem efficacem, hoc est, cum effectu coniunctam. Nam qui trahi dicuntur, dicuntur etiam *doceri*, & *audire*, & *discere*, vt nemo dubitet quin res posita non sit in conatu atque inuitatione tantum. Scilicet qui nihil discit, ne doceri quidem dici debet, quemcunque sumas in eo docendo laborem. Quonam pacto igitur ille discere dicetur in quo docendo labor insumitur incassum? Disciplina autem legis per se ac stricte considerata nihil necessariò reddit effectum. Tum hic agitur de disciplina quæ est ad salutem. At lex per se ad salutem non erudit: quin à salute potius absterret, vt quæ nullam spem faciat nisi in perfecta sui impletione fundatam, & peccatoribus mortem denunciet irreuocabiliter atque præfractè. Quocirca Paulus eam appellat ministerium damnationis. Denique verba illa πᾶς οὖν ὁ ἀκούσας vim vniuersalem habere nemo ambigit. Ergo vniuersè verum est omnes eos quisic edocti sunt, *venire*, h. e. credere.

At quot Iudæi sub legis magisterio nati atque educti aduersus Christum obduruerunt? Nam esto sanè, legis prædicatio famem & sitim aliquam consolationis excitauerit, iuxta illud Christi dictum, *si quis sitit veniat ad me & bibat.* Et item iuxta illud, *venite ad me omnes πεφορτισμένοι*, sensu aliquo peccati animum anxerit & oppresserit. Vel omnes Iudæi sub seuero illo pædagogo ac veluti Orbilio plagoso angi atque laborare didicerunt, vel non. Si non, tractio illa non fuit omnibus communis, vt volunt Arminij discipuli, nonnulli sunt eatenus absolutè reprobati. Si didicerunt omnes, quando non omnes venêre, Christus tanquam vniuersè verum enunciauerit quod vniuersè verum non fuit tamen, atque adeò etiam quod rarissimè verum esse contigit. Obsecro autem te, lector, verba illa Prophetæ, in quibus Deum Ecclesiam suam consolari facit, *Istud erit mibi sicut aqua Noa. Vt enim iuraueram ne porrò aqua Noa terram pertransirent, sic iuraui ne irascar tibi aut te obiurgem. Citius enim & montes locum deserent, & colles nutabunt, quàm vel bonitas mea te deserat, vel fedus pacis mea nutet, ait Dominus, qui tui miseretur. En ô paupercula, tempestatibus acta, consolatione destituta, ego sternam ordine lapides tuos, in carbunculis & sapphiris te fundabo. Fenestras tuas è crystallo faciam, & portas tuas è carbunculis, & septa tua lapidibus pretiosis construam. Porrò vniuersi filij tui docti erunt à Domino:* verba inquam tam splendida, tam magnifica, tantæ consolationis plena, qua fronte referuntur ad legis magisterium, horridum illud atque triste & quod nihil nisi minas, nihil nisi meros terrores incutiebat? In tertia responsione nos ludit. Nam quid illud est, *intelligentem esse atque obedientem*? Estne credere? Ergo Christus sic loquutus fuerit, quicunque in me credit, ille venit ad me: hoc est, vt supra diximus, in me credit. Quæ mera est ἀδολεσχία & βαττολογία. Si nō est credere, quid est? Potestne aliquis esse Christo obediens quin obsequatur? Potestne obsequi quin credat? Tum si audire atque discere significat obedientem esse atque intelligentem, disciplina autem illa atque tractio communis est omnibus, omnes, quæ est istorum hominum sapientia, omnes, inquam, quibus Euangelium annuntiatur redduntur intelligentes atque obedientes: nos toto cælo aberramus qui hactenus cum Apostolo credidimus his Christi crucem esse scandalum, illis stultitiam, in alijs mentem occalluisse, in alijs Deum huius mundi oculos excæcasse, vno verbo multo maximam partem hominum in Christum impingere. Quod denique ait, non inde sequi, omnes qui sic à Deo instituuntur credere, si nihil grauius certè summam inco-

gitantiam arguit. Vt enim phrasis ista, πᾶς ὁ πιστεύσας σωθήσεται, non relinquit in dubio quin omnes in vniuersum qui in Christũ credituri sunt, salutis sint futuri compotes: Sic πᾶς ὁ ἀκούσας ἔρχεται, nos non sinit dubitare quin omnes qui sic docentur credant. Quando igitur non omnes credunt, liquidò constat non omnes sic edoceri. Edocentur autem omnes, sic volentibus Arminianis, inuitatione & vocatione externa. Quocirca hic agitur de interna eaque minimè communi spiritus institutione. Et certè res ipsa nos eò manu ducit. Quum enim iam multa de se Christus dixisset, quæ neque capiebantur, neque credebantur à Capernaitis, multique ea de causa murmurarent quia absurda locutus esse videbatur, vt rei admirationem minueret, ait nihil quicquam in eo mirum esse, & eos demum ad salutem intellecturos esse quæ dicebat, quos non modo vox externæ prædicationis feriret, sed quos etiam Spiritus intus condocefaceret; sic enim esse absolutè necesse, sic prophetas tanto ante esse vaticinatos. Quo nihil clarius, nihil euidentius, nihil rectius, nihil facilius ad intelligendum.

Verba sunt Apostoli 1. Cor. 1. 23. 24. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Græcis verò stultitiam. Iis autem qui vocantur, tum Iudæis, tum Græcis, Christum Dei potentiam ac sapientiam* annunciamus. Quinam igitur sunt illi *qui vocantur*, & qua vocatione vocantur? Nam si vocatio interna haud minus quam externa communis est, cur præter id quod se prædicare vniuersis profitetur, nonnullos κλητοὺς appellat διακριτικῶς & veluti ἀντιδιαστατικῶς? Et cùm eos opponat quibus Christus Dei sapientia Deique potentia est, ijs quibus stultitia est & offendiculum, cur manifesto rationem discriminis assignat in eo quod alij κλητοὶ sunt, alij minimè, si respectu vocationis nulla inter eos differentia fuit? Est ergo duplex vocatio, altera externa, cuius etiam illi participes sunt quibus Christus offendiculum est, altera interna qua fit vt qui sunt illius compotes Dei potentiam & sapientiam in Christo agnoscunt & admirantur. Idem Apostolus fatetur quidem se Dei Ecclesiam persecutum esse, at factum
1. Tim. excusat, si excusari posset, eo quod ἀγνοῶν ἐποίησε. Quod Petrus de Iu-
1. 13. dæis qui Christum crucifixerunt pariter prædicauit. Paulus autem Stephanum audiuerat prædicantem, Iudæi verò Christum ipsum. Si igitur prædicationem externam vis interna spiritus perpetuò comitatur, vel id ipsis per ignorantiam non accidit, quod Christum & Ecclesiam persecuti sunt, vel vis interna spiritus ignorantiam non sustulit. Ignorantiam autem si non sustulit qua in re sita fuit eius efficacia? Quid in eorum animis præstitit? Quæ neque voluntatem inflexit, nec

nec ignorantiam ex intellectu pepulit, potest-ne dici in hominibus quidquam operata esse Dei gratia? Neque verò hic respondeat Arminij discipulus, gratiam, quæ mentem illuminabat, quia repulsam in voluntate passa est, abscessisse ab intellectu, quem idcirco ignorantia denuò occupauit. Nam si Arminio credimus, quibus id accidit, ij iusto Dei iudicio indurantur. Indurati autem vix ac ne vix quidem amplius vocantur ab illa vocatione quæ interna est. Quî ergo factum est vt ex ijs qui Christum crucifixere multi postea conuersi sint, Paulus verò non conuersus modo, sed & Apostolus constitutus sit, & incomparabilibus Spiritus Dei virtutibus præditus ac ornatus? Idem Apost. sic loquitur 2. Cor. 3. 4. *Si opertum est Euangeliū nostrum, ijs qui pereunt opertum est. In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentis oculos, nempe in infidelibus, ne irradiet eos illustratio Euangelij gloriæ Christi qui est imago Dei.* Quid est illa illustratio Euangelij gloriæ Christi? Estne splendor veritatis doctrinæ Christianæ, quatenus extrinsecus hominibus offertur tantummodò, an vero quatenus etiam vim aliquam Spiritus illuminantis comitem habet? Prius illud si dicitur, vicit causa nostra. Prædicatum illis fuit Euangelium extrinsecus tantùm. Quocirca veritas eius agnosci non potuit ob eam cæcitatem quam Deus huiusce mundi induxerat. Si posterius, vel particula εἰς τὸ μὴ, significat rei euentum, quod infrequens non est, neque insolens, vel finem atque scopum. Rei euentum si denotat, vt omnino denotare videtur, pugnantia ista sunt, prædicationem externam vim spiritus illuminantis habuisse comitem apud eos de quibus loquitur Apostolus, & tamen illustrationem Euangelij ipsorum mentes non irradiasse. Illuminatio enim illa non est sine splendoris Euangelij irradiatione. Si finis significatur, res eodem recidit, manifestum est enim ex verbis Apostoli, Deum huiusce mundi finem suum esse consecutum. Impediuit scilicet quominus illi splendore Euangelij irradiarentur. Quinam igitur ista consistere possunt, vt intus à Dei Spiritu illuminati doctrinæ Christianæ veritatem agnoscere nequiuerint, ideo quia Diabolus eos excæcauerat? Nonne illuminatio excæcationis curatio est? Aut quænam est illa vis Spiritus Dei illuminans quæ vel oculos Diaboli operatione clausos non aperit, vel prohibere nequit quominus Dei virtute semel aperti à superueniente Diaboli efficacitate occæcentur? Magnopere velim magnifica hæc Apostoli verba ab Arminij discipulis diligenter expendi. *Pater ille gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis per agnitionem ipsius: Illuminatis oculis mentis vestræ, ad sciendum quæ sit spes vocationis ipsius & quæ opes* Ephes. 1. 17. 18.

*gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis. Et quæ ſit ſupereminens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis qui credimus ſecundum efficacitatẽ roboris virtutis ipſius.* Nam illa certè ad vocationẽ *internã* referenda ſunt. Eſt autem, ex Arminij ſententia, hæc operatio communis. Euentus diſparitas aliunde quã à vocationis efficacitate prouenit. Adeò vt verè dici poſſit in omnibus quibus Euangelium extrinſecus annunciatur Deum τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ exeruiſſe. Duæ igitur operationes in hominum intellectu certant. Vna quæ à Deo huiuſce mundi proficiſcitur, & qua mentes hominum nititur excæcare. Altera quâ Deus immenſus & immortalis mentes illuminare contendit. Atque in eo certamine poſterior hæc operatio, etſi dicitur eſſe κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος τοῦ θεοῦ, cedere cogitur, prior ſuperior euadit. Obſecro hoccine decet homines Chriſtianos, vt Deum ſumma ſua virtute quanta quanta eſt nitentem, cum Diabolo committant, putent tamẽ non aliquando tantùm, ſed & ſæpenumerò, atque adeò vt plurimum, repulſum eum & refutatum cogi pedem ignominiosè referre? Scio equidem Arminij diſcipulum aliquem cuius extat diſſertatio in principium Epiſtolę Pauli ad Epheſios, excuſa Amſterdami anno ſuperiore, hæc Apoſtoli verba aliò ſedulò detorſiſſe. Vult enim iſta καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας, dici non de virtute quæ nos conuertit, ſed de potentia Dei quę credentes ſuſcitabit à mortuis, & cæleſtibus corporibus indutos in immortali & immutabili gloria collocabit. Illa verò, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ἣν ἐνήργησεν &c. eodem pertinere contendit. At iſta ſunt effugia hominum qui potius quàm vt veritati cedant quidlibet comminiſcuntur. Nam vt de ſuperioribus verbis nihil dicam, poſteriora hæc ſi non ſignificant credentes credidiſſe vi potentiſſima Dei ipſius, quomodo iſta inter ſe cohærebunt, καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ? Illud κατὰ quomodo hîc infultum? Quam vim hic habet, vt ſemper habere debet, conuenientiæ alicuius inter duas res ſignificandæ, ſi effectum, nempe fidem, cum cauſa, hoc eſt, Dei potentia infinita non connectit? At nihil eſt Apoſtoli mente euidentius. Cùm vis illa potẽtiæ Dei per quam ſalus noſtra conficitur, in duabus potiſſimùm rebus conſpicua ſit, nimirum in noſtri liberatione à morte quæ in peccato conſiſtit, & in reſurrectione atque glorificatione corporis, ſalus autem ipſa duobus hiſce veluti terminis tanquam principio & fine ſeu complemẽto contineatur, vtrumque pariter Apoſtolus conſtituit ob oculos, in vtroque Dei virtutem infinitã vult à nobis credentibus ſuſpici & adorari.

Quod

Quod ex initio capitis sequentis manifestum est. Eiusdem Apostoli est illud vel præcipuè memorabile. *Quod reliquum est, orate, fratres, pro nobis, vt sermo Domini currat, & glorificetur sicut & apud vos: & vt eripiamur à proteruis ac sceleratis hominibus, non enim omnium est fides?* Quid illud est, non *omnium est fides*? Non omnes credunt? At id nihil necesse fuit vt admoneret, quod experientia nimis notum fuit omnibus. Tum frigidum istud est ac propemodum insulsum, *orate vt Euangelium Dei currat & glorificetur, & vt eripiamur à proteruis & sceleratis hominibus, non enim omnes credunt.* Verborum istorum sententia expedita est. Est quidem Euangelij prædicatio omnibus indifferenter destinata: at quæ fidem generat efficacia spiritus nonnullis tantùm. Vitari ergo nequit, quæ est hominum natiua proteruitas, quin prædicationis cursus variè distineatur. Hinc enim Satanæ artes, inde hominum iniquitas multa ponit impedimenta quæ non possunt aliter quàm singulari quadam Dei procuratione superari. Itaque nulla mora, nulla intermissio precibus interponenda est quibus diuinum auxilium inuitetur. Nec admonitio illa videri potuit esse præter rem. Omnibus enim temporibus & in omni loco extiterunt aliqui qui pro insita ingenio humano superbia causam fidei communem esse statuerent, vt discriminis quod inter homines intercedit, rationem & gloriam humano arbitrio vindicarent. Huc accedit, vt est à nobis alibi commemoratum, quod tanta hominum peruersitas atque pertinacia, tantusque disturbandæ Euangelicæ prædicationis ardor, scrupulum aliquem inijcere potuit, quasi id Euangelij ipsius ingenio, non hominum malitiæ esset adscribendum. Occurrendum igitur fuit animorum offensioni opportuna illa admonitione, nihil in eo esse quod perturbare debeat, quandoquidem fidei obiectum quidem commune est, causa verò interna atque efficiens quibusdam peculiaris. Quod nihil aliud est quàm vocationem internam vt plurimum esse ab externa prædicatione separatam. Id ipsum euincit apertè locus illustris qui habetur Rom. 11. 7. 8. *Quod requirit Israel, hoc non est adeptus? at electio id obtinuit, reliqui verò indurati sunt. Sicut scriptum est, Dedit eis Deus spiritum soporis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque ad hodiernum diem.* In quibus verbis hoc inprimis obseruandum est, quod manifesta oppositio fit inter electos & non electos. Illi vocantur *electio*, quemadmodum alibi *circumcisio* Iudæos denotat, non electi veniunt nomine *reliquorum*. Reliqui igitur illi indurati sunt, electi emolliti. Et quemadmodum induratio à non electione proficiscitur, quæ re-

2. Thess 3. 2.

probatio eſt, ſic emollitio ab electione manat. Hoc tantùm inter duo iſta intereſt, quod emollitio fit electionis efficacitate poſitiua, induratio non eſt aliter à reprobatione quàm quia Deus qui non eligit non exerit in reprobatis eandem efficacitatem. Quamobrem emollitionis Deus propriè cauſa eſt, indurationis nequaquam. Conſidera igitur reprobos abſolutè in ſe, habent indurationis cauſam propriam à natura inſitam. Compara eos cum emollitis & quære cur hi vim ſpiritus corda emollientem adepti ſint, illi minimè, appoſitè reſpondebitur alios electos fuiſſe à Deo, alios verò reprobatos. Iam autem quid eſt induratio? Apoſtolus id illis verbis explicat. *Dedit eis Deus Spiritum ſoporis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* Vbinam igitur eſt illa illuminatio quam Arminij diſcipuli volunt eſſe communem? Clariùſne dici potuit, quandoquidem externam prædicationem omnes Iudæi audiuerunt, vt ex capite præcedente palam eſt, diſcreuiſſe Deum Iudæos à Iudæis, vt alijs oculos apertos & videndi facultate pollentes, hoc eſt, mentem illuſtratam interna vocatione concederet; alijs verò mentem quidem non eriperet, quæ pro oculis eſſe debuit, ſed eam à natiua cæcitate non liberaret neque verò defenderet à Diaboli præſtigijs magis ac magis excæcantis? At, inquit Arminius, indurationem iſtam illuminatio aliqua anteceſſerat. Vnde id probat? An ex eo quod alioqui inuitatio quæ per prædicationem externam facta eſt, minus ſeria fuerit & minus Deo digna? At iſtud eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, & afferre probationis ergo id de quo vel maximè diſputatur. An ex ipſius loci contextu? Quin Apoſtoli ratiocinatio & inſtitutum cauillationem illam perſpicuè refellit. Poſtquam enim teſtimonijs ex Eſaia & Dauide productis demonſtrauit Iudæorum magnam partem fuiſſe induratam, ſic interrogat. *Num igitur, inquam, impegerunt vt exciderent?* Et reſpondet, *Abſit. Sed per eorum offenſam ſalus obtigit gentibus vt eos ad æmulationem prouocaret.* In quibus verbis rationem diuinæ diſpenſationis in eo negotio aperit; permiſiſſe Deum, ſcilicet, & ſapienter ordinaſſe multorum Iudæorũ incredulitatem, vt ſic viam ad Gentilium vocationem ſibi ſterneret, vti rem eſſe futuram prophetæ multo antè prædixerant. Gentilibus verò vocatis, tum demum Iudæos iri conuerſum, aliorum fide & vocatione ad communionem federum diuinorum tanquam acri æmulationis aculeo ſtimulatos. Fac ergo, quod Arminius voluit, & Iudæos & Gentiles vocatos pariter & illuminatos fuiſſe intrinſecus eodem modo eodemque animo, & diſcrimen quod inter eos interceſſit ab vno eorum libero arbitrio extitiſſe, quî conſtare poteſt illa Pauli

li disputatio? aut vbinam ea Dei dispensatio locum habet?

At Christi parabola iin eam rem clara est vt quod maximè. *Ecce inquit, sator quidam exijt ad serendum. Et cùm is seminaret, alia quidē ceciderunt secundum viam, & venerunt volucres, & exederunt ea.* Quæ sic ipse interpretatur, *Omnis qui audit verbum Dei & non intelligit, malus venit, & rapit quod seminatum est in corde eius. Is est qui secundum viam semen excepit.* Nam facile quidem illud est ex hypothesi nostra: Nempe audiunt multi verbi prædicationem, & vt supra dixi, capiunt τὸ λεγόμενον. At quia spiritus eos non affecit intrinsecus, verbum non intelligunt, hoc est, non perspiciunt quàm verum sit atque cæleste. At illuminatos fuisse à Spiritu Dei, verbum autem non intellexisse quis credat? aut cui fiet verisimile? Nonne spiritus indulgetur vt verbum intelligatur? Quæ solent à nostris ex Actorum 16. produci planè memorabilia sunt. *Lydiæ*, inquit diuinus scriptor, *cor Deus adaperuit, vt attenderet ijs quæ dicebantur à Paulo,* προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου. Nempe vel προσέχειν significat attentionem quę solet etiam sine assensione præberi ab ingenio excitato, vel denotat fidei assensum veritatem & præstantiam obiecti firmiter apprehendentis. Prius si locum habet, vel apertio cordis Lydiæ fuit operatio quædam communis omnibus qui Paulum prędicantem audiebant, vel peculiaris Lydiæ & paucis alijs. Communis autem certè esse non potuit. Cur enim de Lydia peculiariter memoraretur? Et cur in Lydia sola fecisset vt actu ijs attenderet quæ dicebantur à Paulo? Quod si peculiaris Lydiæ fuit ea operatio Dei quæ cor aperit, frustra est Arminius qui nihil quicquam à Deo vi spiritus præstari vult in vno, quod non pariter præstetur in alio. At certè non nuda attentio, sed assensus etiam denotatur. Quod manifestum est ex historia. Credidit enim, & baptizata fuit, vna cum eius familia, & Paulum cum ipsius comitatu precibus compulit vt domo sua pro hospitio vteretur, & Ecclesiam apud se colligi neque verita est neque dedignata. Quod in loco infesto magnum argumentum fuit animi Christo penitus addicti atque consecrati. Προσέχειν ergo, vt sępe apud bonos auctores, assentiri est, obtemperare & fidem exhibere atque obsequium. Porrò, vel fuit ille in Lydia primus act⁹ fidei, vel cùm iam esset σεβομένη τὸν θεὸν, incrementum fuit fidei iam natæ & distincta Messiæ notitia adolescentis. Quodcunque autem dixeris, quamquam posterius longè verius est, Arminium iugulaueris. Cor enim mens est, fatentibus ipsis Arminij discipulis. Sic enim loquitur is cuius supra citaui dissertatiunculam in cap. 1. Epist. ad Ephesios. *In illis verbis*, πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς

Math. 13. 3. 4.

καρδίας ὑμῶν, *est* πρόληψις ἐξηγητική, *quæ explicat qualis sit illa cognitio, in mentis illustratione consistens.* καρδία *hîc pro animo humano ponitur, cui mens pro oculis. Philo de mundi conditura,* ὅπερ νοῦς ἐν ψυχῇ τοῦτ' ὀφθαλμὸς ἐν σώματι. Mens igitur Lydiæ tum fuit illustrata. Quod si omnes feminæ quæ vna cum Lydia Paulum prædicantem audiuerunt pariter consecutæ sunt, absurdum sanè fuit id de ea vna singulari quadam cura prædicare. Nec si Lucas significare voluit illuminationem communem à cæteris reiectam, ab vna Lydia admissam fuisse, ad Dei cor aperientis operationem, sed ad rectum & legitimum liberi arbitrij vsum recurrendum fuit. Quod supra leuiter attigi, id mihi nunc videtur præcipuè ponderandum; si omnium mentes illuminantur à Spiritu Dei, neminem esse qui Euangelium respuat per ignorantiam. Est enim illuminatio vel ignorantiæ vel eius quod ignorantiam creat, ex animo depulsio, vt ignorantia & illuminatio simul consistere planè nequeant. Ergo omnes increduli Christum reijciunt contra conscientiam. Repugnat enim intellectus cognitione veritatis Euangelicæ illustratus, & cum voluntate aliorsum trahente scilicet confligit ac colluctatur. Cùm tamen non modo Paulus & Iudæi id fecisse dicantur
Rom. 10. 2. δι' ἄγνοιαν, sed & ζῆλον θεοῦ ἔχοντες. Quî pote quæso vt vna consisterent zelus Dei ex ea persuasione ortus Christum esse reijciendum, & illuminatio quæ hanc notitiam indidit, Christum esse Dei Filium & vnicum seruatorem? Actorum 14. Paulus & Barnabas Lycaonibus Euangelium prędicarunt & miracula patrarunt in eorum conspectu. Illi primùm rei nouitate perculsi sublata voce clamantes, Deos induta humana specie è coelo descendisse, ad sacrificandum Barnabæ tanquam Ioui, Paulo tanquam Mercurio se se pararunt; nec nisi admodum difficulter quin tauros vittatos immolarent, potuerunt ab Apostolo compesci. Deinde statim mutata mente & furore incensi Paulum lapidibus obruerũt. Vellem equidem vt hîc mihi Arminij schola ostenderet vel leuissimum Spiritus sancti vestigium. Nam opinor furiosorum istorum intellectum, dum Apostolos lapidabant, non affirmauerint Dei gratia fuisse collustratum. Dum ardebant studio sacrificandi haud magis. Quid enim? Hoccine præstitit in eorum intellectu spiritus vt non modo falsorum numinum cultum atque reuerentiam illis non detraheret, sed & in pudendum istum errorem induceret vt homunciones Deos esse arbitrarentur? Egregiam sanè Dei operationem memorant, quæ homines iam sponte sua furentes noua quadam rabie ad idololatriam inflammat. Est igitur insitus à natura omnibus hominibus quidam religionis sensus: est animus qui rerum quæ vim naturæ superant admirabilitate percelli potest:

est mens denique quæ quid naturæ modum excedat, non omnino absurdè & imperitè dijudicare valet. Quæ omnia citra vllam Gratiæ efficacitatē in Lycaonib⁹ tum exstiterunt. At est pariter mentis cæcitas quam ea gratia non dispulit; est ad idolatriam propensio vehemens & inolita quam non correxit; est denique iudiciū in pietatis negotio peruersissimū quod nulla vis supernaturalis in ijs emendauit. Non possum hîc præterire locum ad rem nostram vel maximè pertinentem. Conatus erat Apostolus prædicatione & cohortatione sua Iudæos Romæ degentes ad fidē in Christum perpellere: Et id à nonnullis impetrauit, ab alijs minimè. Quum itaque discordarent inter se, Paulus discriminis causa altius indagata, sic locutus est. *Recte Spiritus sanctus per Esaiam Prophetam dixit, Vade ad populum istum & dic, Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis & non cernetis. Pinguefactum enim est cor populi huius & auribus grauiter audierunt*, &c. *Notum ergo sit vobis missam esse Gentibus hanc Dei salutem, & ipsos audituros.* Quæso si gratia quæ mentes intus illuminat communis fuit, quomodo illi dicuntur audire quidem, sed non intelligere, videre & nihil discernere tamen? Et cum, vt supra diximus, cor mentem denotet, quî pinguefactum illis cor esse dicitur quibus mens tanta luce à Spiritu Dei fuit illustrata? Atenim lucem illā à peruersis affectibus & ab obstinata voluntatis contumacia præfocari siuerunt. Quo factum vt iusto Dei iudicio animus illis occallesceret. Nunc non vrgeo neque verum neque vero simile esse vt intellectu tanta luce quantam Arminius omnibus communiter indulgeri vult, perfuso, voluntatem & affectus tantum posse vt ea cogatur abscedere. Hoc vnum quæro, cùm id Apostolus in promptu haberet quod Iudæis contumacibus exprobraret, non oblatam eis extrinsecus fuisse salutem tantùm, sed & in intimis animi recessibus à spiritu efficacissimè reuelatam, cur id illis non obijcit? Cur non eorum conscientiam appellat? Cur non eâ re contumaciam exaggerat? Cur non inuehitur in animum salutis & oblatæ & agnitæ deliberatâ malitiâ contemptorem? Certè si Paulus idem cum Arminio sensit debuit vehementem illam obiurgationem sic instituere, non vt diceret *audientes non intelligitis, videntes non cernitis*, quæ mentem proculdubio cæcam arguunt, sed auditis & intelligitis, videtis & discernitis, nec rei quam prædico veritatem aut præstantiam ignoratis: at vim ipsi adhibetis intellectui vestro, & data opera lucem in animis vestris accensam extinguitis & præfocatis. Quanto enim hoc quàm illud maius & atrocius peccatum est, tanto maiorem & vehementionem

Act. 28.

causam præbebat ad obiurgandum. Nec parum vim auget argumenti quod vbi Paulus eos alloquitur quos Dei Spiritus aliquatenus illuminauit, hortationes suas eo potissimùm telo armat, quod interna illuminatio non modò non spernitur impunè, sed & violata atque extincta ab omni spe renouationis excludit in æternum, vt clarum est ex cap. 6. & 10. Epistolæ ad Hebræos. Qui factum igitur vt à Iudæis quibus Christum annunciauit tot modis reiectus, tot contumelijs affectus, non modò id illis nunquam exprobrarit quod Spiritum sanctum extinguerent, sed & eis vt dixi Dei zelum attribuerit? Ad extremum in ea comparatione quam sæpe inter Iudæos & Gentiles instituit, vbi causas inuestigat cur illi reiecti hi verò vocati sint, nusquam dicit, nusquam vel leuissimum suspicionem inijcit, vtrisque communem spiritus gratiam esse concessam, quam alij admiserint
Rom. 11. 2. & 5. & 33. & passim. alij vero dispulerint ex intellectu. Vbique recurrit ad electionem, ad εὐδοκίαν τοῦ θεοῦ, ad imperuestigabilia Dei iudicia, ad causas denique vsqueadeò dissitas atque remotas ab ijs quas Arminius commentus est, vt luce meridiana clarius sit, alterum scripsisse diuini Spiritus instinctu, alterum intemperie quadam ingenij humani abreptum & agitatum, vt sibi compararet subtilitatis laudem veritati tenebras offudisse.

Quæ ab Arminij discipulis afferuntur vt vocationem internam communem esse adstruant, commemorare piget, vsqueadeo infirma sunt & indigna quæ accuratè refellantur. Aiunt Christum *voluisse congregare liberos Ierusalem*. Matt. 23, 37. Et *Deum tota die manus suas ad populum rebellem expandisse*. Esa. 65. 2. Et quod noluerit populus iste mandatis ipsius obsequi *grauiter indoluisse*. Psal. 81. 14. Et Christum *salutem omnium* quæsiuisse, Ioan. 5. 34. Et *Deum omnes homines velle saluos fieri*, 1. Tim. 2. 4. Et *nolle vllum perire*, 2. Petr. 3. 9. Et multa alia huiuscemodi congerunt. Quæ ostendunt quidem omnes externa prædicatione inuitari atque adeò seriò inuitari, vt si veniant, salutis sint compotes, vt supra fusiùs explicauimus. De vocatione interna in illis neque vola neque vestigium. Addunt illi nescio quas rationes quas vehementer vrgent quasi foret in illis inuictum causæ præsidium collocatum. Aiunt ergo primò, nisi gratia quædam interna prædicationem externam perpetuò comitetur, haud benè Euangelium vocari Euangelium Spiritus. Deinde Deum promisisse per Ieremiam fore vt fœdere Euangelico leges suas hominum cordibus inscriberet. Tertio nisi causa fidei sit omnibus communis frustra Christum pro omnibus communiter esse mortuum sub fidei

condi

conditione. Quarto nisi causa fidei sit omnibus cõmunis, gratiam quæ extrinsecus offertur non posse dici sufficientem. Absurdum autem esse statuere Deum miseris mortalibus illudere oblata gratia quæ nihil præstare potest. Quibus adijciunt ea Scripturę loca in quibus nonnulli spiritum accepisse dicuntur quos tamen fatemur non esse in electorum censu numerandos. Et ad primam illam rationem quod attinet, Euangelium ab Apostolo ministerium spiritus appellatur per oppositionem ad Legem, quam nulla vis spiritus verè conuertentis verèque sanctificantis comitata est. Quod ex inspectione loci cuiuis manifestum esse potest. 2. Cor. 3. vers. 3. 4. 5. Appellatio autem illa quidni in Euangelium competet, tametsi Spiritus non omnibus indulgeatur? Nam indulgetur multis sanè: at per Legem omnino nulli. Tum & istud memoratu dignum quod etsi Euangelium non est efficax apud omnes, nusquam tamen est omnino inefficax, nec vsquam prædicatur quin aliquem conuertat. Quod sine virtute spiritus non fit. Sunt illa non in eodem contextu sed in loco planè simili ad rem quam agimus accommodatissima. *Non est sermo meus & præconium meum in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritus & potentiæ.* Ideo enim quod præconium Euangelij est ἐν ἀποδείξει πνεύματος, ministerium spiritus appellatur. Est-ne igitur illa ἀπόδειξις omnibus communis? Et si communis est quî fit vt Euangelium à tam multis reijciatur? *Demonstrationibus* enim intellectus neque resistit, neque resistere potest. Ad secundam rationem iam supra respondimus. Instituitur apud Ieremiam comparatio inter fedus nouum & fedus antiquum respectu euentus vtriusque. Hoc irritum fuit quia nemo Dei mandata impleuit: illud ratum fore prædicitur, quia facturus est Deus vt nonnulli credant. Quid hoc ad gratiam internam omnibus hominibus communem? Et sanè illud si ad omnes homines pertinet indiscriminatim, *inscribam leges meas eorum cordibus*, & istud itidem pertinebit: *omnes me agnoscent*, & *propitius ero eorum iniquitati, nec peccati eorum vnquam meminero.* Non enim modo eodem contextu continentur, sed & alterum ex altero necessariò pendet. Omnesne ergo Deum cognoscunt? Omnes ne iustificantur? Quemadmodum igitur non omnes iustificantur, quia Deum non cognouerunt omnes; sic non omnes Deum cognouerunt quia non omnium cordibus leges suas insculpsit. Tertiæ rationis refutatio ex ijs quæ iam antea à nobis disputata sunt cuiuis obuia est. Nam si *frustra* significat non omnes actu per Christum seruari, ex eius morte nullam ad incredulos redire vtilitatem, eorum respectu frustra Christum esse

mortuum facile concedimus. At si *frustra* significat Deum rem ita fieri procurasse nullo consilio, nec vllam in eo misericordiam, nullam ad salutem hominum propensionem ostendisse, id vero pernegamus & contendimus esse longè falsissimum. Potuerunt seruari si voluissent, quod seruati non sunt id debet eorum inuictæ pertinaciæ & obstinatæ malitiæ imputari. Quartæ rationis nodum sic dissoluimus. Duplici morbo laboramus. Vnum in eo positum est quod maledictioni sumus obnoxij propter peccatum. Alterum in eo quod ad ea cæci sumus quæ nos à maledictione liberare possunt. Et ad prius illud malum quod attinet, satisfactio à Christo præstita, sufficiens, opinor, gratia est, quæ quemuis ab eo liberet, modo credat. Finge ergo animo aliquem maledictioni obnoxium propter antecedentia peccata, at facultatibus intellectus & voluntatis rectè vtentem Christi satisfactionem apprehendere, liberationem à maledicto consequetur. Nam ad salutem obtinendam fides vnde sit, dummodo vera sit & sincera atque vehemens, planè nihil interest. Hactenus ergo gratia Christi sufficit, vnum hominis vitium prohibet quominus euentum sortiatur. De posteriore res ita se habet. Duo sunt ad fidem habendam necessaria: obiectum verum propositum ad credendum; & facultas aptè constituta ad obiectum apprehendendum. Obiectum autem illud clarè proponitur in Euangelio. Fac ergo hominem non esse nequam, nihil illi deerit eorum quæ ad fidem habendam necessaria sunt. Sufficit ergo adhuc eatenus Christi gratia extrinsecus oblata, quemadmodum solis lux sufficit ad actionem visus eliciendam si oculis vales. Sufficeret ergo abundè vndequaque Christi gratia nisi homines nequam essent. Nam quod aliquis obijcit non sufficere eam gratiam quæ amorem Dei cordibus ingenerare non potest, non posse autem ingenerari nisi à Spiritu Dei, vanum est. Vnamquamque rem amamus prout eam cognoscimus præditam qualitatibus dignis quæ à nobis diligantur. Quando igitur Christus in Euangelio reuelatus est longè dignissimus qui vehementissimè diligatur, si facultatibus nostris naturalibus rectè vteremur, & Christum cognosceremus amabilem, &, quod omnino consequens est, summoperè diligeremus. Dicam aliquid amplius. Duplex est actus spiritus Dei in nobis, alter qui fidem creat, alter qui fidem creatam & præstitam subsequitur, quique præcipuè pertinet ad sanctimoniam ingenerandam. In illo posita est conditionis federis Euangelici præstatio: in hoc
Ioh. 7. pars promissionis federis consistit. Pollicetur enim Christus se datu-
37. 38. rum Spiritum suum omnibus credentibus. Fac ergo aliquem conue-
niente




nienter adhibere facultatem intellectus ad Christum apprehendendum, fide præstita spiritum sanctificationis acciperet, qui Christi & Dei amore animos incendit. Quocunque igitur te conuertas, per vnius hominis malitiam stat quominus gratia Christi, quę extrinsecus offertur, sit sufficiens & ad maledictionem obliterandam, & ad fidem generandam, & ad veram sanctimoniam verumque Dei amorem in animis omnium procreandum. De ijs quibus Scriptura dicit partem aliquam spiritus indultam esse, qui tamen in electorum censu numerari non debent, res est expedita. Nempe illi pauci sunt, ideoque nil quicquā id pertinet ad doctrinam de gratia interna vniuersali confirmandam. Pauci sunt illi, inquam. Idque ex eo manifestum est quod & Heb. 6. 6 ij post defectionē à Christo ab omni spe instaurationis atque renouationis ad pœnitentiam deijciuntur, & torquentur atque cruciantur iusto Dei iudicio acerrimis animi formidinibus, quæ tandem in desperationis voraginem impellunt. Eorum autem qui Christum externa prædicatione oblatum reiecerunt nonnulli postmodum conuertuntur; ex illis vero qui non conuertuntur & manent obstinati, cum horrendis illis animi ægritudinibus conflictantur oppidò pauci. Quin ideo quia dum Christi seruos acriter persequuntur se se Deo rem gratam facere autumant, ijsque veluti gradibus in cœlum ascendere se posse sperant, in eo sibi blandiuntur & suauiter acquiescunt. Hæc quia leuia sunt, sunt etiam à nobis refutatione leuiter perstricta vt in instituta doctrinæ Caluini demonstratione pergamus.



# CAPVT XV.

## *Caluini doctrinam in capite nono Epistolæ ad Romanos esse fundatam.*



QVONIAM igitur decretum absolutum cuius vi alij vocantur efficaciter, alij vero prætereuntur, ex quo ijs incumbit pereundi necessitas, nusquam alibi Spiritus sanctus clariùs reuelauit quam in capite nono Epistolæ ad Romanos, nec vsquā etiam ingenij humani præpostera sedulitas diligentius elaborauit quā in eius capitis interpretatione deprauanda, nobis est hic aliquid præstandum vt eam ab Arminianorum corrup-

telis vindicemus. Non quod sit animus quæcunque ab ijs in eam rem dicta sunt vel studiosè consectari vel scrupulosè ponderare: nullus est enim in ea schola vitilitigandi finis, nullus modus argutiarum. Hoc tantùm breuiter demonstrare constituimus, neque rem ab Apostolo eo capite tractatam, neque verba quibus eam explicat, cum instituto quod illi Arminius affinxit, cohærere & consentire posse. Qua re confecta facilis erit ad conclusionem istam transitus, in nostra huius capitis interpretatione acquiescendum esse. Sic igitur Arminij discipuli sententiam suam ea de re explicant. *Thesim, inquiunt, hanc contra omnes Iudæorum exceptiones defendit Apostolus: Dei scilicet propositum inde ab antiquis temporibus fuisse, non eos qui ex lege iustitiam quærunt, sed qui Dei in Euangelio reuelatis promissionibus credunt, iustificare, & consequenter adoptare & beare, pro eo quod ad hoc faciendum instructus est, iure ac potestate. Hoc illud est quod hoc in loco Apostolus sibi habet propositum, hic scopus est huius capitis. Adeò vt quæstio hic non sit de datione fidei, sed iustitiæ, non quomodo & quibus Deus velit dare fidem, sed quomodo & quos velit iustificare & adoptare.* Quæ ex scriptis aduersus Synodum Dordracenam ab ijs editis descripsimus, quia & Arnoldi & Arminij ipsius verba in constituendo illo Apostoli fine vel prolixiora sunt vel impeditiora. Nituntur autem duobus potissimum argumentis. Prius est quod cùm initio huius capitis Apostolus duos typos ad argumenti sui tractationem adhibeat, vnum de Isaaco & Ismaele, alterum de Esauo & Iacobo, rationi videtur esse consentaneum vt eodem pertineant. Nam quæ causa typos istos ad res toto penè genere diuersas referendi? Typum autem Isaaci & Ismaelis ad doctrinam de Iustificatione referendum esse, putant extra omnem dubitationem esse positum: tum quia hoc ipso loco Isaacus & parens est & typus eorum qui vocantur τέκνα τῆς ἐπαγγελίας, ij autem fideles sunt: tum quia Paulus ipse cap. 4. Epistolæ ad Galatas eandem allegoriam ad doctrinam de Iustificatione confirmandam & illustrandam applicauit. Neque autem conuenit vt vna res duas adeo diuersas doctrinas de Iustificatione, & de electione, qualis à Caluino traditur, adumbrauerit, neque verisimile est Apostolum priore typo de iustificatione proposito, subito transuolare ad alterum in quo doctrina de electione & reprobatione designetur. Posterius argumentum est quod versu 30. huius capitis Apostolus sic loquitur, *Quid ergo dicemus? Nempe gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehendisse iustitiam, iustitiam autem eam quæ est ex fide.* In quibus verbis agi de iustificatione quis ambigat? Alienum autem videtur ab omni veritatis

Expl. Cap 9. ad Ro. pag 98.

& rationis specie, vt Apostolus de electione ac reprobatione, qualis docetur à Caluino, disputet, de iustificatione autem tam apertè concludat. Nos certè hîc nolumus argumentorum istorum vim expendere: id postmodum fieri poterit commodius. Nunc demus Arminio quod postulat, & hîc in capitis conclusione, & illic in propositione prioris typi agi de iustificatione ; videamus tantummodo an reliqua congruant. Nam si pugnent & ad doctrinam de iustificatione citra vim manifestam reuocari nequeant, quid restat quàm vt vel duo illa argumenta falsum supponant, vel vt quę intra prioris typi propositionem, & conclusionem capitis versu 30. inchoatam continentur, includenda sint parenthesi vt reliqua inter se aptè & commodè connecti possint ? Sunt ergo illi viginti versus diligenter considerandi, atque ordinis caussa reuocandi ad quatuor præcipua capita. In primo, quod habet versus 10, 11, 12, 13, alter typus proponitur. In secundo quod complectitur vers. 14, 15, 16, 17, & 18, obuiam itur suspicioni, quasi doctrina primo capite comprehensa Deo aspergeret labem aliquam iniustitiæ. In tertio quod versibus 19, 20, 21, 22, 23, continetur, occurrit Apostolus alteri cuipiam seu suspicioni, seu obiectioni, quasi eadem illa doctrina in eo negotio de quo agitur, Deo voluntatem aliquam attribueret quæ non modo in se sit insuperabilis, sed etiam hominibus excusationis legitimæ occasionem præbeat. A versu 23, caput quartum deinceps excurrit, in quo superiorem doctrinam Oseę testimonio Apostolus confirmat. Et quia eorum paucitas ad quos pertinet ea dispensatio, quæcunque est, hominum animos admodum offendere potuit, vt offensionem minuat & scandalum amoliatur, rem sic multo ante prædictam esse declarat, prolatis Esaiæ testimonijs quæ hanc disputationem claudunt in versu vigesimo nono. Hæc ita distribuere placuit ne rerum indistincta multitudo veritati tenebras offunderet. Et ad primum quod attinet, si duo illi typi rem vnam & eandem adumbrarunt, omnino necesse est vt vel omnia vel saltem penè omnia inter se habuerint similia atque communia. Nam quî pote vt duæ tabulæ inter se admodum diuersæ ac discrepantes vnam faciem repræsentent ? Certè quæ ab Apostolo proponuntur allegoriæ sunt ei ab instinctu Spiritus sancti suppeditatæ. At eiusmodi tamen & fuerunt & esse debuerunt vt historiæ ex quibus desumebantur, magnam quandam similitudiuem & conuenientiam cum ijs rebus haberent ad quas ab Apostolo sunt accommodatæ. Alioqui se se mentibus hominum nunquam probassent, apud quos in illis Euangelij primordijs non tam auctoritas

Apostolica valebat ad persuadendū, quàm euidentia veritatis. Quod si non aliter assensum impetrare potuerunt, quam quia mens hominum latentem quidem antea, sed postquam in lucem prolata est, admirabilem conuenientiam inter typos & res typis significatas intercedentem animaduertit, necesse est vt vbi duo typi ad eandem rem denotandam conspirarunt, conspiratio illa obseruata sit in vtriusque inter se & cum tertio quodam similitudine. Conueniunt autem certè hi duo typi in eo quod vt prioris liberorum paris Abrahamus pater fuit, sic Isaacus posterioris. In cæteris tanta est discrepantia vt nusquam alibi congruant. Isaacus & Ismaël nati sunt ex duabus matribus: Esauus & Iacobus ex vna tantùm. Ismaël ex ancilla prodijt, ideoque fuit conditione seruus, nam fructus ventrem sequitur; Isaacus ex libera liber fuit: inter Esauum & Iacobum eatenus nullum fuit discrimen. Ismaël natus est absque miraculo, Abrahamo per ætatem adhuc viribus non defecto; Isaacus procreatus est à parentibus effœtis & præter naturæ ordinem: Esauus & Iacobus vno cōcubitu suscepti sunt citra vim vllam supernaturalē præter eam quæ necessaria fuit vt Rebecca, cæteroqui sterilis, concipere posset. Isaacus genitus est vi promissionis cuiusdam antecedētis, Ismaëlis generationem nulla promissio antecessit. Quæ Esaui & Iacobi generationem antecesserunt vel non antecesserunt, pariter spectarunt ad vtrumque. Quid est inter illa duo paria quod non apertè dissentiat? Quo pacto igitur sunt ad idem significandum vel à Spiritu Dei destinata primùm, vel ab Apostolo traducta demum atque accommodata? Atque id erit aliquanto euidentius si viderimus quibus in rebus Apostolus consensionem inter priorem typum & doctrinam de iustificatione constituit, vt alter alterius gereret imaginem. Nam ad Galatas 4. primum obseruat ex duobus Abrahami liberis vnum natum esse ex ancilla, alterum ex libera. Deinde eum qui natus ex ancilla est, procreatum esse κατὰ σαρκὰ, hoc est vi naturæ. Nihil enim frequentius est quàm vt σὰρξ naturæ ordinem denotet citra vim vllam supernaturalem. Eum vero quem libera peperit natum esse per promissionem. Deinde ait duas matres duo fœdera designasse & duplicem obtinendæ iustificationis rationem. In Sara Euangelij, in Agare Legis imaginem fuisse figuratam. Legem gignere quidem, sed seruos, nempe iustitiarios; Euangelium liberos procreare qui iustitiam ex fide consequuntur. Per legem non subministrari spiritus gratiam, rem totam permitti viribus naturæ & arbitrio humano, aut si vis aliqua legem comitatur, eam nihil aliud esse præter spiritum qui ideo

seruitutis appellatur, quia eius efficacia non alij motus excitantur in animo quam qui seruos decent, quos vnus flagrorum & pistrini metus impellit ad obsequium, quique nulla honesti specie, nulla officij reuerentia ducuntur. Per Euangelium suppeditari gratiam cælestem admirabilem, omnem naturæ vim infinito interuallo supereminentem, quæ omnes hominum cogitationes αἰχμαλωτίζει. Age quæso, Lector, posteriorem typum excute, reperiesne aliquid quod eo duci vel trahi possit? Vbinam illa duo fœdera? vbinam duæ nascendi conditiones? vbinam reliqua in quibus ratio typi consistit? Multa hîc Arminij schola indagat & suspicatur de ijs rebus quas Iudæi vel poterant vel non poterant aduersus doctrinam Apostolicam afferre: multa viro diuino affingunt quæ respondeat: scrinia omnia subtilitatis excutiunt, & ea dicunt quæ si Apostolus reuiuisceret, forsitan intelligere nequiret. Omnia frustra, nisi primum ostenderint decuisse scriptorem tam sapientẽ res natura tam diuersas ac repugnantes in vnam redigere atque componere. Verum Apostoli verba propius intueamur. Obseruat igitur Rebeccam ex vno concubitu duos liberos concepisse.
Quod non est proculdubiò temerè positum. Non potest autem sanè ad doctrinam de Iustificatione pertinere. Nam vna mater duo fœdera repræsentare nequit, quorum alterum in fide, alterum in operibus Iustificationis obtinendæ rationem ostendat. Quod si Iacobus & Esauus typi fuerunt eorum quos vnum idemque fœdus Deo peperit, haud dicit Apostolus instituto suo consentanea. Ait enim Deum inter Esauum & Iacobum discrimen constituisse tantum, vt alterum odio habuerit, alterum sit amore prosecutus. Iam autem Deus nullum discrimen statuit inter eos qui eodem fœdere continentur. Omnes procreatos ex fœdere legali, repudiat, omnes ex Euangelio progenitos, admittit ex æquo & pro suis agnoscit. Et cum hîc instituatur comparatio inter conditionem quam vterque à parentibus habuit, & sortẽ quæ ex Dei voluntate vtrique extitit, generauerit eos Rebecca, hoc est, fœdus Euangelicum, liberos ambos, Deus tamen alterum abdicauerit, alterum ad hæreditatem cernendam admiserit. Quæ sunt clarè pugnantia & ἀσύστατα. At fac Apostoli doctrinam esse vnam cum doctrina Caluiniana, vt sanè est, quàm apposite res quadrabit? Nimirum vult ostendere Deum pro libero suo beneplacito natura æqualibus tribuere inæqualia. Ad eam rem adhibet eorum typum quos ijdem parentes, eodem concubitu, eadem planè conditione generarunt, inter quos tamen tantum discrimen Deus intercedere voluerit.
Quid potuit esse magis congruens & appositum? Obseruat secun-

dò Paulus antequam pueri nati forent, & quicquam fecissent boni vel mali editum esse oraculum quod eos discriminauit. Quod Apostolus summoperè considerandum esse duxit. Non enim existimauit esse de nihilo quod in earum rerum dispensatione quas ad allegoriam traduxit, prouidentiæ Spiritus ea fuit ratio, vt & oraculum ederetur, dum adhuc erant in vtero pueri, & Moses ita narrationem suam institueret vt insignis illa circumstantia non omitteretur. Solent enim ab Apostolo verba Mosis tanti fieri vt nihil ab eo temerè scriptum, nihil fortuitò vel incogitanter aut memoratum aut tacitum esse putet, nihil denique vel narratum vel omissum in quo non lateat aliquid μυστηριῶδες. Id autem quid faciat ad doctrinam de Iustificatione, equidem non video. Nam si Esauus, vel ij quos Esauus similitudine expressit, reiecti sunt ideo quia non crediderunt, Iacobus verò aut quos ille figurauit, in ius filiorum adoptati sunt quia fidem adhibuerunt Euangelio, obsecro nonne potius conueniebat vt differretur oraculi pronunciatio in id tempus quo vterque factis prodidisset quomodo se se haberet eius animus ad credendum? Certè quando causa discriminis est in eorum fide & incredulitate, pœnitentia & impœnitentia posita, absurdum est vt quod maximè ad eius rei cõfirmationem afferre id quod clarissimè innuit nullam in discrimine statuendo rationem esse habitam ab ijsne profectum esset aliquid annon, quod Dei voluntatem mouere & impellere posset. At pone Caluini hypothesim, nihil dici potest conuenientius. Nimirum quia in dispensatione gratiæ quæ fidem creat, & in comparatione eorum quibus vel datur vel denegatur, Deus non opera, non merita, non quidquam istiusmodi aliud intuitus est, sequutus est vnam suam liberrimam voluntatem, nihil potuit fieri sapientius quam vt eiusmodi oraculum cum tali circumstantia memoraretur. Nam quod Arminij discipuli hic obseruant non agi de fide donanda, sed de iustificatione, quia Apostolus ait μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακόν, quibus verbis innuitur iustificationem non esse per opera, leue est. Nempe cùm Iudæi se se virtutibus & meritis operum reliquos homines antecellere crederent, procliue fuit vt Deum accusarent alicuius iniustitiæ, vt pote qui vocasset efficaciter ad salutis participationem gentes, omni genere proborum obrutas, reiecisset autem Iudæos quorum plerique bonis operibus studere videbantur. Rem igitur illam Apostolus anticipat, & ostendit inde ab Ecclesiæ primo ortu, cùm vnius Isaaci familiæ septis contineretur, summam in eo negotio Dei libertatem fuisse præsignificatam, vt qui nihil quidquam operibus in electione

tribue-

rit. Pergit Apoſtolus & ait, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ. Quod Arminius ſic interpretatur vt dicat, *Deum iſto oraculo nihil aliud ſignificare voluiſſe quàm ſe propoſitum de iuſtitia & ſalute communicanda apud ſe ab æterno ſtatuiſſe, non quod omnes in vniuerſum Abrahami poſteros complecteretur, ſed quod eſſet* ſecundum electionem, *qua inter hos & illos diſcerneret, & non ſimpliciter in ſua natura integra aut corrupta conſideratos, ſed reſpectu conditionis per quam iuſtitia & ſalus eſſet applicanda.* Quæ ſanè mentem Apoſtoli corrumpunt. Primo enim abſurdum eſt illud, *nondum natis pueris, cùm nihil feciſſent boni vel mali*, nihil aliud ſignificare quam decretum de ſalute per fidem communicanda eſſe *ab æterno* conſtitutum. Quis vnquam talem phraſim audiuit? Quum Scriptura vult æternitatem denotare, dicit, ἀπ' αἰώνιον, πρὸ τῆς καταβολῆς κόσμου, & ſimilia. Tum ſi iſtud *nondum natis*, ęternitatem denotat, quid attinebat addere, *cùm nihil feciſſent boni vel mali*, quæ manifeſto adiecta ſunt ἐπεξηγητικῶς: Hęc enim certe nihil ad æternitatem. Neque Apoſtolum veriſimile eſt hoc voluiſſe obſeruari, oraculum editum eſſe μήπω γεννηθέντων &c. vt ſciremus propoſitum illud Dei eſſe æternum; quis enim id neget? Hoc voluit tantùm, benè vel ſecus actorum in cōſtitutione propoſiti nullam eſſe habitam rationem. Atqui in iuſtificatione fides conſideratur, in damnatione incredulitas. Idque perſpicuum eſt ex illis verbis, ἵνα μένῃ, &c. Scilicet quid egregiè facit ad id vt propoſitum de ſalute communicanda per fidem maneat, ſi ſciamus editum fuiſſe oraculum antequam pueri quidquam boni vel mali feciſſent? Nonne potius id pertinet ad propoſitum illud euertendum, quandoquidem eius executio eo ſolo nititur quod alij aliquid boni, alij vero aliquid mali præſtiterunt? Crediderunt illi ſcilicet, hi minimè. Adde quod iſta ἡ κατ' ἐκλογὴν θεοῦ πρόθεσις, emphatica ſunt, vt eſt à viris doctis obſeruatum. Nam ſi Apoſtolus ſcripſiſſet ἵνα ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ κατὰ τὴν ἐκλογὴν aliquod in eo forſitan Arminius cauſæ ſuæ præſidium reperiſſet. Vult enim propoſitum de ſalute per fidem communicanda executioni mandari per electionem aliquam memorabilem: ſiquidem credentes ab incredulis in adoptionem ſecernuntur. At ſiquis Apoſtoli verba legat attentè, facilè perſpiciet, oraculum illud, *maior ſeruiet minori*, pronunciatum eſſe μήπω γεννηθέντων &c. vt maneret, hoc eſt firma atque rata eſſe, ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, propoſitum quo Deus alterum ab altero ſecreuit. Quid quod propoſitum de ſeruandis fidelibus propriè ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις dici non poteſt? Nempe ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις eſt propoſitum cuius ᾗ τὴν οὐσίαν εἶναι in *electione* ſitum eſt, vel propoſitum quod electionem facit at-

que ſeparationem. Idem enim eſt ac ſi Apoſtolus id appellaſſet πρόθεσιν
Diog. Laërt. in Prœm. ἐκλεκτικήν? Vt Ἐκλεκτικὴ αἵρεσις, pud Diogenem Laërtium, eſt ea Philo-
ſophiæ ſecta quæ ſeligit τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων. At propoſi-
tum de ſeruandis fidelibus, ipſo ſic docente Arminio, nihil propriè
ſeligit aut ſeparat, & ſi omnes crederent, omnes ad vitam admitteren-
tur. Quod ſi in executione illius propoſiti fit ſeparatio quædam, non
fit ea propriè vi propoſiti, ſed per accidens. Accidit enim vt non om-
nes ſed pauci tantummodò crederent: quod propoſito ipſi non eſt
vllo pacto tribuendum. Quæ ſequuntur apud Apoſtolum, *non ex o-
peribus, ſed ex vocante*, Arminio ſic explicare libuit, *non ex operibus,*
℣. 12. *ſed ex fide quâ vocanti Deo paretur*. Quæ mira eſt licentia. Fides eſt
ex vocatione; vocatio ex vocante; ergo illud, *ex vocante*, ſignificat
*ex fide*. Quid ergo? Ferret-ne Arminius Pontificium aliquem ſic
diſputantem? Opera ſunt ex fide. Apoſtolus autem nos dicit fide
iuſtificari. Ergo iuſtificamur operibus? Quamquam ſanè fides & o-
pera immediatè cohærent, non cohæret fides cum vocante niſi vo-
cationis interuentu. Vt ſi Pontificius aliquis id audeat, effecto tri-
buat quod cauſæ proximæ eſt, Arminius vero aſcendat vſque ad re-
motam. Pari ſubtilitate, qua hebetudinem quamlibet atque tardi-
tatem infinitis partibus optabiliorem eſſe certo ſcio, Impuratus
Socinus iuſtificationem noſtram morti Chriſti in Scriptura tribui
dicit, quia mors Chriſti reſurrectionem eius anteceſſit, reſurrectio
ſpem præmij facit recte viuentibus, ſpes talis ad pœnitentiam excitat,
pœnitentia inuitat ad condonandum, condonatio autem iuſtificatio
eſt. Quas ambages Arminius ipſe in eo argumento non probauit,
doctiſſimus Grotius egregijs rationibus edocuit minimè omnium eſſe
probandas. Quid ſi aliquis dicat Apoſtolum nugari quia illud ἐκ τοῦ
καλοῦντος ſignificare poteſt *per opera*, opera enim ex fide ſunt, fides ex
vocante? Quid reſpondebit Arminius? Fatebiturne phraſim iſtam
eam interpretationem admittere poſſe? Ita ergo locutus fuerit Apo-
ſtolus, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐξ ἔργων, quæ mera nugatio eſt. Repugna-
bitne? Omnino neceſſe eſt. At quam repugnantiæ ſuæ cauſam af-
ferre poteſt quæ non eadem opera alterum illud interpretamen-
tum reijciat atque refellat? Adde quod ſi dixiſſet Apoſtolus. ἀλλ' ἐκ
τῆς κλήσεως, ſi nihil aliud feciſſet, ſaltem oppoſuiſſet rem rei, non au-
tem rem perſonæ: opera inquam vocationi, non vero ipſi Deo. At
quænam eſt iſta oppoſitio, vt Apoſtolus dicat iuſtificationem non eſſe
*ex operibus*, ſed *ex Deo*, cum eam eſſe *ex fide* ſignificare vult? Quis
vnquam ſic locutus eſt? Vt interim taceamus vix vnum & alterum
eſſe

esse locũ in disputationibus Apostoli de iustificatione, in quo monuerit fidem esse ex vocationis diuinæ efficacitate. Nam id certè facit alibi passim. At in ijs disputationibus aut nunqnam aut rarissimè. Cuius rei ea proculdubio ratio est, quod id nihil ad institutum pertinebat. Nam vt iustificationem obtineas, vnde fides nata sit, si modo vera est, planè nihil interest. Deus te non interrogabit in iudicio vtrum vi spiritus sui credideris, nec-ne; hoc petet, vtrum reuera credideris. Quod nemo credit, nemo credere potest nisi spiritus efficientia, id ad prædestinationis negotium spectat, à negotio iustificationis longo interuallo disjunctum. Vt planè sit importunum atque inusitatum hîc mentionẽ τῆς κλήσεως infulsisse. Quod si hîc statuatur Caluini hypothesis, nihil potest Apostoli verbis dici diuinius. Cùm enim quæratur causa quamobrem Deus æqualibus tam inæqualia tribuerit, vt hos vocauerit ad Christi communionem efficaciter, illos minimè, Iudæorum autem ea superbia sit vt se propter operum suorum merita in distributione donorum diuinorũ cęteris mortalibus pręferendos esse ducant, Apostolus verò contra neget in eo rei cuiusquam quæ ex hominibus profecta sit habitam esse rationem, non modò facilè patiebatur sed etiam flagitabat illius institutum vt negaret causam discriminis esse ab operibus, & affirmaret esse duntaxat ab *vno vocante*. Nihil enim hic intercessit nisi quod sic *Deo vocanti* libuit. Sequuntur apud Apostolum illa verba, *maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esauum autem odio habui* : ad quæ Arminij schola tria præcipuè commentatur. Ait enim primò, Esauum & Iacobum hîc non considerari personaliter, nec vllam esse idoneam rationem cur ex ijs alterum electum, alterum verò reprobatum existimemus. Manifestum esse Malachiæ dictum, quod priori oraculo vice commentarij est, respicere duos populos Iudæorum, scilicet, & Idumæorum. Secundò, seruitutem eam quâ Idumæos Iudæis subiectum iri prædicitur, res temporales respicere, non autem æternas; vix vt possint cum aliquo colore ad doctrinam de electione & reprobatione referri. Denique, Esauum considerari tanquam typum iustitiariorum, Iacobum vero tanquam eorum typum qui per fidem iustificantur. Et ad primum quod attinet, Esauus electusne fuerit an verò reprobatus ab ea reprobatione de qua nunc disputamus, nostra nihil interest. Nihil enim necesse est vt ratio typi, & ratio rei typo significatæ vna in eodem concurrant. Quamquam Esauus describitur vt is qui futura sperneret, præsentia verò, quantumuis leuia & nullius planè momenti, magni faceret & præoptaret. Tum ei videtur fuisse ingenium &

in fratrem atrox & aduersus parentes refractarium. Ac denique Spiritus sanctus *profanum* eum nominat, qui δικαίων τετελειωμένων memoriam non solet talibus appellationibus infamem tradere posteritati. At id non vrgemus. Hoc verò probare non possumus, neque eum neque Iacobum vllo pacto hîc personaliter considerari. Nam esto. Verba ista, *maior seruiet minori*, de populis intelligantur quos oraculum in vtero Rebeccæ inter se confligere memorat, nemo tamen negauerit in eo Iacobo singularem aliquam prærogatiuam indultam esse, quod Esaui posteritatem Deus voluerit habitare montes solitarios, vt est apud Malachiam, ac regionem horridam & draconibus ferisque beluis infestam, alterius vero liberos in amœno & rerum omnium feracissimo solo collocauit. Sortem enim liberorum ad parentes aliquatenus pertinere, præter verbum Dei docet ipse naturæ sensus. Tum, quis inficiabitur ex eo oraculo tanquam effectum ex causa promanasse, quod ius primogenituræ Esauo debitum, si nascendi ordinem spectes, Deus transtulit in Iacobum natu minorem? Non igitur etiam illud ad eorum personas pertinebat? At Malachiæ verba diligenter obseruanda sunt. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dicitis, Qua in re dilexisti nos? Annon Esau Iacobi frater erat? Et tamen Iacobum dilexi, Esauum verò odio habui, & posui montes eius in solitudinem, &c.* Quis non videt Deum ipsum testari se duos illos fratres amore atque odio discreuisse, cuius rei argumentum est quod eorum sortem habitandi multis partibus reddiderit inæqualem? Quum igitur non solùm pares essent nascendi conditione, sed & nascendi ordine ita impares vt Esauus in eo potior esset, quæ causa esse potuit vt Deus in animum induceret Iacobum tanto præferre? Nam id Deus sanè suo imputauit vel amori vel odio; cur amaret vel odisset nullam causam eo loco declarauit. Quid nullam causam declarauit? Certè, quæ in alterutro esset, vel in vtroque. At satis apertè innuit se in eo omnia libertati arbitrij sui tribuisse. Ista enim admodum emphatica sunt, *Nonne Esau frater Iacobi fuit?* Quasi diceret, in eorum neutro quidquam fuit cur alter alteri præcipuo quodam amore anteferretur. Nulla re inuitatus studia mea inter eos tam inæqualiter partitus sum. Hoc dedi Iacobo liberaliter vt eum amare vellem, cùm tamen eius fratrem eodem fauore prosequi noluerim. Quibus consentaneum est istud ab Apostolo tam sapienter animaduersum, μήπω γεννηθέντων, &c. Alterum quod dicit Arminij schola æquè est præter rem. Nam esto: quidquid illud est quo Iudæi Idumæis antecelluerunt, quodque memoratur à Malachia, spectauerit ad hanc vitam, non autem ad futuram, attamen ambiguum

biguum non est quin illa dispensatio mystica fuerit, multoque longiùs prospexerit in futurum. Pręterquam enim quod Apostolus hoc generatim tradit, *omnia veteribus in typo contigisse*, clarum est spiritualia in corporeis, in temporalibus sempiterna fuisse olim adumbrata. Nec id negat Arminij familia. Restat ergo quærendum cuius rei in ea posteritatis Esaui postpositione typus sit institutus. Nam Canaan quidem cæli gessit imaginem, cui consentaneum est vt horrens ille Seir, quem pręter natiuam sterilitatem, ingentes clades ad vastitatem redegerant, sortem eorum figurauerit qui à beatis cęli sedibus in *locis tenebricosis* & Draconis rufi habitationi destinatis exulabunt. Et in eo ratio typi constare potest, quod quemadmodum antequam Israël in Canaan introduceretur, fedus cum eo contractum in deserto fuit, cuius pactis atque conuentis se se promisit staturum in æternum: Sic cum vero Israële, qui est secundum Spiritum, Deus fœdus Euangelicum in mundo contraxit, cuius obseruationem & promittat & reuera præstet antequam sit compos cœlestis beatitatis. Et hactenus sanè Israël qui ex Iacobo ortus est, typus esse potest iustificandorum. At cum actum illum actus alius antecedat di[illegible]næ voluntatis, quo Iacobi posteritatem ad fœderis sui communionem vocauit & admisit, quam fœderis communionem terrę Canaan possessio secuta est, Esaui vero posteritatem ab vtraque repulit, quæritur cuius rei typus in eo positus esse possit. Etenim neutiquam referri potest ad iustificationem denotandam, quandoquidem iustificatio fœderis contractionem & conditionis eius præstationem sequitur, separatio vero illa præcedit. Quamobrem ad electionem & reprobationem, vt à Caluino traditur, est necessario deueniendum. Agi autem apud Malachiam de eo actu voluntatis diuinæ perspicuum est. Quum enim Deus vel commemorasset vel exprobrasset Israëli (nam isthæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficij) se eum præ cæteris populis omnibus dilexisse, responsasset autem Israël ignorare se qua in re tantopere dilectus esset, recurrit Deus vsque ad primam istius populi originem, atque ostendit discretionem duorum fratrum in ipso Rebeccæ vtero factam indubitato signo esse iam tum Israëlem sibi fuisse cordi, Idumæos verò odio. Quod omnem & fœderis contractionem, & conditionis præstationem longo interuallo antecessit. Tertium iam supra à nobis refutatum est. Non potuit Iacobus iustificandorum per fidem, Esauus iustitiariorum in eo oraculo esse typus. Cuius rei ad superiores hæc causa accedit, quod amorem suum Deus in eo tantopere deprædicat. Nam amoris istius

causa, si iustificationis negotium hic agitur, proculdubio fuit Iacobi obsequium atque pietas, odij contrà ingenium Esaui contumax atque rebelle. Alioqui typus à re typo significata dissideret. Amor enim Dei erga nos qui in iustificatione regnat, quique ideò à Caluino alicubi consequens appellatur, nititur obsequio quod per fidem Euangelio præbemus; odium quod ex aduerso respondet, incredulitate. Iam autem amor ille quidem per se consideratus magnus est; at si causæ vtriusque affectus inter se comparentur, non videtur vsqueadeò mirificus. Quid enim tantopere mirum est si Deus fideles diligat incredulos auersetur? At is demum amor magnus & magnifica prædicatione dignus est, qui creaturam corruptam omnino præuenit, & omnem eius obsequij præuisionem antecedit. Quam admirabilis enim bonitatis atque clementiæ est, eam creaturam tanto fauore complecti, tantis prosequi beneficijs, quæ nulla re præterquam odio & & maledictione digna est? Vnde est illud Christi dictum, οὕτως ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, &c. in quo, vt supra vidimus, Caluinus mirum quendam Dei erga genus humanũ amorẽ meritò agnoscit. Et illud Pauli itidem
Rom. 5. 8. συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ θεὸς, &c. eo quod cùm de Deo nihil cogitaremus, cùm essemus ab eo infestis animis auersi, salutem nostram morte vnigeniti filij sui procurauit. Crescit autem istius amoris ex comparatione commendatio, contra quàm in amore consequente se habet. Nam si vtrumque Deus, Iacobum scilicet, & Esauum, contempsisset, iustè id fecisset quidem, nec haberet illa res admirationem vllam. Si fauisset vtrique, rem fecisset in qua summa quædam clementia eluxisset & indulgentia maximoperè prædicanda; at cuius æquabilitas non admodum magnam præbuisset occasionem admirandi. At cùm vterque æque indignus esset quem Deus amaret, æquè dignus quem animo auersaretur, alterum dilexisse, alterum odio habuisse, res est quæ videri debet omni modo stupenda. Cogitatio enim illa certè, amauit me odio dignum, ferit animum. Ea autem, amauit me, cum odio haberet eos qui mihi vel omnino æquales erant vel etiam præferendi videbantur, & nullo meo merito antetulit, non ferit iam mentem amplius, sed vehementissimè concutit, & funditus percellit admiratione. Cùm igitur grauis illa Dei apud Malachiam expostulatio eò spectet vt populi Israelitici ingratitudinem exaggeret, quo melius & efficacius ad pœnitentiam reducatur, istine conuenit instituto ut eum amorem commemoret ex cuius commemoratione populi istius culpa mirum in modum extenuatur? Nempe si Arminius verum dicit, Israel sic se defendere potuit. Dilexisti quidem
parentem

parentem nostrum Iacobum. At quæ tanta in eo tua virtus est? Nonne se se, antequam eum sic diligeres, tibi præbuerat obsequentem? Prætulisti eum Esauo. At ni id fecisses qui potuisses laudem æquitatis & iustitiæ tueri? Tam diuersa vitæ studia secutos, potuisses-ne committere vt eodem loco haberes, nullo discrimine? Aut quod multo peius futurum erat, esses-ne pium odio, profanum atque rebellem amore tuo remuneratus? Quia autem ille amor quo se Deus Iacobum complexum esse profitetur, eiusdem naturæ fuit cum eo quo populum ipsum prosecutus est, vel enim vterque fuit consequens, vel vterque antecedens, & de se populus sic potuerit aduersus Dei expostulationem prædicare. Vel omnino nos non dilexisti, vel si dilexisti, causam diligendi nactus eras idoneam, & quam omnino nequiuisti repudiare; præstiteramus id quod fœdere tuo nobis imperasti. Ab eo nonnihil declinauimus? Statim abiecisti illum animum, & ira atque odium in locum beneuolentiæ successit. Quę ab instituto prophetæ & mente ipsius Dei adeò abhorrent, vt mirum sit homines qui se putant Doctores Theologiæ eximios, ab ijs non æque abhorrere. Sic primum illud caput breuiter absolutum esto.

Secundum haud minus euidentia argumenta nobis suppeditabit. Ait igitur Apostolus. *Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud Deum? Absit.* In quorum verborum interpretatione Arminius fatetur, si Isaacus & Iacobus in se spectentur personaliter, nasci sanè obiectionem istam ex eo quod species quædam iniustitiæ videtur esse imparia paribus attribuere. Quæ Caluini sententia est. At contendit considerari tanquam typos tantùm, atque adeo typos iustificandorum. Nos supra ostendimus, & personas Esaui & Iacobi hic spectari, & typo iustificandorum hîc nullum esse locum. Quamobrem res ita confecta videri debet. Videamus tamen quomodò Arminius statuat nasci obiectionem istam ex doctrina de Iustificatione. *Ratio*, inquit, *iniustitiæ Deum arguendi hæc videtur sufficiens, quod propositum quo decreuit filios carnis odisse, filios vero promissionis amare, ex mero voluntatis beneplacito absque vlla meriti ratione apud se constituit.* Quibusnam videtur sufficiens ista ratio? Iudæis an Christianis? Iudæis, inquit Arminius, Paulus respondet. Rectè: vix enim sani illi Christiani futuri sunt quibus quoquomodo iniustum videri poterit Deum decreuisse incredulos abdicare, fideles verò adoptare in filios, citra vllam bonorum meritorum rationem. Quid enim? Non poterimus esse salute contenti, nisi non gratis data sed meritis operum nostrorum reddita esse putetur? At nec Iudæis quidem videbitur illa suffi-

ciens. Etenim filij carnis, & filij promissionis vel considerantur seorsim & absolutè in se, vel inter se comparati. Si seorsim & absolutè, subibitne cuiusquam animum eiusmodi cogitatio, iniustum esse repellere à salute incredulos, & nullam meritorum eorum habere rationem? Quænam sunt incredulorum merita? Aut si vlla putantur esse, debueruntne præponderare isti tantæ pertinaciæ tantæque audaciæ quâ Deum ipsum de filio suo testimonium perhibentem mendacij accusare non verentur? Aut iniustusne ideo Deus erit si malit fidei quam operibus salutem indulgere? Iniustitiæ Deum accusare, si nouo fœdere semel constituto, neque ob fidem præstitam neque ob opera salutem concederet, procliue esset cùm Iudæis, tum etiam Christianis. At cùm Deo liberum fuerit nouum fedus pacisci, vel non pacisci, proteruum admodum esse oporteret Iudæum illum qui secum iniquè actum esse iudicaret, si salutem potius ob fidem quàm ob opera nanciscatur. Si conferantur inter se, vel instituetur ea comparatio inter Iudæum iustitiæ legali studentem, at incredulum tamen, & fidelem nullis operibus ornatum; vel inter fidelem ijsdem cum Iudæis operibus præditum, & Iudæum iustitiarium. Posterior comparandi ratio nullam talem iniustitiæ speciem in eo negotio detegit. Quando enim operibus pares sunt, fide impares, iustum fuit salutem ei concedere qui fide superabat. Prior haud magis. Quantumuis enim iustitiarius operum suorum opinione tumeat, non inducet tamen in animum vt putet iniustum esse ei salutem indulgere qui oblatam accipit atque exosculatur, ei vero denegare qui aspernatur & respuit. Salutem ei denegare qui eam expetit & auidè amplectitur, si minus iniustum, attamen vtcunque durum esset. At ei dare salutem qui pertinaciter & obstinatè eam reijcit, tantum abest vt iustitiæ laudem mereatur, vt ne stultitiæ quidem reprehensionem euitare possit. Istud verò mihi videtur in primis obseruandum quod cùm Apostolus in hac Epistola ad Romanos tam diligenter de Iustificatione disputauerit vsque ad finem capitis quinti, neque ferè minus accuratè eam quæstionem tractauerit in Epistolis ad Galatas & ad Ephesios, nusquam tamen significauit metuendum esse ne quis Iudeus ex ea doctrina occasionem arriperet iustitiæ diuinæ criminandæ. Multas alias obiectiones diluit, multas suspiciones anticipat, multas blasphemias refutat atque repellit. Nihil istiusmodi vsquam alibi necessarium esse putauit. Nam quæ habetur initio capitis tertij ad Romanos iustitiæ diuinæ defensio, aliò pertinet. Cur igitur id huc vsque distulit, postquam doctrinam non de Iustificatione modo, sed etiam de sanctificatione executus est? Cur in locum reiecit alienum? Quanto melius & accommodatius ad

mentem Spiritus ſancti Caluinus, qui ſenſit Apoſtolum, quæ erat eius
incomparabilis ſapientia, præuidiſſe fore vt non Iudæorum modò, ſed
quorumuis hominum mentem aliquo pacto offenderet, quod natu-
ra æqualibus Deus largitus eſt inæqualia, quod inani meritorum ſuo-
rum opinione gloriantibus eos prætulit qui nullam ſe ſe habere in o-
peribus ſuis commendationem arbitrabantur? Eſt enim ἐν τῇ προσωπο-
ληψίᾳ iniuſtitię ſpecies, & videtur eſſe in illa diſpenſatione προσωποληψίας
aliqua ſimilitudo. Ius enim æqualibus æquabiliter diſtribuendum
eſt, inæqualibus verò pro portione. Atque adeò verum eſt eſſe in eo
aliquid quod ingenium humanum, quamuis immerito, malè habet,
vt neque ſcrupulum illum Dordracena Synodus Arminij diſcipulis
hactenus eximere, neque Caluinus hoſtibus ſuis hac in parte ſatisfa-
cere, neque Auguſtinus doctrinam iſtam Pelagianis probare potuerit.
Quod mirum ſane non eſt, quandoquidem ipſe Paulus, ad cuius vel
auctoritatem vel ſapientiam poſt memoriam Apoſtolorum nemo ac-
ceſſit, eam cum Deo litigandi libidinem & audaciam non compeſ-
cuit. Videamus iam quomodo id facere tentauerit. Μὴ γένοιτο, Τῷ γὰρ v. 15.
Μωσῇ λέγει, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. Quæ verba Arminius
ſic interpretatur. *In voluntatis meæ arbitrio & libertate poſitum eſt
miſereri cuius volo: vt concluſio indicat*, itaque miſeretur cuius vult.
Hactenus benè. Addit porrò, vnicam ſufficientem cauſam Deo in-
iuſtitiam ob iſtud propoſitum imputandi eam eſſe, quod cum initio
fœdus vitæ & mortis in operibus vel præſtandis vel omittendis pó-
ſuiſſet, non videbatur ei liberum atque ſolutum alterum propoſitum
ſeu fœdus ſuperinducere, quod conſtitutione nouæ conditionis, vim
prioris infringeret. Cui criminationi reſponſum petit ex verbo *miſe-
ricordia*, quod peccatum neceſſariò præſupponit. Suppoſito igitur
peccato Deo liberum fuit, vel id punire ex rigore iuſtitię & prioris
propoſiti vi, vel condonare miſericorditer vi noui cuiuſdam propo-
ſiti ex præſtatione fidei dependentis. Eo refert illud, *miſerebor cuius
miſerebor*, &c. Nollem equidem Arminium, virum alioqui doctum,
ſubtilitatē ingenij ſui in corrumpendo verbo diuino conſumpſiſſe. At
quando id accidit, & vehemēter lætor, & Deo gratias ago ex animo id
illi ſucceſſiſſe tam infeliciter. Nam primò credibile non eſt tantā fuiſſe
in Iudęis arrogātiam vt exiſtimauerint Deo non licuiſſe vel peccatores
punire, vel ijs peccata condonare miſericorditer ſi vellet, citra iniuſti-
tiam. Nec vbi tam ſæpe diſputat de cauſis aboliti fœderis legalis, vt in
eius locum Euangelicum ſuccederet, vſquam Dei iuſtitiam ſibi defen-
dendam exiſtimauit. Deinde id ſi Arminio daremus, Apoſtolum

hanc ſibi propoſuiſſe obiectionem quam refelleret, reſponſio quam illi attribuit, non eſt ad rem accommodata. Satius fuit accuſationem iniuſtitiæ repellere diſertâ commemoratione peccati cuius omnes homines in primis huius Epiſtolæ capitibus tam luculenter conuicerat. Et ſi miſericordiæ meminiſſe voluit, debuit eius magnitudinem immenſam deprædicare, non obſeruare libertatem quæ in eius adhibetur diſpenſatione, vt alter eius ſit compos, alter verò expers pro arbitrio. Nam ſane in conſtituendo fœdere Euangelico & impunitate fidelibus offerenda, nulla tali libertate Deus vſus eſt: vnam eandemque miſericordiam omnibus promiſcuè & indiſcriminatim obtulit, modo credant.
Rom. 3. 21. *Nunc*, inquit, *iuſtitia Dei*, hoc eſt, quam Deus ſolam approbat & ipſe miſericorditer indulget, *manifeſtata eſt ſine lege, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας.* Et alibi.
Rom. 5. 18. *Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, ita per vnius δικαίωμα, in omnes homines ad iuſtificationem vitæ.* Itaque miſericordia quæ fidem exigit, quæque in Iuſtificatione regnat, non diſcernit inter homines, ſed omnibus communiter offertur ſub fidei conditione. At hic Apoſtolus manifeſtè loquitur de miſericordia quæ diſcriminat, & vnũ ab altero ſeponit. Tertiò etſi daremus miſericordiam quæ verſatur in Iuſtificatione in eo diſcernere quod credentes adoptat & habet pro filijs promiſſionis, incredulos verò reijcit, (quamquam ſane reijcere & abdicare miſericordiæ actus non eſt, ſed iuſtitiæ) ne ſic quidem Apoſtoli reſponſio quadrabit. Nam diſcretionis illius cauſa eſt in re aperta atque manifeſta & in hominibus ipſis inhærente, fide & incredulitate, ſcilicet. At hic Apoſtolus loquitur de miſericordia aliqua quæ homines ita ſecernit vt nullam ſeparationis cauſam habeat niſi in Dei voluntate abditam atque latentem. Nam vt eſt egregiè à Caluino
„ obſeruatum, præciſa hæc locutio extraneas omnes cauſas excludit; ſi-
„ cuti cùm liberam agendi poteſtatem nobis vendicantes, dicimus, *fa-*
„ *ciam quod facturus ſum.* Nec ſi Paulum interroges cur hic iuſtificatus ſit, ille verò minime, ad abſolutam Dei voluntatem confugerit. Denique locus ipſe ex quo Paulus oraculum iſtud ad inſtitutum ſuum adduxit, Caluini interpretationem egregiè confirmat. Cùm enim Moſes à Deo poſtulaſſet vt ipſi liceret *gloriam* eius adſpicere, hoc reſponſum tulit, neminem id poſſe quin moreretur; poſteriora quidem ipſius intueri licere, faciẽ haudquaquam. Quibus verbis ſignificatum eſt in Deo maieſtatem eſſe quandam & rerum ac rationum ſublimitatem ad cuius altitudinem viam affectare nefas eſt. Quod ſi illud oraculum in eo reſponſo editum, *miſerebor cuius miſerebor* &c. in-

pretamur

terpretamur cum Arminio de Iustificatione, non congruet. Non est enim intellectu difficile admodum, aut omnino positum supra captum creaturarum, cur potius fideles quàm infideles iustificauerit. At omnis intelligentiæ vim superat, quæ ratio Deum impulerit, vt in tanta paritate conditionis omnium hominum hunc potius quàm illum potentissima sui Spiritus efficacitate ad se vocare vellet. Sequitur apud Paulum istud consectarium. *Non est igitur neque volentis neque currentis, sed miserantis Dei.* In quod Arminius Commentarium istum concinnauit. *Quum misericordia Dei voluntas & cursus hominis opponitur, certum est istum significari conatum & cursum quo homo absque misericordia Dei iustitiam & salutem consecuturum se sperat. Talis est autem conatus & cursus eorum qui per Legis opera iustitiam & salutem sectantur. Quumque misericordia vicissim voluntati & cursui opponitur, constat id iustitia & vitæ consequendæ medium isto misericordiæ proposito ordinatum, quod misericordiæ est maximè affine, nempe fides in Christum mediatorem.* Itaque si Arminio credimus, τοῦ θεοῦ ἐλεοῦντος, significat, *hominis in Christum mediatorem credentis.* Tantam-ne esse cuiquam sui fiduciam vt vel ista comminisci audeat, vel alijs se se posse persuadere arbitretur! Quamquam reperit qui ista admitterent nimis multos, & ipsos multo plus quàm satis est ingenio suo fidentes. Hic sanè quàm in interpretatione istorum, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, licentia intolerabilior est. Fides est à vocatione, vocatio à vocante, vocans ad vocandum impellitur misericordia. Ergo fides misericordia Dei vocari potest. Quid, quæso, absurdius? Aut si res ita non procedit, & misericordiæ nomen traducitur ad denotandam fidem, quia fides amplectitur misericordiam & est salutis obtinendæ medium à misericordia ordinatum, quod genus metonymiæ illud est, vt hominum fides dicatur misericordia Dei, quia homines Dei misericordiam fide apprehendunt? Pariter sanè Dei misericordia fides hominis appellari potest. Nam vt illa misericordiam amplectitur, nec aliter salutem obtinere potest, hæc fidem necessariò respicit, nec aliter quam per fidem salutem potest reapse communicare. Sic pater appellabitur filius, & filius pater, quia ita inuicem referuntur inter se, vt alter sine altero non sit. Non pudet istius importunitatis? Rem tamen paulo accuratius expendamus. Principiò, quis Arminio dixit Iudæos in salutis & iustitiæ persecutione omnem de misericordia Dei cogitationem exclusisse? Non ergo se peccatores agnoscebant? Non se tales quotidie sacrificijs, precationibus cùm publicis tum priuatis, & omni religionis cultu confitebantur? Nam voluerunt quidem iustificari per opera,

ỳ. 16.

& ſtare pacto quod dicit, *hoc fac & viues*. At & id nunc volunt Pontificij, qui tamen Dei miſericordiam à ſalute non omnino ſecludunt. Voluerunt ergo illi miſcere quæ Apoſtolus vbique docet eſſe ἀσύστατα, iuſtificationem per opera, & gratiam poſitam in remiſſione. Deinde non eſt de nihilo quod Apoſtolus *volentem & currentem*, opponit non *Dei miſericordiæ*, ſed *Deo miſeranti*. Eſt enim id mirum in modum emphaticum. Indicat enim manifeſtè Apoſtolum ſignificare voluiſſe diſcriminis, quodcunque eſt illud de quo loquitur, cauſam non eſſe petendam ex hominibus, ſed ex Deo: non hic intercedere conatum & impetum hominum, ſed voluntatem vnius Dei miſerantis. Quod quanto melius in doctrinam de electione & reprobatione quam de Iuſtificatione competat, nemo non videt. Eſt enim certè in negotio Iuſtificationis cauſa diſcriminis in hominibus ipſis, non in Deo. Etſi Deus eſt qui nobis vim Spiritus ſui ſuppeditat ad credendum, Deus tamen ipſe non credit; nos ſumus qui fidei aſſenſum Euangelio adhibemus. Denique cùm illud ἄρα οὖν, apertè denotet concluſionem ex antecedentibus elicitam, voluerit autem Apoſtolus ex Arminij hypotheſi, concludere incredulos iuſtitiarios eſſe reijciendos, fideles vero admittendos, pluſquam mirum eſt hîc nullam incredulitatis eſſe factam mentionem, cuius cauſa ὁ θέλων καὶ ὁ τρέχων repelluntur, nullam fidei, quæ ſola in ius adoptionis introducit. Veniamus nunc
ỷ. 17. ad exemplum Pharaonis. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, ad hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in tota terra. Itaque cuius vult miſeretur, quem autem vult indurat*. In quo Arminius Apoſtolum ſic ratiocinari putat *Si liberum Deo eſt ad iuſtam ſuæ potentiæ declarationem, nominiſque ſui illuſtrationem Pharaonem excitare, indurare, punire; tum Deo non poteſt iniuſtitia attribui, quod propoſito ſecundum electionem decernat in filiorum carnis iuſta induratione & pœna potentiam ſuam illuſtrare. At illud Deo liberum eſt, vt apparet ex hoc loco. Ergo & poſterius: & propterea ob id non poteſt iniuſtitiæ accuſari.* In quo hoc primum Arminius peccat, quod exemplum iſtud proximè connectit cum interrogatione, *quid ergo dicemus? Num iniuſtitia eſt apud Deum?* quæ inter ſe non cohęrent. Nam obiectionem iſtam quidem ſibi proponit refellendam verſu 14. Et propoſitum exequitur verſu 15. At verſu 16. ex antecedente refutatione concluſionem generalem elicit, cuius hæc ſententia eſt, diſcriminis à Deo inter homines conſtituti cauſam non eſſe quærendam in hominibus ipſis, ſed ab ipſo Deo prout libet miſerante, vnicè arceſſendam. Sententiam autem illam confirmat prolato eo exemplo. Quod præter

ter alia indicat particula ἄρα, quæ exemplum cum conclusione coniungit. Huc accedit, quod ista ratiocinatio videtur admodum longè petita ac propemodum inepta. Si Deo licuit Pharaonem excitare quem induraret & puniret, licuit ei nouum quoddã fœdus instituere per quod fideles iustificaret, puniret verò incredulos ac refractarios. Non habuit Paulus in ipsa re quam agebat locum magis propinquum ex quo argumenta sua hauriret? Non potuit Deo licere rebelles iustitiarios punire ideo quia cùm iustæ maledictioni essent obnoxij, noluerunt amplecti Christum liberatorem? Cum præsertim in capitibus antecedentibus Apostolus rationibus inuictis & rebus necessarijs addixisset omnes tam Iudæos quam Gentiles, tam Iustitiarios quàm alios mortis & maledictionis æternæ reos esse? Rem tam claram, tam obuiam cuique, quid opus erat argumento illo impedito & alieno ire confirmatum? Adde quod non potest melius intelligi quæ sit Apostoli ex eo exemplo ratiocinatio, quam ex eius conclusione. Concludit autem sic, *itaque cuius vult miseretur, quem vult indurat*. Quamobrem de induratione ratiocinatio est. Est-ne igitur Apostoli sapientia dignum vt cùm vellet probare licere Deo iustitiarios ob inuictam in Christum contumaciam punire, adhiberet argumentum ex quo patet quidem Deum indurasse Pharaonem, at in quo punitionis eius nulla mentio est? Nec sanè quisquam vsqueadeò oscitanter Apostoli verba ponderare potest, qui non animaduertat quanta sit in ea oppositione vis, *cuius vult miseretur, quem vult indurat*. Nam induratio, ipso fatente Arminio, derelictio est, per quam Deus retinet illam actionem quæ sola hominum corda valet emollire. Misericordia igitur quæ indurationi opponitur ea est, cuius efficaciter corda hominum emolliuntur, non quæ peccata remittit. Alioqui ex aduerso constituenda erat in oppositione punitio peccatorum, non induratio. Tum & illud *cuius vult, quem vult*, habet suam emphasim. Nempe vnam Dei voluntatem hic considerari debere innuit, quæ rem dispensat prout libet: cui volũtatis diuinæ arbitrio libero in negotio iustificationis nullus locus est. At quid opus est tot argumentis? Vna Caluini interpretatio proferatur in medium, & omnis alia continuò facesset. Quæritur vt est ab initio propositum, quæ causa sit cur Deus huic fidem indulgeat, illi minimè. Apostolus ait id esse in arbitrio Dei libero positum, vt neque currentis neque volentis, neque cuiusquam alius, qui quacunque de re vel prærogatiua glorietur, potior in eo negotio causa sit. Vna Dei misericordia hic viget, cuius vsus est apud eum longè liberrimus. Ad eam rem confirmandam

Hh

exemplum Pharaonis adducit, quem tantum abest vt Deus emolliuerit, vt magnopere indurauerit etiam, hoc est, singulari quadam ratione deseruerit, vt admonitionibus, hortationibus, mandatis obnitendo contumacissimè, Deo præberet in se memorabile & extraordinarium argumentum gloriæ suę magnificandæ. Ex quo demum concludit, Deum commiserari, hoc est, emollire quem vult, eum verò quem vult, deserere atque indurare. Ea interpretatione quid rectius? quid magis obuium? quid magis cohærens denique atque apertum? Altera illa Arminiana quid distortius & magis violentum atque coactum? Sic secundum caput conclusimus. Ad tertium nunc explicandum aggrediamur.

Sic igitur se habent quæ sequuntur. *Dices ergo mihi, quid adhuc succenset? nam voluntati illius quis obstitit? Imo vero ô homo, tu qui es qui ex aduerso responsas Deo? Num dicet figmentum fictori, cur me tale fecisti? Annon habet ius figulus in lutum ex eadem massa faciendi aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Quid verò si volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam pertulit magna patientia vasa iræ compacta ad interitum? Et vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam?* In quæ verba mirum quanta seu anxietate seu περιεργίᾳ commentatus sit Arminius, ita frustillatim omnia concidit, vt præ nimia subtilitate penè fugiant aciem oculorum. Quod si vellemus pariter in examine λεπτολογεῖν, disputatio cresceret in molem infinitam. Rem ipsam quam dicit Apostolus constituam lectori ob oculos; deinde ex ea deducam argumenta, siqua sunt quæ doctrinam Caluini confirmare possunt. Paulus ostendere volens indurationem & emollitionem cordium pendere ex vna liberrima Dei voluntate, Pharaonis exemplum produxerat, de quo dictum est excitatum fuisse vt in eo Deus magnitudinem potentiæ suæ ostenderet, atque ea de causa fuisse induratum, hoc est natiuæ malitię permissũ, quæ non modo se se ipsa non immutat aut emollit, sed magis ac magis in dies indurescit. Ea res etiã apud pios, quæ est nostra naturalis imbecillitas, habet aliquid quod prima fronte terret animos. Quamquam vbi Dei maiestatem infinitam suspexerunt, tacti reuerentia conticescunt. Apud impios autem tantæ diritatis speciem præ se ferre videtur, vt statim fremant atque indignentur, quasi Deus reprobis faceret iniuriam minimè ferendam, vt qui eos crearet & ederet in lucem pro arbitrio indurandos, ac proinde postmodùm in exitiũ detrudendos, propriæ gloriæ causa. Aut igitur, inquiunt, tales in lucem editos emolliret & flecteret in obsequium; aut, si vult pro

arbitrio

arbitrio indurare, ne succenseret. Quis enim tali peccandi necessitate adstrictus Dei consilium irritum reddere posset? Quæ est ipsissima Arminianorum hodierno die querela. Ad eam Apostolus quid respondet? Primò sic responsantem vehementer obiurgat. Deinde rationem obiurgationis aliquam dilucidiùs explicat addito simili. Tertio denique simile ipsum extendit & amplificat, ne maneat vllus scrupulus in animo humano. Et obiurgatio quidem, quæ hisce verbis continetur, *Tu qui es ô homo, qui Deo responsas ex aduerso?* non aliter arrogantiam retundit quàm instituendo comparationem inter Deum atque hominem, quos naturæ disparitas tam immenso interuallo disjunxit, vt plane ferenda non sit vilis & abiecta creatura, si quacunque de re litigare audeat cum infinita maiestate. Pateremurne formicam, si natura scintillam aliquam intelligentiæ ei indidisset, summum aliquem Magistratum in ius trahere & iniustitiæ insimulare? Non indignaremur tantillam rem tantos sibi sumere spiritus, vt cum suprema regum maiestate æquiparare se vellet? Nam certè qui litem intendit aliquatenus par est; habet enim ius cõmune tanquam communem mensuram per quam omnes ad æqualitatem aliquam rediguntur. Ab illa naturæ inæqualitate, quæ Deum supra omnem ἰσότιμος sortem extollit, paululum descendit atque inflectit se ad rationem ex æqualitate desumptam, quæ inter opus & operis factorem intercedit. Comparat ergo Deum figulo, massam corruptam generis humani luto, rei vilissimæ ac fœdissimæ, homines vero singulos è communi massa eductos, vasis ex ea materia fictis: & addit, quale ius est figulo in lutum, talem saltem proculdubio esse debere Deo potestatem in massam generis humani. Quemadmodum igitur figulo licet vti sua materia pro arbitrio, vt vasorum alia destinet vsibus honestis, alia verò inhonestis, eam auctoritatem Deo denegare non oportet, quin hominum conditionem queat efficere variam, alios ad gloriam præparando, alios vero excitando è massa corrupta ita corruptos, vt ex eorum induratione, tanquam lux è tenebris, laus virtutum diuinarum erumpat. Quod ex exemplo superiore Pharaoni contigisse constat. Et sanè mens modesta in ea Apostoli responsione acquiescere potuit. Quid enim? Cùm ea sit hominum natura vt alij ex alijs procreentur, ea verò corruptio vt nemo procreetur quem illa non inficiat, cùmque habeat ante oculos Deus, cui omnia sunt ab æterno præsentia, omnem hominum multitudinem qui futuri sunt vsque ad sæculorum consummationẽ, fecitne cuiquam iniuriam si eum generari & nasci passus est, cuius insitâ à natura malitia iustè & sapien-

ter vteretur ad insignia opera in quibus virtutes suas patefacere decreuit? Nonne Deo licebit quod nobis licere putamus, vt & pondere grauium, & leuium mobilitate quâ sublime feruntur, & beluarum impetu, & denique rerum omnium naturalibus propensionibus vtamur ad ea conficienda quæ sunt à nobis animo designata? Paulo tamen vlterius adhuc progreditur, vt omnem vel leuissimam tollat offensionis occasionem, & ait, adhibere quidem Deum pro suo arbitrio reprobos ad ea opera ex quibus gloria ipsius enitescit & effulget, quam ad rem ab ipso iustissimè indurantur. Cæterùm indurationem, hoc est, desertionem non esse talem, quin eos patientissimè ferat, spatium vltro concedens, vt ἐν τῇ μακροθυμίᾳ qua tolerātur, argumenta misericordiæ ipsius agnoscant, ijsque excitentur ad pœnitentiam. Itaque & sunt à natura sua ad interitum κατηρτισμένοι, & ipsi se se magis ac magis peccandi consuetudine ad exitium comparant, & excitantur atque conseruantur à Deo in eum finem vt in ijs specimen aliquod edat virtutum suarum illustre ac luculentum. At non habent tamen vel cur cum Deo expostulent, vel cur excusari se posse arbitrentur, vt qui tantam Dei benignitatem atque patientiam tam contumaciter spreuerint. Quamquam sane immane quantum interest inter eos & sortem electorum, quos sancta vocatione ad gloriam sempiternam Deus ipse præparat. Iam ista quæ tam perspicuè cum Apostoli verbis & instituto cohęrent, quàm longè absunt ab Arminiano dogmate? Nam obiurgatio primum quæ homines audacter responsantes obiecta infinita Dei potestate compescit, dum negat inter Deum & homines vllum esse commune ius in quod ille vocari possit, Arminianæ scholæ argumenta subuertit, quæ summi numinis potestatem tam angustis limitibus concludit, vt eam extra mensuram atque rationem beneficiorum collatorum in creaturam excedere non patiatur. Tum simile istud clarissimè demonstrat Deum, non esse illa sua infinita potestate vsum quidem, vt qui vasa ad dedecus nō formauerit nisi ex luto, re vili admodum atque corruptâ: at illi licuisse tamen, quod Arminij schola licuisse tam pręfractè negat, quosuis homines ex communi materia excitatos sibi permittere, vt iam natura rigidi & contumaces magis ac magis indurarentur. Ac denique comparatio quam inter electos & reprobos instituit, vt alij tolerentur magna patientia tantùm, alij verò ad gloriam reapse præparentur, facit luce meridiana clarius esse sanè vnam quandam gratiam communem externam, quæ omnes obiecti propositione inuitat: at esse aliquam aliam gratiam peculiarem electis, ex cuius efficacitate præparatio pendet. Quę

omnia doctrinam de Iustificatione ab istis Apostoli verbis tam longè semouent, vt Oriens non magis distet ab Occidente. Nunc quartum caput breuiter expediamus. Vers.

Primum igitur ait Apostolus eos quos vasa pręparata ad gloriam 24.
appellat, fuisse *vocatos* non modo ex Iudæis sed etiam ex Gentibus. Prorsus congruenter cum antecedentibus. Supra enim quærebatur quæ causa fuerit cur cùm Iudæi in suâ & reliquorum forsitan hominũ opinione, gloria meritorum antecellerent, vocati tamen non fuerint efficaciter, sed reiecti & indurati, ad se autem Deus Gentes potenter adduxerit, antea omnino auersas & alienas. Ait ergo nonnullos quidem fuisse vocatos è Iudæis, vt ne quis vniuersam nationem reiectam esse putet, sed & vocandos fuisse è Gentibus plerosque, iuxta vaticinia prophetarum. Quod à doctrina de Iustificatione toto cælo abest. Deinde vaticinium ipsum profert ex capite 2. libri Oseę;
cui addit testimonium ex cap. primo. Prius sic se habet, καλέσω τὸν οὐ λαόν Vers.
μου, λαόν μου, καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην. Quęso de qua vocatione hic agi- 25.
tur? Verũ de ea quæ conditionẽ fœderis iam præstitam subsequitur? An vero quę antecedit & facit ipsa vt præstetur conditio? Legatur locus apud Oseã & cæcis ipsis manifestũ erit promittere Deum fore vt quæ gentes ab eo repudiatæ & à fœderum suorum communicatione repulsæ erant, illas misericordia adductus ad se reuocaret. Quod omnino de vocatione intelligendum est quæ ad fœderis communionem adducit, non autem de dispensatione quæ facit vt adducti & vocationi parentes, ob conditionem præstitam præmium ferant à remuneratore. Posterius id aliquanto manifestius indicat. *Et erit vt in eo loco in quo dictum eis est, vos non estis populus meus, ibi filij Dei viuentis vocabuntur.* Vbi sanè illud *vocabuntur*, si ita libet Arminianæ scholæ, pro ***nominabuntur*** positum sit. Illud semper constat & apertum est, Deum polliceri se se effecturum vt ab ijs cognoscatur qui ipsum antea penitus ignorabant. Quod ad doctrinam de vocatione non autem de iustificatione pertinet. Deinde loca duo quæ ex Esaiæ reuelationibus proferuntur obuiam eunt scandalo quod ex paucitate credentium nasci potest. Nempe omnibus ingenij humani obiectionibus ac responsationibus vehementissimè solidissimèque refutatis, vnum restabat, Id si pendet ex liberrima Dei voluntate, mirum esse Deum eo genere misericordię tam paucos esse complexum. Nam sanè credentium prę incredulorum numero paucitas offensionem semper habuit haud leuem & contemnendam. Quia igitur Apostolo res est pręcipuè cum Iudæis, apud quos Scripturæ auctoritas suprema semper

fuit atque diuina, non aliter respondet, quàm id ita fuisse multo ante à Spiritu Dei prædictum. Cùm igitur Esaias de Israële vociferetur, fore vt si maris arenam multitudine superet, paucis tamen veluti reliquijs tantam Dei gratiam esse reseruatam, cùm in horrendis iudicijs quibus populi sui peccata subinde vindicauit, eam perpetuò rationem tenuerit, vt cõmunibus calamitatibus paucos quosdam voluerit exemptos, qua in re fuit electionis & reprobationis imago quædam, in eius voluntate summa cum animi demissione acquiescendum esse concludit. Nam omnes extrema commeritos ex æquo præterire potuit. Quocirca quamlibet paucos efficaciter vocauerit, esse tamen cur eius misericordiam suspiciamus & admiremur. Quæ si non aduersis frontibus pugnant cum Arminianorum hypothesibus, illis sanè per nos liceat de subtilitate sua gloriari.

His ista constitutis & explicatis, lectori liberam potestatem esse non repugnamus ea de re statuendi, malit-ne priorem typum in Isaaco & Ismaele repræsentatum, ad doctrinam de vocatione an vero de iustificatione reuocare. Nam id sanè vel ad errores Arminij refutandos, vel ad veritatem confirmandam, aut parum, aut omnino nihil interest. Prius si facit, necesse habebit multo aliter ambos illos Abrahami liberos considerare, quàm quomodo ab Apostolo capite quarto Epistolæ ad Galatas considerati sunt. Nil enim fortasse prohibet vnum hominem duarum rerum imaginem gerere, dummodo spectetur aliter atque aliter. Alioqui vt duæ tabulæ rem vnam repræsentare non possunt, nisi inter se consentiant, sic vna res duabus diuersis significandis accommodata esse nequit, nisi ipsa à se variè dissideat. Et sanè video Caluinum qui priorem istum typum ad vtriusque fœderis, Legalis & Euangelici, naturam adumbrandam referre non dubitat in Commentario ad Galatas, hic anteponere eam sententiam quæ mysterium electionis & reprobationis, cui nihil cum natura fœderum commune erat, in Isaaci & Ismaelis comparatione deprehendit. Nimirum in Epistola ad Galatas sequitur institutum Apostoli, qui duos Abrahami liberos sibi spectandos esse proposuit, non propriè quatenus ex vno patre orti sunt, sed quatenus diuersæ matres eos pepererunt cùm ratione tum conditione dispari, & studijs deditos admodum inter se discrepantibus. At in eo capite quod expendimus, nihil quicquam in ijs obseruandum esse putat, nisi quod cum essent ex vno parente procreati, quæ res aliquam æqualitatem inter eos inducere videtur, vsqueadeò tamen inæqualiter accepti sunt, vt altero è omo paterna pulso, alter Dei iussu pro vno legitimo tum bonorum

rum paternorum, tum etiam, quod longè præstabilius est, diuinæ benedictionis hærede censeretur. Quam rationem si quis tenere velit, quærenda illi erit aliqua via conciliandæ conclusionis huius capitis versu trigesimo inchoatæ, cum reliqua disputatione antecedente. Nam in ea agi de Iustificatione quæ per fidem obtinetur, semotis operibus, clariùs est quam vt vel lectores oculatos fugiat, vel vt ingenuos & candidos disputatores istud deceat inficiari. Neque id à quoquam nostrûm video vsquam esse negatum. At posterius si magis adlubescit, vitari certè nequit quin viginti versus quos explicatione nostra percurrimus, parenthesi includantur. Quod mirum nemini videri debet qui paulo sit in Apostoli scriptis exercitatior. Nihil enim in eius stilo frequentius est aut magis solenne, quàm vt longis parenthesibus disputationem interrumpat, donec eo quod instituit è re nata, confecto, ad propositum reuertatur, adeo vt nonnunquam maiores parentheses minoribus, si paulo sunt illæ prolixiores, non dubitet interseсare. Nos eam sententiam potius amplectimur, non tam ideo quod palam est eam viris acerrimi iudicij placuisse, quàm quod res id postulare videtur. Nempe cum Apostolus diuinam de iustificatione, deque sanctificatione tractationem superioribus capitibus mirabiliter absoluisset, neque leuiter in eo perstrinxisset Iudæorum errorem & pertinaciam, qui neutram istarum rerum ex lege Mosaïca verè existere posse, ne Iudæus ipse genere, alieniore à Iudæis animo ista disputasse putaretur, inuidiam à se omnem amoliri tentat. Profitetur ergo primùm initio huius capitis, tantum abesse vt odio incitatus in doctrinam popularium suorum inuehatur, vt ingens eorum commiseratio vna cum incredibili quodam animi dolore ipsum angat, quod gentem & sanguine sibi coniunctam, & olim incomparabilibus priuilegijs ornatã à Deo atque decoratam, in æterni videret exitij ineuitabili discrimine versari. Adeò vt id si illibato Christi amore quo totus ardebat, contingere posset, non recusaret popularium suorum salutem pernicie propria redemptum ire. Quo animi vera charitate flagrantis nullum documentum esse potuit illustrius. Verum ista beneuolentiæ suæ testificatione defunctus, dolorem lenit tandem atque mitigat ea cogitatione, quod neque mirum dictu, neque cogitatu acerbum videri debet id euenisse quod non prædictum obscurè taxat, sed tanquam in accurata tabula fuerat tanto ante in varia nascendi conditione liberorum Abrahami delineatum. Quid enim aliud Spiritus significare voluit, cùm tam diligenter perscripsit natos esse quidem Abrahamo duos liberos, at alterum vi promissionis genitum,

alterum verò vi naturæ ſolius, hunc pro ſeruo habitum, illum tanquam legitimum & ingenuum vocatum ad hæreditatem, niſi futurum eſſe diſcrimen longè maximum inter eos qui in negotio religionis originem ſuam ad iſtum Patriarcham eſſent olim relaturi? Nempe alij viribus arbitrij liberi freti ad iuſtificationem adſpirant per opera: quos ſpe ſua excidere neceſſe eſt; alij miraculoſa quadam ratione vocati, quæ demum ſpiritualis generatio eſt, miſericordiæ declarationem ad iuſtificationē & ſalutem indubitatā amplectuntur. Nam ſanè verbum Dei tale eſt vt excidere, h. e. irritum eſſe omnino nequeat. Quicquid prædictum, quicquid typis adumbratum, quicquid allegorijs inuolutum eſt, ipſa re præſtari & euentibus exhiberi ac confirmari oportet. Atque vt ne quis miretur Deum populum eum reiecisse qui in Chriſtum impegit, admiſiſſe contra ad cernendam cæleſtem hæreditatem eos qui crediderunt, ( eſt enim certè cauſa tanti diſcriminis manifeſta, ) rem multo mirabiliorem, inquit Apoſtolus, aperiam & explicabo. Quæret enim fortaſſe aliquis, quandoquidem vna fides Iſraelem ſecundum carnem ab Iſraele ſecundum ſpiritum ſecernit, quid cauſæ fuerit cur Deus alijs vt crederent largitus ſit liberaliter, alios vero permiſerit natiuæ ſuæ contumaciæ atque cæcitati. Cur alios homines alijs in eo negotio antetulit? Aut ſi aliquos anteferre libitum eſt, cur non eos cæteris præpoſuit qui tam ardenti ſtudio legalem ſanctimoniam ſectabantur? Non ergo illis præuiſio operum, qualiacunque futura fuerant, apud Deum prodeſſe potuit, vt eorum præ ceteris in diſpenſatione gratiæ quæ fidem creat, ratio haberetur? Habetote ergo, inquit ille, quod iſtis ſeu quæſtionibus, ſeu querelis ſatisfaciat, quod infirmos in fide corroboret, quod denique incredulis os obſtruat, ne pergant audacter diuinam diſpenſationem accuſare. Non modò eo typo quem Scriptura in Iſaaco & Iſmaele exhibuit, à Spiritu Dei ſignificatum eſt in iuſtificatione alijs alios ob fidem anteponi, ſed & in altero exemplo figuratum, fidem à Deo dari pro arbitrio, ſepoſita omni vel operum, vel cuiuſcunque rei quæ in ipſis hominibus hæreat, conſideratione. Quid enim aliud id ſibi vellet quod duos Iſaaci liberos, vno concubitu ſuſceptos, conditione omnino pares, adhuc in vtero clauſos, tam diuersè habuit, vt antequam quidquam boni vel mali feciſſent, ſe alterum odio proſequi, alterum verò amore ſingulari complecti profiteretur? Vt nemo non intelligat & in iuſtificatione donanda Deum cum hominibus agere prout fide & incredulitate ſe ſe dignum vel indignum quiſque præbuit cui peccata condonarentur; &, quod multo mirabilius videri poſſit, in tanta

paritate

paritate naturæ tam diuersum esse ad credendum vel non credendum hominibus animum ab vna Dei vocatione & electione liberrima. Est enim istud ὀυ μόνον ϋ, memorabile & cum emphasi minimè vulgari conjunctum. Sic vis duorum argumentorum quibus continetur vniuersa compages deprauationis ab Arminio & Arminij discipulis in hanc Apostoli disputationem institutæ, labefactatur atque concidit. Ea igitur subuersa, nostra verò, hoc est, Caluini interpretatione vindicata, opportunum esse videtur vt earum rerum quæ in doctrina præstantissimi Theologi parum inter se concordare putantur, explicatione diligenti & commoda conciliatione hanc nostram tractationem tandem aliquando concludamus.



# CAPVT XVI.

## *Caluini doctrinam sibi non repugnare.*



DEMIRATVR alicubi alter Anonymus, cuius à me iam sæpe facta mentio est, quod cùm nemo longius inter Caluini discipulos ab eius sententia in argumento de Prædestinatione discesserit, quàm à me factum esse contendit, sum tamen ausus eum ad confirmationem doctrinæ meæ fidenter euocare, atque ex illius scriptis multa proferre testimonia, quasi nulla esset inter nos ea de re dissensio. In quo sinceritatem & candorem animi mei disertis verbis accusauit. Certè nullius vnquam fides in citandis auctorum testimonijs accusata merito fuit, qui vel scriptoribus quos laudat non supposuerit aliquid, vel eorum verba non deprauauerit & detorserit in sensum alienum. A me autem quidquã esse Caluino suppositũ quod non reperiatur in eius scriptis, non puto vllum esse cui frons adeò perierit, vt id affirmare non erubescat, tametsi nomen suum taceat, quod illi facere solent qui tuto mentiri volunt & securè calumniari. Sunt Caluini opera in manibus hominum variis locis non suspectis, varijs temporibus, varijsque formis excusa, in quibus nihil vnquam tanquam subdititium aut vllo modo dubitabile notatum est. Potuit accusator ille meus quamlibet editionem consulere, & cum scriptis meis quantum posset diligenter conferre, vt fraudis nullo negotio me conuinceret, si quid istiusmodi tentauissem. Pag. 156.

De peruerſa autem & in alienum ſenſum detorta interpretatione quis conqueri poteſt? Vſquamne Caluini verba ſum interpretatus? Aut vllumne ex eius doctis lucubrationibus teſtimonium produxi quod per ſe non intelligatur ſine cuiuſquam cōmentario? Non vnum hinc, alterum inde verbum arripui ambiguum, non truncaui periodos, ſententias non mutilaui, paginas integras vel deſcripſi vel recitaui ita vt quæ fuerit in ijs ſcriptoris mens facile ſit intelligere, vel fatendum ſit nullam fuiſſe auctori mentem. Quod poſtremum nemo qui ſit ſatis pudens de eo dixerit in quo Pontificij ipſi facundiam quandam
Thuan. hiſt. lib. 36. admirabilem agnouerunt. Verum, inquit ille, in ſcriptis Caluini multa occurrunt; quæ tam apertè diſſident ab ea ſententia quam *illi* Amy-
Hiſt. raldus affinxit, vt non potuerint ab eo niſi nimis callidè diſſimulari.
Dauila lib. 1. Omnis autem callida diſſimulatio nonnihil ex fraude trahere videtur. Equidem neque ſuppoſui fraudulenter, neque peruersè ſum interpretatus, neque callidè diſſimulaui quidquam. Abeſt Dei beneficio à meis moribus omnis fucus, & ſi quis eſt qui mihi malè velit, culpabit fortaſſe aliquid aliud, candorem & pectus apertum ac alienum à vafritie non deſiderabit. Loca quæ ſunt ab Anonymo in Caluini ſcriptis obſeruata, vel reuera pugnant cum ea ſententia quæ teſtimonijs à me citatis continetur; vel quæcunque ſit in ijs repugnantiæ ſpecies, poſſunt tamen cum ea facile conciliari. Si conciliari poſſunt, haud ſatis fortaſſe prudenter feci, qui litem illam apparentem non compoſui, vt doctrina mea, hoc eſt, Caluini ſententia, ab omni parte tuta foret. At quæ cuiuſquam cauſæ confirmandæ inſeruire poſſunt, ſi omittantur, nemo dixerit ab eo veteratoriè & fraudulenter eſſe diſſimulata. Si reuera pugnant, quid cauſę fuit cur inuerecūdè traducerem viri cæteroqui maximi vel in hac vna re ἀβλεψίαν, qui non animaduertit ſe ſe duas tueri diſcrepantes opiniones, vel inconſtantiam, qui in vna & eadem hypotheſi non perſeuerauit? Nonne Caluinus egregius Chriſti ſeruus, & cui dici non poteſt quantum Eccleſiæ reformatio debeat, aliud à nobis meritus eſt, quàm vt de induſtria famam eius & exiſtimationem eamus obſcuratum? Hoc mihi ſufficere debuit, ſententiam eam quam teſtimonia à me citata præ ſe ferunt, & in eius ſcriptis eſſe frequentiorem, & traditam vt plurimum in ijs locis in quibus Scripturam ſacram extra concertationem dedita opera explicat. Solet autem diſputationis calor nonnihil iudicio officere, & nemo neſcit ἀμαυρία τῆς ἀντοχλῆς in diſceptationibus de religione quantum poſſit. At profecto nulla eſt vera pugna inter varia Caluini de Prædinatione ſcripta. Vel nimia breuitas, quæ obſcuritatem parere conſueuit,

uit, vel liberiores & nonnunquam paulo fortasse duriores loquendi modi, qui sunt apud læuas mentes calumniæ obnoxij, vel denique lectorum negligentia, qui rem illam non satis diligenter egerunt, effecerunt vt præstantissimus Theologus secum discordare videretur. Quod vt cuiuis manifestum fiat, loca ab Anonymo notata operæpretium est conciliationis causa attentè considerare. Quod primùm Caluino cum Clarissimo Mounæo tribuimus, illud est, creatum fuisse vniuersum genus humanum in spem beatitudinis æternæ, si in integritate perstitisset. Lapso primo homine, qui secum omnes posteros eadem condemnatione inuoluit, massam generis humani electionis & reprobationis materiam extitisse, in qua discernenda Dei voluntas pro libito versaretur. Quamobrem etsi Dei decretum electiuum, vtpote æternum, Adami peccatum antecessit, pependisse tamen ex certa atque indubitata peccati futuri præuisione. Aduersus eam hypothesim Anonymus hæc citat ex Inst. lib 1. cap. 21. §. 5. Prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit quid de vno quoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus. Addit ex capite 24. eiusdem libri, §. 12. ista verba. Quos ergo in mortis exitium creauit, vt iræ suæ organa forent, & seueritatis exempla, eos vt in finem suum perueniant, nunc audiendi verbi sui facultate priuat, nunc eius prædicatione magis excæcat & obstupefacit. Quæ manifestè pugnare cum superiore doctrina Anonymo videntur. At responsio facilis est, si *creandi* primùm, deinde *prædestinandi*, verbum commodè explices. Nam creandi vocabulum nonnunquam quidem ad primam illam rerum omnium originem refertur, quæ peccati considerationem antecessit. Hoc sensu supra vidimus omnes homines, ex Caluini sententia, fuisse *creatos* in spem beatæ immortalitatis. At interdum refertur ad eam hominum *procreationem* quæ per generationem ordinariam fit, & in qua necessario prouidentia & potentia diuina interuenit, absque cuius efficacitate genus humanum interiret. Illa autem hominum seu *creatio* seu *procreatio*, peccati considerationem includit. Eo sensu homines à Deo dicuntur *creati* in exitium, Atque id Anonymus animaduertere potuit in verbis proximè sequentibus. Sic enim se habet contextus vniuersus, quem describere non pigebit. Quemadmodum suæ erga electos vocationis efficacia, salutem ad quam eos æterno consilio destinarat, perficit Deus: ita

[Margin: pag 78. — Inst. l 3. cap. 24. §. 12.]

„ ſua habet aduerſus reprobos iudicia, quibus conſilium de illis ſuum
„ exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam & mortis exitium crea-
„ uit, vt iræ ſuæ organa forent & ſeueritatis exēpla, eos vt ad finē ſuum
„ perueniant, nunc audiendi verbi ſui facultate priuat; nunc eius præ-
„ dicatione magis excæcat, & obſtupefacit. Prioris membri cùm innu-
„ mera ſint exempla, vnum tamen quod eſt præ alijs illuſtre ac notabile,
„ eligamus. Quatuor circiter annorum millia ante Chriſti aduentum
„ effluxerunt quibus ſalutiferæ doctrinæ lucem cunctis gentibus oc-
„ cultauit. Si quis reſpondeat tanti beneficij compotes ideo non feciſſe
„ quia indignos iudicauit, nihilo erunt digniores poſteri: cuius rei præ-
„ ter experientiam teſtis locuples eſt Malachias, qui incredulitatem
„ craſſis blaſphemijs permiſtam coarguens, venturum tamen redem-
ptorem denunciat. Vides-ne, lector, Caluinum non negare innume-
ram illam hominum multitudinem dignam fuiſſe quæ verbi prædi-
catione priuaretur, etſi idem affirmat, reliquos haud eo fuiſſe iudicio
minus dignos, ideoque in vtrorumque comparatione ad Dei li-
berrimam voluntatem eſſe recurrendum? Quid autem illo iudicio di-
gnos fecit niſi quod in peccato nati erant & educati? At ſequentia
adhuc clariora ſunt. Nec eſt timendum ne quis Porphyrij diſcipulus
„ Dei iuſtitiam impunè arrodat, nobis pro ea nihil reſpondentibus.
„ Quum enim aſſerimus *nullos perire immerentes*, gratuitæ eſſe benefi-
„ centiæ Dei quod nonnulli liberantur, abundè pro illuſtranda eius
„ gloria dictum eſt, vt noſtra tergiuerſatione nequaquam indigeat.
„ Prædeſtinationi igitur ſuæ viam facit ſummus ille arbiter, vbi quos
„ ſemel reprobauit lucis ſuæ communicatione orbatos deſerit in cæci-
„ tate. Nulli ergo, iudice Caluino, pereunt immerentes. Quod ſi in ijs
meritum cum exitio iunctum eſt, eſtne vllo pacto dubitabile quin
alterum alterius cauſa ſit? Et ſi meritum, hoc eſt, peccatum exitij
vera cauſa eſt, deſtinauit-ne Deus homines ad exitium ex abſoluta
voluntate & citra peccati conſiderationem? Supponit ergo præde-
ſtinatio peccatum, & ita verſatur in maſſa generis humani corrupta
diſcernenda. Quod abundè ſufficit ad iuſtitiam Dei ab omni crimina-
tione vindicandam. Nam ad illam Bezæ methodum quod attinet,
qua ſepoſitionis ad amorem & odium vnam Dei voluntatem cauſam
eſſe ſtatuit, quamquam odij & amoris actu exiſtentis cauſam in pec-
cato eſſe vult, Caluino non eſt vllo pacto adſcribenda. Primò quia
nuſquam eam exertè vel tradidit, vel ſequutus eſt; deinde quia non
poteſt cum ijs quæ exertè tradidit vllo modo conſentire. Pugnat e-
nim cum ea & quod obiectum prædeſtinationis in *maſſa corrupta* tam
ſæpè

ſæpè conſtituit, & quod Chriſtum pro omnibus, modo credant, mortem perpeſſum eſſe putauit. Id enim ex ſuperiore diſputatione palam eſt. Ad prædeſtinandi vocabulum quod attinet, certum eſt Scripturam ſacram nuſquam vti verbo προορίζειν in eo negotio, niſi vbi loquitur de decreto æternæ vitæ conferendæ. Decretum autem illud duo complectitur, nempe voluntatem fixam atque immotam fidei cùm dandæ tum conſeruandæ vſque ad vitæ finem: & voluntatem pariter immutabilem communicandæ ſalutis. Quæ duo poſitiua ſunt, vt loquuntur, & redduntur effecta interuentu efficacitatis alicuius longè potentiſſimæ. In negotio reproborum res aliter ſe habet. Nam reprobatio duo quidem complectitur, præteritionem videlicet in indulgenda fide, & damnationem quæ incredulitatem neceſſariò ſequitur. At præteritio mera actionis ſeu negatio ſeu ceſſatio eſt, quæ nullam potentiæ diuinæ poſtulat efficacitatem. Itaque προορισμὸς ex vſu Scripturæ ſacræ in eam propriè non competit. Attamen quia in electorum negotio euentus certiſſimè futurus eſt, reprobos verò exitium ex æquo indeclinabiliter manet, fecit non cauſarum ſimilitudo quidem, nam infinito interuallo inter ſe diſcrepant, ſed paritas certitudinis in euentu, vt Caluinus cùm multis alijs præſtantibus Theologis vtramque illam rem prædeſtinationem appellauerit. Qua in re ſanè non multum diſcedit à ſtilo Spiritus ſancti. Quemadmodum enim
electi dicuntur τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, quod, quidquid Arminij diſci- Act. 13.
puli vitilitigent, vim habet ſignificandi propoſiti ſtabilis ac definiti: ſic 48
increduli Euangelij hoſtes dicuntur προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, quia res Iud. 4.
non poteſt vllo pacto euitari. Et quemadmodum electi, *vocati* nun-
cupantur, hoc eſt, ad fidem adducti, κατὰ πρόθεσιν, vi cuiuſdam conſilij ab Rom. 8. 28.
æterno immutabiliter conſtituti, ſic Petrus alios τεθῆναι dicit εἰς ὃ προσκόπτειν 1. Pet.
τῷ λόγῳ καὶ ἀπειθεῖν. Quamuis enim altera pars conſilij ſit affirmatiua, alte- 2. 8.
negatiua tantùm, vtrobique tamen euentus eſt pariter neceſſarius & indeclinabilis; hîc quia ceſſat Dei efficientia, illic quia potenter operatur; quamquam eſt vtrumque deliberata voluntate conſtitutū. Quod autem in illis verbis Caluinus de vtriuſque cōſilij executione ſimiliter loqui videtur, quaſi non aliter Deus ad reprobationis euentum quam ad electionis finem perueniret, prudenter intelligendum eſt. Nam electionis finem, quia res eſt in ſe bona & non indigna quam Dei voluntas ſibi proponat pro obiecto, Deus per ſe intendit atque propriè. Quocirca quæ ad eum obtinendum neceſſaria ſunt, adhibet per ſe itidem atque primariò. Reprobationis autem euentus proximus atque immediatus induratio eſt, & quod indurationem infallibiliter ſequi-

tur, exitium; res non per se appetenda, sed κατὰ τι. Ideoque & media ad eam deducentia, neque propriè media sunt, sed κατὰ συμβεβηκὸς tantùm, neque adhibentur in eum finem aliter quàm secundariò, vt est à nobis supra ex Caluini verbis explicatum. In alijs locis plus reperire sperat præsidij Anonymus. Huncigitur citauit ex libro de Prædestinatione.
„ Et cur facti sunt vasa irę reprobi? Respondet Paulus, vt iram & po-
„ tentiam in illis suam Deus ostenderet. Dicit apparata in interitum:
„ vnde & quomodo nisi à prima origine & natura? vt quidem vitiata
„ est in persona Adæ totius generis humani natura: non quod altius
„ Dei consilium non pręcesserit: sed quia ex hac scaturigine emergit
„ Dei maledictio & generis humani interitus. Cui addidit alterum il-
„ lum ex eodem libro. Tria hic sunt consideranda: primo æternam Dei
„ prædestinationem, qua de toto genere humano & de singulis homi-
„ nibus quid futurum esset statuit, antequam cecidisset Adam, fixam &
„ decretam fuisse: deinde Adam ipsum pro defectionis suæ merito esse
„ morti addictum: postremò in eius iam perditi & desperati persona
„ sic damnatam esse totam progeniem, vt Deus quos inde gratuito e-
„ ligit, adoptionis honore dignetur. Equidem quid sibi voluerit Anonymus haud satis intelligo. Quid enim? Non satis clarè in vtroque illo loco Caluinus dicit peccatum esse causam maledictionis & condemnationis generis humani? Non ex eo necessariò sequitur prædestinationis ad exitium causam esse in vno peccato sitam? Nam vt supra disputauimus, non potuerunt esse Deo diuersæ decernendi ab æterno cur damnare vellet, & actu in tempore damnandi causæ. At inquit ille, ridiculum est, illud *antequam cecidisset Adam*, temporis antecessionem denotare duntaxat. Quis enim dubitet id quod ęternum est peccatum Adami tempore antecessisse? Quocirca necesse est vt in ijs verbis Caluinus ad rerum ordinem quem Deus sequutus est in decretis constituendis, non autem ad temporum differentiam respexerit. De causis impulsiuis decretorum diuinorum video multa esse à Caluino disputata, de ordine nihil. Cur Deus hominem condiderit in spem sempiternę beatitudinis, causam affert vnam eius bonitatem. Cur homine in peccatum & maledictionem lapso Christum mittere decreuerit, qui mundum morte sua redimeret, causam statuit in miro quodam illius erga genus humanum amore. Cur alios elegerit alios vero præterierit in donanda fide, causam in misericordia & seueritate Dei assignat: cur alter alteri sit in eo negotio præpositus, nullam aliam causam agnoscit præter vnam Dei liberrimam voluntatem. Cur credentes seruare, incredulos æternis cruciatibus damnare
volue-

voluerit, hinc ex Dei iustitia, inde ex eius misericordia rationē petendā esse duxit. Et sic de cæteris rebus quæ supra à nobis fusiùs explicatę sunt. Quo ordine omnia ista in ęterna sua mente collocauerit, quid prius, quid posterius sibi proposuerit ad cogitandum, Caluinus nunquam explicare conatus est Cuius instituti Caluiniani rationem difficile non est coniectura consequi. Nempe relatio quæ intercedit inter causas impulsiuas decretorum diuinorum & decreta ipsa, fundata est in eis virtutibus & proprietatibus diuinis quæ etsi per se mirabiles sunt, nobis tamen sunt aliquatenus reuelatæ & mentibus nostris expositæ ad cognoscendum, iustitia, scilicet, misericordia, bonitate, cum quibus virtutes nostræ morales aliquam analogiam habere videntur. Adde ad eas virtutes libertatem vtendi rebus suis pro suis, quam nollemus, miseri homunciones, nobis esse ereptam à quoquam aut vllo pacto derogatam. Atque in eo secutus est Scripturæ sacræ ductum, quæ quid ad bonitatem, quid ad iustitiam, quid ad misericordiam referendum sit, non obscurè innuit, sed apertissimè significauit. Verùm ordinis dispositio opus est sapientiæ, quam dubium non est in Deo infinitam esse quidem, at cuius adyta sunt vsqueadeò profunda & recessus imperuestigabiles, vt si quis eos lustrare tentet, necesse sit illum in labyrintho inexplicabili ęternum oberrare. Nec in eo Spiritus sanctus facem vllam nobis accendit, cuius ope Dei cogitationes vel penitus perspicere, vel aptè inter se componere, & suo quamque loco constituere valeamus. Tum naturę diuinæ simplicitas non prohibet quominus secundum modum considerandi nostrum, sint in eo varię virtutes ad quas variæ obiectorum qualitates conuenienter reducuntur: peccatum ad iustitiam, vt puniatur: perfectissima sanctitas ad bonitatem, vt præmium ferat; fides & pœnitentia ad misericordiam, vt obtineat impunitatem; duorum hominum peccatorum omnimoda æqualitas, ad voluntatis libertatem, vt inæqualia sortiantur pro illius arbitrio. At naturæ diuinæ immensitas & infinitudo non patitur, vt varia obiecta varijs temporibus æternam illam mentem subeant, quæ vno & indiuisibili actu omnia vidit, cognouit, decreuit, digessit, & ex omni æternitate eodem momento temporis ordinauit. Quod igitur decreta diuina alia alijs succedere volumus, id fit subleuandæ infirmitatis nostræ causa, & accommodatè ad nostram ratiocinandi methodum. Mens enim nostra angustioribus regionibus continetur, quàm vt multa simul complecti queat. Quamobrem pellit vna cogitatio alteram, vt clauus clauum è loco trudit, qui ambos eodem tempore capere non potest. At nulla tanta

est rerum multitudo, non si quidem mille mundos & plura adhuc intermundia cum Epicuro fingamus, quam mens diuina non vno momento accuratissimè, distinctissimè, & penitissimè perspiciat ac cōprehendat. Libet-ne igitur Anonymo vt hic breuiter exponam quid Caluino contigerit si quādo paulo ascendit altiùs, & animi cogitationem in omnium istorum decretorum contemplatione defixit? Planè quod omnibus mortalibus accidere oportet, si animum instituant ad mysterium prædestinationis attentè meditandum. Coniecit primùm oculos in genus humanū vniuersum, idque vidit horrenda maledictione ab omni parte implicitum, neque id admodum miratus est. Quid ita? Quia vidit pariter peccato contaminatum. Quid enim est in eo magnopere stupendum, si quod homines promeriti sunt, id etiam assecuti sunt à iustitia diuina? Aut quis negauerit immensam peccatorum cùm multitudinem tum etiam magnitudinem atque atrocitatem horrendam istam maledictionem iustissimè promeritam esse? Non fuit igitur ab illa cogitatione turbatus, quamquam sanè subiuit forte animum mitem & generis humani amantem commiseratio aliqua. Tum igitur conuertit oculos in Christi crucem, ad quam omnibus mortalibus aditum patere intellexit, modo non renuant Deo parere inuitanti. Atque in eo miram quandam eius φιλανθρωπίαν & agnouit, & suspexit, eo magis quod nulla re quæ ab hominibus proficisci potuerit, fuit inuitata. Quis enim ad tantæ clementiæ significationem non obstupescat, Summum numen, infinita maiestate præditum, tam sæpe, tam diu, tam variè peruersissimis, & à quibus tota natura abhorret actionibus ad iram incitatum, & reperisse apud se ab æterno, & demum in plenitudine temporum reapse exhibuisse absolutissimum in filij vnigeniti perpessione placamentum? Tantum abest igitur vt ista cogitatio Caluinum turbauerit, vt in admirationem rapuerit etiam cum incredibili voluptate. Ea re tamen contentus esse non potuit Obseruabit enim, quod in ipsos penè sēsus incurrit, ex hominibus alios ad crucem istam cum fide & pœnitentia confugere, alios non spernere eam duntaxat atque negligere, sed & odio auersari; vnde fit vt illi salutis sint compotes, hi pereant in æternum. Nec in tanta causæ disparitate potuit esse vnus atque idem euentus. Illi enim acceptione doni donationem à Deo institutam ratam validamque reddiderunt: hi, repudiatione, irritam. Quo nihil dici potest iustius aut ad gustum rectæ rationis magis accommodatum. At motus animi qui rerum causas sequitur atque indagat, in eo sisti nequiuit; quærendum fuit vlterius cur alij credant, alij verò minimè. Id autem quia

superat

superat omnem ingenij humani indaginem, præcipuo quodam studio in diuino verbo fuit inuestigandum. Et illic quidem diuini Spiritus efficacitatem suauissimam atque potentissimam continuo agnouit, adstipulante conscientia ipsa; hic natiuam malitiam ac cæcitatē quam externa propositio crucis emendare nequiuit. Nempe cùm tanta sit ingenij humani natiua peruersitas, quantam supra demonstrauimus, obiectum extrinsecus propositum, si nihil aliud sit, non potest non repelli. Contra verò cùm vsqueadeò admirabilis sit mentis actus quo fideles obiectum extrinsecus oblatum apprehendunt, ab extraordinaria & supernaturali ac planè diuina vi profectum eum esse oportet. Atque id hactenus non habet difficultatem magnopere memorabilem: hoc arduum & supra captum ingenij humani visum est, vnde factum vt ea vis hos potentissimè & efficacissimè afficeret, illos omnino præteriret intactos. Quo enim cunque vertas oculos, nusquam reperies in hominibus in quo mens hæsitabunda conquiescat. Non vlla naturæ disparitas, non virtutum semina, non opera, non dispositiones aut præparationes ad fidem, non bonus vsus arbitrij liberi præuisus, non denique quidquam aliud quod hominem ab homine naturâ aut industria discriminet, Deo causam præbere potuit misericordiæ quæ tam inæqualiter dispertiendæ. Postquam igitur ex Apostolo clarè didicit hic vnam Dei voluntatem regnare, cuius nulla præterea ratio reddi potest, in eo acquieuit cum ea animi demissione quæ hominem Christianum decet. Quanquam hæsit adhuc in animo scrupulus. Quum enim credentium numerus admodum exiguus sit, incredulorum verò multitudo præ ea paucitate innumerabilis, quærere subijt quæ causa Deum impulerit vt tot hominum myriades voluerit in natiua malitia & corruptione iacere, per quam factum est vt Christi crucem respuerent. Sequitur enim certè atque excipit incredulitatem æternus interitus, vt euitari nequeat quin vnà mentem occupet horror & commiseratio tot myriadum hominum, quos abyssus immensa maledictionis tristissimo exitio absorbet. Nec in eo facile est æstum ingenij humani componere, aut commotum animum placare penitus & ad eam modestiam redigere quæ creaturæ conuenit. Tristiorem paulo tamen atque commotiorem cogitationem mitigarunt tria potissimum. Vnum, quod de Dei voluntate agitur, Dei, inquam, cuius natura ea est vt hominibus neque quidquam debeat, neque verò debere possit. Τίς, inquit Apostolus, προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται, Quodnam commune ius nobis est ex Rom.
quo creaturæ liceat cum eo experiri? Alterum quod omnes homines 11. 35

in ſpem beatæ immortalitatis condiderat, qua ſpe ſi illi peccato ſuo exciderunt, culpandus non eſt qui iuſtitiam exerit in puniendo. Vt potius bonitas in eo admiranda ſit, quàm diritas inſimulanda. Tertium denique, quod omnibus obtulit veniam peccatorum in Chriſto, quâ in re incredibilem quandam clementiam declarauit. Quod ergo perierunt non eſt ab vlla Dei nimia ſeueritate. Attamen, vt eſt animus humanus contemplandi atque cognoſcendi auidus, proſpexit adhuc aliquid vlterius, cuius notitia magnam quandam vtilitatem ſecum ferre videbatur. Quod homines puniuntur ideo quia Chriſtum ſpreuerunt, & ſalute priuantur quam noluerunt accipere, cauſa iuſta eſt. Quod eorum malitiam & cæcitatem depellere Deus noluerit, ideo tantùm quia noluit, nec id præſtare tenebatur, ratio eſt idonea quæque animum humanum compeſcere debet, ſi inſoleſcat. At quod ab illa vita in cuius ſpem creati fuerant, lapſi ſunt in exitium, quia id vnius peccato accidiſſe videtur, magnam habet difficultatem. Tantamne fuiſſe in Deo immanitatem vt vnius ob culpam innumerabilem hominum multitudinem æternis cruciatibus deuoueret? Quis id in natura benigniſſima clementiſſimaque ſine aliquo horrore concipiat? Quis non putet ab eius iuſtitia quam maximè alienum atque abhorrens? Verum enimuero duo præcipuè ſunt quę curam iſtam ex animo expectorare poſſunt. Vnum eſt, quod non admodum mirum videri debet ſi parentis & liberorum vna eademque conditio eſt. Eam enim ſeueritatem quam in liberos perduellium à principibus exerceri in aliqua iuſtitiæ parte deputamus, cur in Deo iniquam aut truculentam eſſe arbitrabimur? Non eſt primi hominis in Deum rebellio digna quæ proportione æque ſeuerè vindicetur ac ſi aliquis maieſtatem hominum violauit? Alterum illud eſt quod parens qui miſeriam, idem peccatum in liberos propagauit. Vt non debeat æque quiſquam reſpectare ad primi omnium parentis culpam, ac pectus excutere proprium in quo pluſquam ſufficiens æterni exitij cauſa latet. Nam vndecunque vitium fluxerit, quem labe infecit ſua eundem ex ordine iuſtitiæ pœnæ perpeſſioni mancipauit. Vnum igitur ſupereſt. Primum omnium noſtri parentem Deus creauit mutabilem, tentationi Diaboli expoſitum eſſe voluit; mutationem eius certiſſimè futuram eſſe ab æterno præuidit; & ideo præuidit quia ex his & illis à ſe creandis ac ordinandis hoc & illud exſtiturum eſſe decreuit. Sic ante oculos ſuos genus humanum vniuerſum & in peccatum labi, & per peccatum in exitium ruere, & in exitio æternùm manere & vidit & voluit. Etſi enim eum non latuit, cum filium in mundum mit-

mittere constitueret, fore vt omnes eum auersarentur, nisi vi potentissima sui spiritus succurreret, eius opem destinauit paucissimis, reliquis præteritis iusta quadam seueritate. Ad ea igitur quis non exhorreat? Quis non contremiscat totus & formidine consternetur? Quis est, inquam, qui si motu mentis in altum subuectus tantam generis humani ex illo felicitatis fastigio in quo primùm collocatum est, miserrimè deturbati stragem attentis oculis despectet, Dei iustam quidem sed tamen tremendam ἀποτομίαν ex intimis animi sensibus non perhorrescat? Nam hîc sanè Arminius quicquid habet superuacaneæ subtilitatis expromat, non faciet tamen quin ista ruina horribili sua *specie* terreat mentis oculos. Theologiæ suæ arcana omnia scrutetur & euoluat, nunquam perficiet quin hic semper multa residua sint, quæ superant omnem captum non hominum modò sed Angelorum. Nam quid hic faciet imaginaria voluntatis humanæ libertas, ad quam veluti ad sacram ancoram confugit in omni dubitationum æstu atque procella? Nonne potuit Deus eius sistere mobilitatem in Adamo, ne & ipse caderet & vniuersam suam posteritatem cadendo secum traheret in ruinam ineuitabilem? Ea causa est cur Caluinus lectorum suorum mentes ad illa sæpenumerò reuocet quæ actualem Adæ lapsum antecesserunt, vt pote in quibus infinitam Dei maiestatem reuereri atque adorare necesse est. Inde illa verba Instit. lib. 3. cap. 23. §. 7. quorum pars supra à nobis considerata fuit. Disertis verbis hoc extare negant decretum fuisse à Deo vt sua defectione periret Adam. Quasi verò idem ille Deus quem scriptura prædicat facere quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis. Liberi arbitrij fuisse dicunt ut fortunam ipse sibi fingeret: Deum verò nihil destinasse nisi vt pro merito eum tractaret. Tam frigidum commentum si recipitur, vbi erit illa Dei omnipotentia, qua secundum arcanum consilium, quod aliunde non pendet, omnia moderatur? Atqui prædestinatio, velint, nolint, in posteris se profert, neque enim factum est naturaliter vt à salute exciderint omnes vnius parentis culpa. Quid eos prohibet fateri de vno homine quod inuiti de toto humano genere concedunt? Quid enim tergiuersando luderent operam? Cunctos mortales in vnius hominis persona morti æternæ mancipatos Scriptura sacra clamat. Hoc cum naturæ adscribi nequeat, ab admirabili Dei consilio profectum esse minimè obscurum est. Bonos istos iustitiæ Dei patronos perplexos hærere in festuca, altas verò trabes superare nimis absurdum est. Iterum quæro vnde factum est vt tot gentes vnà cum liberis eorum infantibus æternæ

„morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum
„est? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decre-
„tum quidem horribile, fateor. Inficiari tamen nemo poterit quin
„præsciuerit Deus quem exitum esset habiturus homo antequam ip-
sum conderet, & ideo præsciuerit quia decreto suo sic ordinarat. Et quę eodem loco similia sequuntur. Cum igitur vnumquodque Dei decretum in mysterio prædestinationis Caluinus seorsim considerat, & id cum causa ea confert quæ Deum impulit vt sic vel sic apud se decerneret, nihil penè occurrit in quo vel Dei iustitiam non agnoscat, vel bonitatem non suspiciat, vel misericordiam non admiretur, vel libertatem eam qua Deo solutum est vt hominibus æque corruptis tribuat inæqualia, reuerendam esse non existimet. Vt pijs ac modestis ingenijs & se satisfacere posse putet, & reuera satisfaciat. At cùm ista omnia inter se componenda sunt, venit autem vna in mentem rem tantam quanta est peccatum, rem tam horrendam quàm horrendus est æternus interitus, ab infinita propè hominum multitudine solo Dei Opt. Max. nutu prohiberi potuisse atque propelli, fieri profectò nequit quin mens humana obstupescat ac sub pondere admirationis fatiscat & collabatur.

Video à viris præstantissimis nonnihil dubitari, an Caluinus dici possit existimasse Deum velle omnium hominum salutem, dummodo ijs inuitationibus obtemperent quibus ad fidem & pœnitentiam ab ipso prouocantur. Quam dubitationem arbitror me nunc illis exemisse ex animo, vsqueadeò multa & perspicua sunt quæ in eam rem ex illius scriptis testimonia produxi. Digni tamen sunt quibus ita plenè & abundè satisfiat, vt ne leuissima quidem ambigendi occasio supersit. Si talis, inquiunt, fuit Caluini sententia, cur in libro de præde-
» stinatione tam multa dixit in speciem contraria? Vt sunt illa. Mul-
» tum abest quin Dei gratiam pro merito illustrent, qui eam prædi-
» cant omnibus esse communem. Item. Nunc iactet Pighius Deum om-
» nes velle saluos fieri, cùm ne externa quidem doctrinæ prædicatio,
» quæ tamẽ Spiritus illuminatione longè inferior est, omnibus sit com-
» munis. Rursus. Ergo aut Deum fateantur non esse votorum suo-
» rum compotem, aut negent omnes sine exceptione velle saluos fieri.
» Quibus ista coniungi possunt, in quibus negare videtur Christum pro ijs omnibus indifferenter esse mortuum qui ipsum fide amplectun-
» tur. Quod tamen alibi, vt supra vidimus, centies affirmauit. Audio
» quid garriat Pighius electum esse in Christo genus humanum, vt qui-
» cunque eum fide amplexi fuerint, salutem consequantur. Quibus si-

milia

milia sunt ista. Pighius sensum suum ita explicat, Deum immutabili „
consilio omnes creasse ad salutem ; sed cùm Adæ præuideret defe- „
ctionem, vt firma nihilominus stabilisque fieret electio, remedium „
adhibuisse, quod omnibus perinde commune esset. Et siqua sunt a- „
lia istiusmodi. At nihil est quod facilius explicari possit. Nam ad gra-
tiam communem quod attinet, Pighij & omnium ferè Semipelagia-
norum opinio semper fuit, gratiam aliquam communem esse, non
modò quæ per Euangelij prædicationem extrinsecus offertur, sed e-
tiam quæ intrinsecus mentem illuminat & afficit, ita vt constituat in
voluntatis potestate Christum amplecti vel reijcere prout ipsi libue-
rit. Adeò vt ratio discriminis quod inter fideles & incredulos inte-
rest, petenda sit non ex electione diuina, sed ex arbitrio humano.
Quam opinionem tanquam hæreticam Caluinus reijcit & oppugnat.
Atque id ita se habere patet ex ipso loci contextu. Multum abest, in- »
quit ille, quin Dei gratiam pro merito illustrent qui eam prædicant »
omnibus esse communem, in se vero efficaciter residere quia fide eam »
amplexi sint : fidei vero causam interea sepultam cupiunt, quod scili- »
cet gratis in filios electi Spiritus adoptionis postea donati sunt. Quæ »
per se clariora sunt quàm vt quæ sequuntur describere necesse sit.
Non negat ergo cōmunem esse gratiam quæ se habet vt obiectum:
negat tantùm eam esse communem quæ mentes hominum intus affi-
cit, quæque pendet ex electionis proposito, quod Semipelagiani vo-
lunt esse sublatum. De voluntate Dei de qua agitur in locis sequen-
tibus res clara est. Alia est voluntas per quam, vt supra vidimus, Deus
præcipit officium creaturæ, & salutem promittit officium facienti-
bus : alia per quam statuit quid sit futurum in euentu. Illa reuelata
dicitur, hæc arcana. Illa tantummodo extrinsecus inuitat obiecto
proposito, & ostendit quæ sit obtemperantibus reposita apud Deum
remuneratio. Hæc in electis potentissimè operatur, vt reuera pareant.
De arcana voluntate negat eam ad salutem omnium hominum exten-
di. De reuelata non modò petentibus concedit, sed affirmat vltro &
pro indubitata veritate docet, eam esse communem. Nec id melius
patere potest quàm ex illius verbis. Reclamat Pighius, inquit, illam »
Pauli sententiam adducens, Deum omnes velle saluos fieri, & quod »
mortem peccatoris nolit, ipsi vel iurato credendum ; vbi per Pro- »
phetam sic loquitur : Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed magis »
vt conuertatur & viuat. Quum prophetica concio ad pœnitentiam »
hortetur, nihil mirum si Deum pronunciet velle omnes saluos fieri. »
Sed tales loquendi formas conditionales esse ostendit mutua inter »

„ minas & promissiones relatio. Niniuitis Deus, quemadmodum re-
„ gibus Gerar & Ægypti, facturum se denuntiat quod facturus non est.
„ Quum resipiscentia pœnam quam illis minatus fuerat, anteuertunt,
„ tunc nonnisi obstinatis constitutam fuisse apparet. Et tamen præcisa
„ fuerat denuntiatio, ac si reuocabile non esset decretum: sed postquam
„ iræ suę sensu terruit ac humiliauit, qui non prorsus sunt desperati,
„ eos spe veniæ erigit, vt remedio sentiant locum esse. Ita rursum pro-
„ missiones, quæ omnes ad salutem inuitant, non simpliciter nec præci-
„ se quid in *arcano* consilio Deus statuerit, sed quid omnibus ad fidem
„ & pœnitentiā adductis facere paratus sit, demonstrant. Est igitur, ex Caluini sententia, promissionum & minarum par ratio. Vtræque veræ sunt, at vtræque conditionales. Vtręque verè Dei voluntatem ostendunt, non fictè, non simulatè, sed cuius executio ex præstatione conditionis pendet. In minis, si pœnitentia anteuertas, prætereunt inoffensè; pœnam enim non denuntiant nisi obstinatis. Nisi te peccati pœniteat, pœnam effugere non potes. In promissionibus, nisi credas & eas amplectaris, nihil quidquam actu conferunt, sunt enim solis credentibus constitutæ. At si credas, quisquis es, rem promissā proculdubio laturus es, nec Deus expectationē tuā vllo modo frustrabit. Quod quid aliud est quam omnibus esse communes, modo credant? Id autem ad arcanā Dei voluntatem nihil attinet. Vt enim denuntiatio Niniuitis facta, *Intra quadraginta dies Niniua subuertetur*, non prohibuit quominus Deus apud se statueret efficere vt Niniuitas peccati pœniteret, quæ fuit vnica calamitatis depellendæ ratio. Sic promissio, *si credas saluus eris*, non prohibet quominus Deus decernat multos quibus facta est, indurare, quæ est ad exitium certissima via ac minimè dubitabilis. Et quemadmodum decretum istud arcanum de donanda Niniuitis qualicunque pœnitentia non effecit quin conditionalis illa denunciatio vera foret: Nisi resipiscatis, intra quadraginta dies Niniua ab ipsis fundamentis euertetur. Sic certissima voluntas de nonnullis indurandis non facit quominus vera sit etiam eorum respectu promissio, si credatis salutem consequemini. Atque eandem esse Caluini mentem in altero loco, Nunc iactet Pighius, &c.
„ patet ex illis quæ proximè sequuntur. Hoc extorsi Pighio, ne quis nisi
„ sensu & iudicio priuatus credat *arcano* Dei consilio statutam omni-
„ bus æqualiter salutem esse. De Christi morte, res caret omni difficultate si quis loca integra apud Caluinum legat. Sententia Pighij fuit prorsus eadem cum Arminiana. Vniuersum genus humanum in vitæ spem conditum esse. Lapso eo procuratum esse ex æquo omnibus in

Christo

Christo remedium. In gratiam vniuersi generis humani constitutum esse decretum, quod Pighius electionem vniuersalem appellabat, quo & potestas fit omnibus salutis obtinendæ si credant, & facultas indulgetur habendæ fidei, si ad eam rem libertate suæ voluntatis vti velint. Præuidisse autem Deum qui-nam credituri essent, qui non; atque tum demum decreuisse ex illa præuisione quos eligere vellet, quos reprobare, vt electio & reprobatio in præscientia fidei vel incredulitatis fundata sit. Ad ea quid Caluinus? Primum verbum *electionis vniuersalis* pro merito traducit. Deinde electionem ex præuisione fidei suggillat atque confutat, & ostendit electionem esse ad fidem, non ex fide. Reliqua præterit intacta, tanquam ad rem quam agebat neutiquam pertinentia, & in quibus controuersia non vertitur. Id autem ex eius verbis manifestum est. Audio inquit, quid garriat Pighius: » Electum esse in Christo genus humanum, vt quicumque eum fide » amplexi fuerint, salutem consequantur. Sed in hoc commento duæ » sunt crassæ hallucinationes, quas Pauli verbis refellere promptum est. » Nam primò certè inter electos & reprobos mutua est relatio: vt stare » electio de qua loquitur, nequeat, nisi fateamur Deum certos homines » quos illi visum est, ab alijs segregasse. Quod ipsum prædestinandi » verbo, quod bis postea repetit, exprimitur. Ad hæc eos dicit » electos, qui fide insiti sunt in Christi corpus: quod omnibus nequaquam » commune esse palam est. Solos itaque eos designat, quos vocatione » sua dignatur Christus, postquam illi à Patre dati sunt. Fidem » vero facere electionis causam nimis absurdum est, atque à Pauli verbis » dissentaneum. Neque enim, quod prudenter animaduertit Augustinus, » electos esse pronunciat, quia credituri essent, sed vt crederent: » non electos dicit quos Deus præuiderat fore sanctos & immaculatos, » sed vt tales fierent. Item, non quia credidimus ipse nos elegit, sed vt » credamus, ne priores videamur ipsum elegisse. Quibus planè consentanea » sunt quæ sequuntur. De Christi autem morte quid sentiat, perspicuum est ex eo loco quem iam supra breuiter attigimus: nobis vero nunc fusiùs describendus est. Cum speciali electione congruere non » videtur, quod Christus totius mundi Redemptor omnibus promiscuè » Euangelium prædicari iussit. Atqui Euangelium legatio est pacis, » quâ reconciliatur mundus Deo, vt Paulus docet: & eodem teste annunciatur, » vt qui audiunt, salui fiant. Respondeo breuiter Christum » sic toti mundo ordinatum esse in salutem vt eos seruet qui à Patre illi » dati sunt: eorum sit vita quorum est caput: eos in bonorum suorum » societatem recipiat, quos sibi Deus gratuito beneplacito hæredes »

„ adoptauit. Quid horum negari potest? Illud Isaiæ vaticinium Aposto-
„ lus in eo impletum pronunciat: Ecce ego & pueri mei, quos Domi-
„ nus mihi dedit. Clamat ipse Christus: omne quod mihi dedit Pater
„ custodiam nequid pereat. Quod vitam nonnisi in membra sua dif-
„ fundat passim legimus. Inseri porro in eius corpus speciale donum
„ qui non fatetur, epistolam ad Ephesios nunquam attentè legit. Vnde
„ & tertium illud sequitur, Christi virtutem nonnisi ad Dei filios per-
„ tinere. Quamquam non melius quam ex Euangelij prædicatione æsti-
„ mandam esse *vniuersalem* Christi *gratiam* ipsa quoque pars aduersa
„ mihi concedet. Quare in eo sita est nodi solutio, si tenemus quomo-
„ do salutem omnibus offerat Euangelij doctrina. Equidem omnibus
„ natura sua saluificam esse non nego. Tantum hoc quæritur an Do-
„ minus æterno suo consilio communem illic omnibus salutem desti-
„ nauerit. Patet omnes indifferenter ad fidem & pœnitentiam vocari,
„ & proponi omnibus eundem Mediatorem, qui Patri ipsos reconci-
„ liauit, satis notum est, sed æquè notum est nihil nisi fide percipi: vt il-
„ lud Pauli impleatur: Euangelium esse Dei potentiam in salutem om-
„ ni credenti. Alijs autem quid restat, nisi vt odor sit mortis in mortem?
„ vt idem alibi loquitur. Non igitur negat Caluinus Christum esse toti mundo ordinatum in salutem; omnium esse Redemptorem non diffitetur. Fatetur omnibus eundem Mediatorem proponi qui natura sua omnibus est saluificus, omnes ad fidem & pœnitentiam & sic ad salutem vocari agnoscit. Omnes, si crederent, saluos per eum redemptorem futuros esse prædicat, quandoquidem Euangelium est Dei potentia in salutem omni credenti. Gratiam quandam vniuersalem admittit quæ consistit in inuitatione & propositione salutis externa. Duo tantum negat. Prius, *æterno* Dei consilio, hoc est, arcana illa voluntate quæ spectat in euentum, *destinatam* esse omnibus salutem certò ac definitè. Electorum id vult esse proprium, quos Deus ante omne tempus filio suo dare decreuit. Posterius, omnes reapse vim mortis Christi persentiscere, ut quę non aliter se se infundit in homines quam per fidem, fides autem ex illo arcano proposito manat. Planè vt est à veneranda Synodo Dordracena definitum. Promissio-

De morte Christi art. 5

„ nem Euangelij eam esse, vt quisquis credit in Christum crucifixum,
„ non pereat sed habeat vitam ęternam. Quæ promissio omnibus po-
„ pulis & hominibus, ad quos Deus pro suo beneplacito mittit Euan-
„ gelium, promiscuè & indiscriminatim annuntiari & proponi debet cum resipiscentię & fidei mandato. Quotquot autem per Euangelium vocantur seriò vocantur. Seriò enim & verissimè ostendit Deus

De corrup. & conuers.

verbo

verbo suo quid sibi gratum sit: nimirum vt vocati ad se veniant. Seriò etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit. Quod igitur multi per Euangelium vocati non resipiscunt, nec in Christum credunt, sed in infidelitate pereunt, non fit hostiæ Christi in cruce oblatæ defectu, vel insufficientia, vel eo quod Deus eos seruari omnino noluerit, quandoquidem seriò & verissime testatus est id sibi gratum esse. At verum est illud tamen quod eadem Synodus statuit. Fuisse Dei Patris liberrimum consilium & gratiosissimam voluntatem atque intentionem, vt mortis pretiosissimæ filij sui viuifica & saluifica efficacia se se exereret in omnibus electis, ad eos solos fide iustificante donandos, & per eam ad salutem infallibiliter perducendos. Quamobrem sunt illi soli à Christo efficaciter redempti. Restat vnum quod ex antecedentibus emergit. Etenim si Deus voluit omnes homines saluos fieri, quando tam pauci seruantur, qui potest dici compos omnium votorum suorum? Si fatetur Caluinus Dei voluntatem hac in parte irritam esse, cur & Pighium, & Georgium Siculum, & alios eiusmodi Pelagij discipulos tam acriter increpat, tamque studiosè refellit, quod ex eorum sententia sequitur Deum non esse summam votorum suorum assecutum? Atque difficultatem auget quod, vt supra vidimus, Deus à Caluino dicitur non solùm velle omnium hominum salutem, sed & eam cupere, neque modò cupere, sed etiam eius desiderio flagrare, adeò vt quod aliter accidit, & ægrè ferat admodum & ideo vehementer indolescat. Etsi igitur capite 9. huius disputationis difficultatem istam sufficienter sustulisse putamus, est tamen hîc aliquid addendum plenioris explicationis causa. Scriptura sacra duobus modis virtutes ac proprietates naturæ diuinæ nobis considerandas proponit. Vel enim eæ versantur atque exercentur circa obiecta iam hoc aut illo modo constituta, cum respectu aliquo ad qualitates quibus obiecta ipsa prædita & affecta sunt: Vel solutæ sunt atque liberæ ab omni eiusmodi respectu & occupantur in obiectis ipsis aut constituendis atque vestiendis certis quibusdam qualitatibus, aut pro arbitrio negligendis ac prætereundis. Prioris generis est ea bonitas quæ hominem iam conditum ac præstantibus pietatis sanctimoniæque qualitatibus imbutum, considerauit tanquam obiectum amoris ac remunerationis suæ. Fuit enim ita ad hominis pietatem atque sanctimoniam determinata ista bonitas, vt fieri non potuerit quin creaturam in eo statu perseuerantem amaret, eique benè faceret, ideo quia bona erat: quomodo pariter omnino à se impetrare nequiuit quin creaturâ mutatâ

[Margin notes: ad Deū Art. 8. — De morte Christi art. 8]

in deterius, desisteret ab amando. Eiusdem generis est ea iustitia cuius munus est vindicare peccatum. Vt enim neminem punit vnquam qui non peccauerit, sic peccatum nullum impunitum prætermittere potest. Atque eiusdem denique indolis ea misericordia est, quæ peccatum condonat ob fidem & pœnitentiam antecedentem. Nam vt illa non condonat obstinatis & contumacibus, sic fidelibus & resipiscentibus non condonare nequit. Iuxta illud prophetæ. *Viuo ego, inquit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Porro etsi postquam Deus virtutes illas suas nobis reuelauit, facile concipimus conuenire earum naturam cum natura numinis, vt vix ac ne vix quidem talibus proprietatibus carere possit: quæ est tamen vel naturæ diuinæ infinita excelsitas, vel aciei mentis nostræ naturalis hebetudo, eas nisi perspicuè reuelasset, nulla ratiocinatione deprehendere quiuissemus. Non Adamus certo sciuisset sibi à bonitate Dei remunerationem esse repositam in æterna beatitudine, nisi Deus ei præbuisset fructum edendum ex vitæ arbore, vel mortem vni peccato interminatus esset, vel denique aliquo alio pacto suam illam ad benefaciendum liberam quidem, sed necessariam tamen propensionem declarasset. Non habuissemus pro comperto & explorato iram Dei esse vsqueadeò inexorabilem, nisi in morte Christi, in qua Apostolus iustitiæ diuinæ claram ἔνδειξιν esse dixit, manifestum fecisset dari non potuisse hominibus impunitatem sine aliquo horrendo placamento. Non potuissemus vllo pacto in animum inducere, apud Deum esse peccatoribus pœnitentibus veniam, nisi id tot testimonijs comprobasset, tot oraculis edixisset, tot promissionibus confirmasset, tot argumentis, quorum nullum tamen cum cruce Christi conferendum est, extra omnem dubitationis aleam constituisset. Itaque mirum non est, si cùm Angelis qui lapsi sunt ab origine sua, nullam instaurationis promissionem fecerit ab initio, dederitque redemptorem hominibus qui nihil cum natura angelica commune habet, putauerunt illi semper sibi esse vndiquaque ad misericordiam aditum interclusum. At redēptore humano generi concesso, retecta est ea proprietas quæ vti nequit veniā indulgere pertinacibus in peccato, sic à se nunquam impetrat, tanta est in Deo clemētia atque placabilitas, quin gratiam ijs malefactorum faciat quos seria pœnitentia, vnà cum misericordiæ fiducia coniuncta, ad opem ipsius compulit implorandam. Atque eam reuelationem tria præcipuè memorabilia consecuta sunt. Vnum est quod Deus non dubitauit apertè profiteri se *velle* omnium hominum salutem. Vsus enim est certe verbis humanis, qui si alia adhibuisset,

hibuisset, tantum abest vt assensum obtinuisset, vt ne potuisset quidem à nobis intelligi. Sic autem loqui solemus vt ea nos velle dicamus, quæ, vt alibi dixi, nobis placent, quæ si fiant, adlubescunt, quæ denique grata sunt, & consentiunt cum naturalibus propensionibus animorum nostrorum. Alterum est, quod istiusmodi voluntas non aliter enunciatur quam phrasibus quæ conditionem aut exprimunt disertè, aut tacitè includunt. Qua in re Deus se se pariter accommodat ad captum ingenij nostri, & loquendi morem qui inter homines vsitatus est, facilè mutuatur. Vt enim in pactis & conuentis humanis quæ conditione nituntur, res quæ vocatur conditio talem respectum habet ad conuenti præstationem, vt hæc ex illa necessario dependeat. Vnde illæ loquendi formulæ: Si tu hoc feceris, & ego hoc præstabo: Nisi tu id prius præstiteris, pactũ à me & conuentum irritũ erit. Sic inter eas virtutes atque proprietates diuinas quæ versantur circa obiecta hoc vel illo modo constituta, pro natura & ingenio qualitatum, & qualitates ipsas, tam arcta veluti necessitudo intercedit, vt his sublatis illarum exercitium & operatio necessariò cesset. Ex quo manant hæ propositiones hypotheticæ. Si Adamus sanctitatem suam retinuisset, nihil fuisset in æternum eo beatius. Si genus humanum non peccasset, in mortem & maledictionem non incurrisset. Si credas non venies in iudicium, Iesus enim loco tuo Dei iustitiam sua morte placauit. Nisi credideris, ira Dei manet super te in æternum. Atque ex eo sequitur vt enunciationes istæ sint pariter vniuersales. Cum enim qualitas quæ conditionis locum obtinet, sit eiusmodi, vt si facultates intellectus atque voluntatis quæ in omnibus hominibus insunt, per se spectes, seposito peccato quod ijs à natura insedit, in omnes indiscriminatim cadere possit, vitari certè non potuit quin pariter id quod eius præstationem sequitur, de omnibus prædicaretur. Vnde tales locutiones in Scriptura, πᾶς ὁ πιστεύων σωθήσεται. Et, δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ πιστεύοντι. Et, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας. Et similia propemodum infinita. Nempe si fides quemadmodum in omnibus esse debet, sic etiam in omnibus reperiretur, misericordia cuius exercitium fidem necessariò respicit, non posset quin in omnibus se se ex æquo exereret. Quemadmodum si nemo crederet, nemo salutem consequeretur. Tertium denique illud est, quod ea voluntas seu propensio misericordiæ ad condonandum, ipsa si reueletur & proponatur extrinsecus, est obiectum aptum natum ad qualitatem illam excitandam, quantum quidem ab obiecto excitari valet. Nempe neque quisquam credere potest Deum sibi fore propitium nisi prius id ipse Deus osten-

derit, neque in animum inducere vt seriò à peccato resipiscat, nisi sciat seriò resipiscenti veniam apud Deum esse certissimè paratam. Iuxta illud, *Penes te est remissio atque misericordia, vt timearis.* Consentaneum igitur fuit vt omnibus annunciaretur: aliter enim fides & pœnitentia non potuit conuenienter imperari. Et quia obiectum quanto illustrius atque vehementius est, tanto magis aptum est ad commouendum, quæ fuit Dei incomparabilis cùm sapientia tum bonitas, non solùm misericordiam istam proponi voluit, sed & id fecit cum repręsentatione memorabilis cuiusdam affectus: Vnde anthropathiæ natæ sunt, & dolentis & cupientis & exultantis Dei, quæ supra sunt à nobis ex Caluino commemoratę. Nam omnis affectus qui paulo vehementior est, omnes eas commotiones in animo proindè ciet vt res ex eius sententia benè vel secus eueniũt. Iam autem etsi tales anthropopathiæ, vt supra obseruatum est, ita debent explicari, vt nihil quidquam de maiestate naturæ diuinæ delibetur, ( nam ea certè non est obnoxia perturbationibus ingenij humani ) non sunt tamen inanes aut simulatæ voluntatis diuinæ declarationes. Nihil enim verius est, nihil magis serium, quàm Deum esse summè misericordem, si quis ad eius clementiam confugiat, verâ fiducia, veraque animi pœnitudine ductus. Neque verò vehementia illa affectus quam figuratę locutiones prę se ferunt, caret omni fundamento. Cùm enim iustitia inflexibilis, viam, vt ita loquamur, misericordiæ intercluderet, ne sui daret vllam generi humano significationem, nec aliud prætérquam ira implacabilis se se è cœli regionibus ostenderet, summæ φιλανθρωπίας & mirifici cuiusdam amoris fuit, quod Deus filium vnigenitum dedit, qui satisfactione præstita, aditum ad misericordiam alioqui obstructum & imperuium admirabiliter reseraret. Nam absque eo foret, qui est diuinæ iustitiæ rigor, immensa vorago nos ab ea perpetuò diremisset. Ex his ita explicatis iam manifestum est in ijs rebus quas Deus velle dicitur virtutibus illis conuenienter, quidquid accidat, dici propriè non posse eum non esse votorum suorum compotem. Quando enim voluntatis istius ea natura est vt intra fines consistat conditionis vel præstitæ vel non præstitæ, quomodocunque res ceciderit, Deus finem suum assecutus, vel saltem eo non frustratus esse dici debet. Credidisti? Salutem imperrabis, quam Deus omnibus credentibus destinauit. Non credidisti? Quia salus solis credentibus destinata est, nihil quidquam præter expectationem, nihil præter diuinam destinationem accidit, si salute excidisti.

In posteriore genere virtutum diuinarum ea bonitas collocanda est,

est, quæ Deum impulit vt mundum & in mundo hominem infinita potentia condere vellet. Nam illius sanè exercitium neque pependit neque verò pendere potuit ex vlla qualitate quæ esset in obiecto. Obiectum siquidem nullum erat. Itaque Deo liberum omnino solutumque fuit mundum vel condere vel non condere pro arbitrio. Tum & ea misericordia eodem censu continetur, quæ nonnullos homines è reliquorum numero segregauit, quos vocaret efficaciter & perduceret infallibiliter ad salutem. Cùm enim nihil quicquam in vllo homine esset quod misericordiam istam inuitaret, Deo liberum itidem fuit eam vel inhibere vel exerere, nec si vel omnes eo modo vocasset, vel omnes pariter in peccato iacere passus esset, vlla causa foret cur ei vel leuissimè succenseretur. Vt autem virtutum istarum ingenium à superiorum indole diuersum est, sic etiam illa differunt quæ earum reuelationem consequuntur. Primum enim nusquam Deus testatus est *se velle* omnium hominum eo modo misereri. Contra apertè declarauit à se in eo negotio habitum esse delectum, cuius causam assignat in vno beneplacito liberrimo. Est enim, vt id supra defendimus, ea verborum istorum sententia, *miserebor cuius miserebor*, &c, quibus nihil dici potuit incommodiùs, si vel omnes homines ex æquo spectaret ea misericordia, vel in obiecto qualitatem aliquam respiceret, cuius intuitu erumperet in actum, aut inhiberetur. Deinde *voluntas* isto modo miserandi nunquam enunciatur in Scriptura sacra conditionaliter, sed absolutè. Quippe cùm non pendeat ex vlla obiecti qualitate, sed ex mero Dei beneplacito, nihil habet vel simile vel commune cum pactis & conuentis humanis, in quibus est faciendi vel non faciendi obligatio reciproca. Vbicunque Scriptura de eo genere misericordiæ loquitur, neque conditionem vllam exprimit, neque tacitam includit, pronunciat absolutè quid sit futurum. *Inscribam leges meas in eorum cordibus*, &c. Item. *Cor lapideum eximam, indam carneum* &c. Item, *Omnes erunt docti à Deo.* Et similia quæ sunt ab Apostolo cōmemorata, & à nobis superius expensa in cap. 9. Epist. ad Romanos. Et quemadmodum enunciationes illæ conditionales non sunt, sic nequeunt esse vniuersales. Nam istud, *omnes erunt docti à Deo*, infinito interuallo distat ab ea phrasi, *omnis credens seruabitur*. Nempe hæc non aliunde limitatur quàm ex conditione *credendi*. Illa tantum abest vt conditione credendi limitetur, vt conditionem illam præstitum iri spondeat. Nempe vi διδασκαλίας istius fides ingeneratur. At limitatur destinatione voluntatis Dei, qui in eo loco vnde desumptum est oraculum, omnes homines non Esa. 54. 11.

alloquitur indiscriminatim, sed vnam Ecclesiam suam compellat & consolatur. Denique voluntatis seu misericordiæ istius reuelatio non potest esse obiectum aptum natum ad fidem excitandam. Reuelatur enim vel ipso euentu, vel promissione. Euentu reuelata fidem iam ingenitam indicat, nam euentus positus est in fidei præstatione. In promissione verò quisque videre potest quid Deus in nonnullis futurum esse polliceatur. At nemo in eo perspicit rem promissam ad se pertinere sigillatim, nemo in ea deprehendit argumenta quibus ad credendum incitetur. Quis enim apud se sic ratiocinabitur, Deus promittit fore vt efficacitate spiritus quam pro arbitratu indulturus est, nonnulli credant; ideoque mihi danda est opera vt in Christum credam? Hoc argumento impellimur ad credendum, quod ni id faciamus, exitium æternum, id si faciamus, salus æterna nos haud dubiè manet. Quæ res pertinet ad eam misericordiæ considerationem quam supra diximus habere necessarium respectum ad obiecti qualitatem. Atque ea causa est cur in ista voluntate declarãda Scriptura nusquam loquatur de Deo ἀνθρωποπαθῶς. Nam prædicat quidem certè magnificè misericordiam quæ Deum eò impulit vt vellet quorumdam sic misereri, nec potest satis vnquam pro dignitate prædicari. At eum tamen neque dolentis, neque lætantis, neque cupientis vsquam persona induit. Quippe affectuum istorum demonstratio pro obiecto est ad mentes hominum pœnitentia commouendas comparato. Adde quod qui testatur se cupere aliquid, vel lætari facto, vel non facto indolescere, ille eadem opera profitetur se id, quidquid est, exegisse tantùm, at non effecisse per se, sed eius à quo exigitur arbitrio permisisse. At in ea voluntate de qua nunc agimus, Deus rem non permittit arbitrio creaturæ, sed & efficere decernit, & quod decreuit adhibita infinita virtute perficit. Vt nihil sit opus voto, nihil affectuum istorum cupientis, vel dolentis, vel lætantis testificatione. Multo vero minus hîc suo fine excidit quam vsquam alibi. Cùm enim vt iam supra diximus, voluntatis istius duplex sit actus, alter negatiuus, quo vult nonnullos prçterire, alter affirmatiuus, quo nonnullos alios efficaciter vocare constituit; in executione huius actus adhibet eam potentiç efficacitatem quam nulla repugnantia reprimit. Iuxta illud, τὸ ὑπερβάλλον μέγε-
Eph. 1. θος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ.
19. Itaque finem suum semper assequitur. At in altero, quia finem nullum
Rom. habet prçter suæ ipsius ἀποτομίας vsum, nihil est quod eius assecutionem
11.22. intercipere valeat. Scilicet quis Deum eò vi adigat vt inuitus faciat ea quæ pro suo beneplacito facere non vult? Ex his ita constitutis quid-

quidquid est in quæstione proposita difficultatis facile dissoluitur. Vult posterioris generis misericordia inductus electorum suorum salutem absolutè, & eam efficacissimè perficit. Vult reliquorum omnium salutem indiscriminatim, modò credant : id si non perficitur ideò quia non crediderunt, eius expectationem euentus non frustrauit. Non enim aliter eorum salutem pro fine sibi proposuit, quàm si Christum oblatum fide amplecterentur. Ad verum finem quem habuit ante oculos, quia in eo positus fuit vt admirabilem suam indulgentiam erga genus humanum testificaretur, certissimè peruenit, etiamsi eam indulgētiam homines inexpiabili crimine sint contumaciter aspernati. Voluntas ergo ea quæ conditione fidei limitatur, si consideretur per se, est memorabile aliquod diuinæ bonitatis ac φιλανθρωπίας effectum. Si comparetur cum voluntate quæ decretum de donanda fide includit, est multo minus memorabilis, præ immensa misericordiæ magnitudine quæ sese in electos effudit. Seposita vtriusque voluntatis comparatione, alteram quæ ex fidei præstatione pendet, Caluinus & agnoscit, & prædicat, & admiratur. Comparatione instituta, quia voluntatis absolutæ splendor alteram obliterat, eam nonnunquam penè non agnoscere videtur, tantum abest vt suspiciat aut extollat. In altera illa repræsentanda cuius exercitium ex præstatione fidei Deus voluit esse suspensum, Caluinus Scripturæ locutiones imitatur, & Deum salutis hominum non cupientem modo, sed eius desiderio incensum atque flagrantem inducit, quo melius & efficacius fidem in animis mortalium accendat. Ventum-ne est ad explicationem doctrinæ de electione & reprobatione? Tum Caluinus locutiones istas emollit, facilè secernens id quod est à vehementia & hyperbole τῆς ἀνθρωποπαθείας, ab illâ pura & sincera φιλανθρωπίᾳ qua Deus noluit cuiquam denegatum esse aditum ad misericordiam, ad quam vnius Christi sacrificium viam antea obsessam admirabiliter reclusit. Sic, nisi nos vehementer fallit animus, Caluini doctrinam, hoc est, ipsissimam Apostoli Pauli de absoluto reprobationis decreto sententiam & perspicuè explicauimus, & ab Anonymi argumentis vindicauimus accuratè, & inuictis rationibus è Scriptura desumptis veram esse demonstrauimus, & ab ea contradictionis atque repugnantiæ secum suspicionem omnem sustulimus denique atque amouimus. Itaque si disputator noster pro cordato homine & veritatis amante haberi velit, non modo non putabit sibi licere de illius veritate dubitare, vt in conclusione libelli locutus est, sed & agnoscet pro verissima, & exosculabitur, & semel animo conceptam ad finem

vſque retinebit. Quam ad rem, non illi cupio mentem Euangelij luce qualitercunque colluſtratam, aut voluntatem inter verum ac falſum, bonum ac malum pendentem indifferenter atque fluctuantem, ſed animum efficaciſſimè à gratia Spiritus illuminatum, veri cognitione perfuſum, & potentiſſima Chriſti virtute domitum atque ſubactum. Atque in eo voto finem facio diſputandi. Regi æculorum, ſoli ſapienti Deo, Patri, Filio & Spiritui ſancto ſit laus honos & gloria in omnem æternitatem, AMEN.

FINIS.



# LECTORI.

*QVVM huc vſque peruentum eſſet, inopinata quædam operarum interturbatio editionem diſſertationis quam pagina 71. promiſeram, in aliud tempus differre me coëgit. Si hanc diſputationem tibi gratam eſſe ſenſero, (CHRISTIANE LECTOR) non modo de Iure Dei in creaturas, ſed & alijs conſimilis argumenti paulo prolixioribus diatribis fidem obſtrictam, Deo fauente, liberabo.*

# ERRATA.

Pag. 14. lin. vltimâ, *lege* meraque. p. 25. l. 6 *lege* pœnitentiam. p. 32 l. 22 *lege* rogatur p. 35. l. antepenult. *lege* ſit p 42 l. 13. *lege* ὁ τέλος p. 68. l. 24 *lege* admiſerunt. p. 91. l. 24. *lege* exoſa p. 104. l. 20. *lege* aliter. p. 115. l 25 *lege* ne vni quidem. p 141. l 25. *lege* αἰσθητικῶς. p. 151. l. 12. *lege* cultu. p 125 l. 19 *lege* rebus p. 166. l. 16 *lege* exſcinderentur p. 169 l. 9. *lege* lolio p. 183. l. 15 *lege* ſuppeditata. p. 189. l. 23. *lege* velint. p 165 l 23 *lege* ſi fieri. ead. l vlt *lege* quæquæ p. 1·2. l 6. *lege* actus ille. p. 208. l. 33. *lege* Eccleſia p. 222. l 8. *lege* non ad. eadem p. l. 16. *lege* veritatis. p. 233 l. 12. *lege* ἀπ' ἀιδίου. p. 247. l. 21 *lege* inæqualitate. p. 250. l. 3 *dele* fore, & *lege* etſi p 251 l. 22. *lege* poſſe negabant. eadem p. l. 36 *dele* taxat. p. 254. l. antepen. *lege* ἀιθολικῶς.

Leuia ſunt alia quædam in permutatione, traiectione & collocatione tum literarum tum accentuum, quæ lector æquus & emendabit facilè per ſe, & operis condonabit.

lu-
al-
m,
ni-
na-
oli
ia

n-
n,
m
in
is

ge
d-
ni
us
n.
a.
l.
o.
a-

[illegible] 110 … Tem[illegible] 105 [illegible]

… 144 272 …  Sera [illegible] 234 · 24[illegible]

Gratia [illegible] 210 226 265.8 270.1 248
[illegible] specialis [illegible]

[illegible] revelata [illegible] arcana specialis 196 265